Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA THEORETICA

AUCTORE

BENEDICTO STATTLER,

SS. THEOL. DOCT. PROF. ORD. AC PROCANCELLARIO IN UNIVERSITATE ANGLIPOLITANA, NECNON PAROCHO PRÆSIDII MILIT. ET RECTORE ECCLESIÆ PAROCH. D. MAURITII, SERENISS. ELECT. PALAT. ET REV. S. R. I. PRINC. ET EPISC. EUSTETT. CONSIL. ECCLES. ACT. ELECT. BOICÆ ACAD. MONAC. SOCIO.

TRACTATUS VI.
DE
SACRAMENTIS.



Euſtadii,

SUMTIBUS JOANNIS BAPTISTÆ WIDENMANN, & JOSEPHI BERLOUT, Compagnie. 1780.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
CAROLO THEODORO
COMITI PALATINO
RHENI
S. R. I.
ARCHIDAPIFERO
ET
ELECTORI
UTRIUSQUE BAVARIÆ,
PALATINATUS SUPERIORIS,
JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM
DUCI,
PRINCIPI MOERSIÆ, MARCHIONI
BERGÆ AD ZOOMAM, COMITI
VELDENTIÆ, SPONHEMII,
MARCHIÆ, ET RAVENSPURGI,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,
&c. &c. &c.
DOMINO DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

SERENISSIME ELECTOR
DUX POTENTISSIME
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!

Salus populi lex prima regni eſt, & *finis* totius politicæ Societatis. *Media* ſunt opes externæ, facultates corporum, & animorum totius populi, harumque omnium ſolers cultu-

Digitized by Google

tura; opum quidem laboris induſtria, commercio, & juſta adminiſtratione; facultatum corporis atque animi Artium, Scientiarum, & Religionis ſtudio eximio & aſſidua exercitatione. Aſt primum tamen & potentiſſimum mediorum omnium *Princeps*, populi ſui amans, idemque Sapiens, Juſtus, Conſtans, & Magnanimus; qui inſtar magni motoris cetera media univerſa ad unum illum finem maximæ ſalutis publicæ ſapienti & juſto ordine applicet, vim ſingulis & energiam conſtanter addat, ac grandi huic machinæ magno animo ſuo vitam veluti ac ſpiritum inſpiret. Illius eſt, cujusdam terreſtris Numinis inſtar ſapientiæ ſuæ conſilio, & immobili juſtitiæ conſtantia, omnium actiones legum veluti habenis regere & mo-

Digitized by Google

moderari, laborem & induſtriam populi provocare præmiis, commercia reipublicæ utilia favore publico facilitare, adminiſtrationem bonorum publicorum & communium non privato affectu, ſed ex unius juſtitiæ lege atque ordine moderari; artes denique, ſcientias, ac religionem inprimis, provida juventutis educatione, optimorum in quovis genere Magiſtrorum delectu, & a religionis miniſtris præcipue boni exempli omniumque officiorum accurata exactione, alere, ac promovere.

Talem in Te inde jam ab annis triginta & amplius Principem ſe habuiſſe, SERENISSIME ELECTOR & DUX POTENTISSIME CAROLE THEODORE, felix Palatinatus voce publica irrefragabili, i d eſt, com-

Digitized by Google

muni comploratione & luctu, teſtatus eſt, quibus Te non amiſſum, ſed vel longius a ſe abiturum, veluti ipſam a ſe diſcedentem ſalutem ſuam, eſt proſecutus; toto interim Imperio id genus teſtimonio applaudente. Talem Te Principem, jam longo eoque optimo regendi uſu exercitatum, incredibili felicitate accepit demum Bavaria noſtra; cujus jam quoque Oeconomia publica, cujus Artes ac Scientiæ, cujus ipſa quoque religio, olim tam celebrata, cujus denique omnis ordo hominum, novam a Tua Sapientia & Juſtitia ſalutem ſecure expectat.

Bojorum, qui incredibilem in modum talem ſibi divino ſingulari beneficio datum in Te Principem exultant, ego minimus, poſt Philoſo-

phiam

Digitized by Google

phiam amplo publico opere exultam, Religionis ſcientiam, Theologiam quam vocant Dogmaticam, inde ab octennio in unica Bavariæ Univerſitate Anglipolitana, & inde ab anno jam altero quidem ſolus, talem trado; qualis publicis a me typis excuſa omnium oculis proſtat, & cujus hanc partem ultimam *de Sacramentis* Magno Nomini Tuo dicandi grandis nunc mihi honor obtingit. Non fallor enimvero, cum equidem exiſtimo, rectam mei iſtius muneris adminiſtrationem non exiguum momentum ad incrementa reipublicæ habituram; tantum nimirum, quantum ipſa religionis ſcientia; quæ non tam ſua propria indole, utique divina, quam methodo, qua docetur & exercetur, commendari in partem bonam, vel malam, plerumque ſolet.

Digitized by Google

Mihi quidem antiquas ſanctiſſimæ & divinæ chriſtianæ religionis veritates, abſterſo antiquatæ jam Philoſophiæ pulvere, ſine omni contentione polemica, & dimiſſis omnibus ſcholæ vanitatibus, ſecundum melioris Logicæ regulas diſtincte proponere unicus & omnis labor fuit. Dudum enim illud mihi perſuaſum, nihil reperiri potentius in orbe quam claram ipſam veritatis lucem, calore caritatis foventem animos, non urentem diſputationis æſtu. Hac caritate omnes a me homines, etiam alienæ religionis, pariter fovendos cenſui, nec aliter eorum animos, niſi veritate & caritate expugnandos.

Unio religionis in Germania noſtra enimvero tam ingens bonum foret, ut dimitti ex oculis a publico re-

li-

Digitized by Google

ligionis Doctore non debeat. Eo pluribus quidem jam in libris meis, atque inprimis hoc in Tractatu de Sacramentis, dogmata ad diviniſſimum omnium Sacramentorum ſpectantia explanans, ingentibus ſtudiis, fortaſſis non ſine odii quorumdam periculo, collimavi. At enim perinde certiſſimum ego habeo, grande bonum illud clara veritatis expoſitione quidem præparari, non autem niſi diuturna conſtantique caritatis erga diſſidentes oſtenſione atque exercitatione reipſa eo perducendum ſperari poſſe, ut exitum denique ſortiatur. Ordo interim Eccleſiaſticus doctior, regulari diſciplina a teneris formatus, ad grande officium curæ animorum ac docendi munus longa inſtitutione præparatus, & ipſo omni in exercitio divini ſui muneris ab eadem diſcipli-

na

Digitized by Google

na perpetuo pendens, etſi numero inferior, amplius ad religionem populi catholici promovendam, & perficiendam morum diſciplinam, inprimis vero ad eandem diſſidentibus fratribus noſtris commendandam valeret: cui modo, nullo regulari ſociatique nexu arctius conjuncto, numeroſæ religioſorum ſocietates, in vita quidem monaſtica ex vocationis ſibi propriæ præſcripto exercitatæ, ſed ad munus paſcendi, docendique, nullo DEI, nullo Eccleſiæ, conſilio vocatæ, & inſtitutæ, & ob uſitatas Exemtiones ab ipſo hierarchico ordine deflectentes, in ipſo adeo paſtoralis muneris exercitio umbram ubique cum vilipenſione faciunt, auctoritate homines ſingulares & ſolitarios vulgo alioquin deſtituente. Inde vero religionis unius ſtudio in tot diverſas velu-

Digitized by Google

luti partes diſtracto, ſimulque privatorum cultuum ac religionum arbitrariarum diverſiſſimis modis magno numero, nec aliquando ſine ſubſtantialium detrimento, introductis, ſi non unitas fidei, certe unio caritatis, ob gregem ab uno vero paſtore ſuo ſemper in multas veluti ſeparatas turmas, ceu diverſas Eccleſias, diviſum, magnopere diſſoluta laxatur, non ſine mali præjudicii periculo ad Acatholicos exinde dimanante.

Sed nihil tam magnum atque arduum eſt, quod non a TUA SAPIENTIA & CONSTANTIA ſperare Chriſti Eccleſia poſſit, SERENISSIME ELECTOR & DUX POTENTISSIME! Cujus prudentiæ ac ſapientiſſimæ moderationi ipſo in feliciſſimi regiminis ingreſſu Bavaria

in

Digitized by Google

in præſentibus triſtiſſimis vicinorum regnorum incendiis conſervatam ſalutem ſuam & quietem debet.

Patere interim CLEMENTISSIME DOMINE! ut ſub MAGNI NOMINIS TUI umbra ſecurus lucem publicam hic de SACRAMENTIS TRACTATUS a me ſcriptus aſpiciat; eaque clementia, qua univerſos publici boni, religionis inprimis, ſtudioſos protegis, auctorem quoque iſtius Sereniſſimis favoribus Tuis & gratiis dignare.

SERENITATIS TUÆ

Humillimus & Obedientiſſimus
Cultor
BENEDICTUS STATTLER.

Digitized by Google

LICENTIA

Reverendiſſimi Ordinariatus Euſtadiani.

Tractatus hic VI. Theologiæ Chriſtianæ Theoreticæ a P. R. & Clariſs. D. Benedicto Stattler SS. Theologiæ Doctore, Rev. ac Celſiſs. Epiſc. ac S. R. I. Principis Euſtettenſis in Alma Univerſitate Ingolſtadiana Procancellario, Profeſſore Ordinario, ac ad D. Mauritii Parocho, peracuto, ut reliqui præcedentes, ingenio, uberi doctrina, ac eruditione maxima elucubratus, a DD. ad libros cenſendos deputatis perlectus, & ad orthodoxæ religionis, ac morum piorum principia revocatus, nihil his adverſum continere, ſed iis potius ſtabiliendis peropportunus judicatus fuit. Quare illum prælo & luce publica digniſſimum cenſeo, & authoritate ordinaria approbo.

Datum Euſtadii 12ma Septembr. 1777.

JOAN. MARTINUS LEHENBAUR, SS. Theol. Licent. Vicar. in Spirit. Gener. nec non ad inſign. & antiq. Collegiat. S. Viti Herriedæ, & ad Chor. S. Willibaldi Euſtadii Canon. Capit. Mpr.

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

PROLEGOMENA.

CAPUT I. De Baptiſmo.

CAPUT II. De Confirmatione.

CAPUT III. De SS. Euchariſtia.

CAPUT IV. De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT V. De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT VI. De Sacramento Ordinis.

CAPUT VII. De Sacramento Matrimonii.

CAPUT VIII. De iis, quæ ſeptem Sacramentis, in nova lege, a Chriſto inſtitutis, communia ſunt.

CAPUT IX. De Sacramentis Eccleſiaſticis Chriſtianis.

THEO-

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

DE

SACRAMENTIS

QUIBUS JESUS CHRISTUS INSTITUTAM A SE ECCLESIÆ SUÆ SOCIETATEM COLLIGAVIT.

Lingua magni Auguſtini in ipſa Tractatus hujus inſcriptione utor, cujus ea ſunt verba in Epiſt. 118. c. 1. de Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutis: JESUS Chriſtus *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit.* Eccleſiam nimirum, quam ſanguine ſuo acquiſiverat, non ſolum internæ religionis regulis erudire ut doctor veritatis, ſed etiam externæ religionis ſignis ac cerimoniis, a ſe ipſo inſtitutis, ceu totidem characteribus, conſignare, ac viſibilem, præque omnibus aliis conſpicuam reddere, ut legislator, ac ſummus ipſe Sacerdos, in æternum ipſe hoc officio per ſuos miniſtros functurus voluit. *Primum* in *Prolegomenis* hujus Tractatus de natura, utilitate & va-

rietate poſſibili ſacrarum cerimoniarum & Sacramentorum in genere, tum vero de veteris teſtamenti Sacramentis variis diſſeremus. *Poſt hæc* ſingula ſeptem a JESU Chriſto actu inſtituta Sacramenta ſeorſum explicabimus. *Tertio* loco, quæ his omnibus ſeptem communia ſunt, pertractabimus. *Quarto* de Sacramentis, ſive cerimoniis, Eccleſiaſticis ſingillatim agemus.

PROLEGOMENA.

442.

R*eligionem internam* in Eth. Univ. Chriſt. §. 693. dixi eſſe complexum omnium virtutum theologicarum, tam intellectualium, quam moralium. Eſt nempe *religio* alia *intellectus*, & hæc in certa notitia illius ſummæ regularum, tum mere ſpeculatricium, tum practicarum, conſiſtit, quibus homo & de ſuis officiis erga DEUM, ſe ipſum, & alios homines, edocetur, & ad eadem exequenda impellitur; a quorum executione fideli conſecutio finis ultimi creationis dependet (Dem. Evang. 25. 26.): eſt alia *religio voluntatis*, & hæc in complexu omnium virtutum theologicarum moralium, id eſt, earum, conſiſtit, quorum actus immediate circa DEUM tanquam finem ultimum verſantur (Eth. Univ. Chriſt. 684.). *Religio voluntatis a religione intellectus in omni ſuo exercitio dependet*, ac proinde etiam *facilitas religionis voluntatis* (imo & omnium aliarum virtutum moralium vere talium quarum omnes actus genuini a religione voluntatis; id eſt, ab aliquo actu virtutis ſpei, vel caritatis, imperari debent Eth. Univ. Chriſt. 661. 667. 683. 685.) *a facilitate excitandi actus*

reli-

religionis intellectus. Soli enim actus intellectus, id eſt, fidei & notitiæ certæ de dogmatis fundamentalibus religionis, eorumque revelatione a DEO facta, item Theologiæ naturalis (Eth. 715.) motiva actibus voluntatis religioſis cunctis ſuppeditant; ſine quibus elici iſti ſimpliciter nequeunt; & a vivacitate ac facilitate actuum intellectus, motiva proponentium, vis & facilitas voluntatem commovendi conformiter his motivis unice dependet. *Quidquid* ergo *facilitatem excitandi actus religioſos intellectus, horumque vivacitatem promovet, illud ipſum ad promovendos actus religioſos voluntatis, horumque facilitatem, ex æquo facit.* Jam vero actus religioſi intellectus univerſi circa objecta verſantur, a ſenſibus juxta, atque a rebus, quæ continuo in ſenſus per humanam vitam incurrunt, remotiſſima; puta, circa perfectiones divinas, circa facta divinæ revelationis, & dogmata divinitus revelata &c.; nec proinde in rebus ſenſibilibus naturalibus facile ſigna naturalia ſuppetunt, quæ, ceu occaſionales ideæ excitatrices, illorum objectorum memoriam in nobis excitent. *Neceſſaria ergo, & vel maxime utilia, ad promovendam religionem intellectus, & hac mediante ad facilitandam religionem voluntatis internam, ſunt ſigna ſenſibilia ex placito rite inſtituta, quæ objecta religionis intellectus nobis ſui præſentia in memoriam modo quodam efficaci revocent.*

443.

Sacramentum in genere id genus ſignum ſenſibile ex placito rite inſtitutum eſt, quo objectum religionis intellectus, ſeu res ſacra vel religioſa, nobis in memoriam revocatur; quodque proinde eo ipſo idoneum eſt ad religionem in-

 tellectus

tellectus & voluntatis magnopere promovendam; id eſt, ad ſanctitatem hominis habitualem & actualem efficiendam & augendam. *Primum eſſentiam, alterum attributum quoddam eſſentiale, ſacramenti* conficit.

* *Sacramentum in genere* breviter cerimonia ſacra appellari poteſt. Eſt enim *cerimonia* ſignum ſenſibile ex placito ſignificans rem aliquam, cujus nos in certis propoſitis negotiis meminiſſe oportet. Cujus definitionis bonitas ex obviis exemplis patet, uti ex cerimoniis, quibus reges, doctores, equites ordinum illuſtrium &c., inaugurantur. Sunt autem *cerimoniæ politicæ*, ac *profanæ*, quorum in politicis, ac profanis, negotiis eſt uſus; ſunt *cerimoniæ ſacræ*, quæ in negotiis religionis, & cultu divino, vi legitimæ inſtitutionis uſum proficuum habent.

444.

Sacramenta aliqua *privata*, alia *publica* ſunt, prout nimirum ex ſignis conſtant privatæ unius hominis, aut familiæ, religioni excitandæ ergo aſſumta, vel ſocietati alicui publicæ communiter in uſum religionis præſtituta.

445.

Sacramenta publica inſtituere eſt ſignis certis ſenſibilibus probe determinatis vim ſtabilem, eamque publicam, id eſt, publice promulgatam, tribuere ſignificandi rem ſacram, ſeu objectum religioſum; ita, ut quoties ſub ea determinatione adhibeantur, rem ſacram eandem per ea deſignari communiter omnes intelligant; nec cui-

cuiquam liceat eadem ſub ea ipſa determinatione ſpecifica alio fine uſurpare.

446.

I. *Sacramenta privata ſibi uni, aut familiæ ſuæ propria, quisque hominum ſibi, aut a quivis paterſamilias ſuæ familiæ, deligere jure naturæ per ſe poteſt.* Sic *Cain* fruges agrorum, quos colebat, *Abel* optima de paſcuis ſuis animalia, DEO in ſignum religionis & conteſtationem ſubjectionis ſuæ erga ſummum DEI dominium, ſacrificabant (Gen. IV.).

II. *Sacramenta publica, præſertim cum obligatione uſus illorum, non niſi is inſtituere poteſt, qui ſocietatem aliquam publicam in materia religionis ſibi ſubjectam habet.*

III. *DEUS itaque, uti Societate naturali ſimul ac ſupernaturali inde a principio mundi omnes homines adſtrinxit* (Dem. cath. §§. 43. 93.); *ita & ſacramenta, publica vel univerſis hominibus, vel uni ſolum particulari genti*, ex. gr. Judaicæ (quam Eccleſiam particularem in ea conſtituendo ſibi ſingillatim in religione regendam aſſumſerit l. cit. §. 96.) *communia inſtituere potuit.*

IV. *Parem in modum JESUS Chriſtus, pro poteſtate a Patre accepta in cælo & in terra* (de Incarn §. 429.) *uti Eccleſiam Chriſtianam ſibi ipſe inſtituit peculiaribus legibus adſtrictam; ita pro eadem certa Sacramenta, eidem propria inſtituere etiam ut homo potuit.* Secundum humanitatem enim, non ſecundum divinitatem, accepta ab alio poteſtate ſpirituali pollet.

V. Præterea, quoniam Sacramenta, ceu cerimoniæ ſacræ, cerimoniis profanis analoga ſunt (443. not.); ſicut cerimoniæ profanæ a rectore politico inſtitui poſſunt, quæ non ſint mere ſpeculatriciæ ſigna dogmatum, aut factorum politicorum, ſed etiam quæ effectum politicum & ſignificent, & actu ſine alio concurſu activo ſubjecti recipientis conferant, ex. gr. quibus poteſtas aliqua moralis, jus, vel gratia ac prærogativa honoris, conferatur, uti eſt officium nobile, nobilitas, ordo equeſtris, Doctoratus &c. &c.: ita *evidens eſt, etiam Sacramenta alia inſtitui a DEO, ceu ſupremo rectore omnis religioſæ Societatis, & a JESU Chriſto in Chriſtiana Eccleſia potuiſſe; quibus non ſolum ceu ſignis mere ſpeculatricibus dogmatum, factorum, & quarumque rerum religioſarum admoneamur; verum etiam queis ceu ſignis practicis, & efficacibus, effectus aliquis religioſus, ſive ad bonum ſtatum religioſum internum & externum hominis pertinens idemque ab omni immediate concurſu activo ſubjecti recipientis independens, actu producatur, & conferatur.*

VI. Denique, quoniam JESUS Chriſtus Eccleſiam ſuam ipſe perpetuo per Epiſcopos & Romanum Pontificem, ceu ſubordinatos ſuos miniſtros & Vicarios regit (Dem. Cath. §§. 126. 142. 152.); quibus ipſis poteſtatem ſacram legislatricem pro bono ſpirituali Eccleſiæ ſuæ reliquit (l. cit. §§. 215. 218.); idcirco *manifeſtum eſt, etiam Eccleſiæ rectores, Epiſcopos videlicet ac Romanum Pontificem, communi conſenſu* (l. cit. §. 279.) *pro tota Eccleſia Sacramenta quædam; eaque non ſolum mere ſpeculatricia, ſed etiam practica inſtituere poſſe, id eſt, talia,*

Digitized by Google

lia, quibus effectus aliquis religioſus, a poteſtate Eccleſiæ dependens, Chriſtianis eisdem ſacramentis religioſe utentibus, conferatur.

VII. *Ex his variæ diviſiones Sacramenti oriuntur*, ut videlicet eſſe poſſint alia *Sacramenta DEI*, ut in lege veteri, eaque vel *generalia*, ac pro univerſis hominibus, vel *peculiaria*, pro ſola gente Judæorum inſtituta; alia *Sacramenta JESU Chriſti*, alia *Sacramenta Eccleſiaſtica Chriſtiana*, vel a JESU Chriſto nimirum immediate, vel ſolum ab ejus Eccleſiæ rectoribus ac JESU Chriſti vicariis inſtituta; item *Sacramenta mere theoretica*, & *practica* ſeu operatricia (V. hic).

* *Sacramenti* vocem inepte criminati ſunt Lutherus & Calvinus, quod in SS. literis non inveniretur. Latina enim vox ipſa in Scripturis, quæ univerſæ hebraico, Syriaco, vel græco idiomate ſcriptæ ſunt, haberi non poteſt. Ajunt, *Tertullianum* primum inveniſſe: nempe quia primus eſt ex ſcriptoribus latinis, cujus ſcripta aliqua extant, legi utique vox latina in nullo eo antiquiore poteſt. Duo tantum quæri poſſunt; *primum*: an vox græca, vel Syriaca, aut hebraica, ejusdem ſignificatus in SS. literis ſubinde occurrat, qualem nos voci *Sacramentum* ſubjicimus; *deinde*: an vox latina *Sacramentum* hunc ipſum ſignificatum proprium apud optimos quosque ſcriptores latinos habeat. *Quod ad primum*: occurrit in ſacro textu vox græca μυςἑριον ſub eo ipſiſſimo ſignificatu generico, quem nos voci *Sacramentum* ſupponimus. Hoc enim ſenſu Apoſtolus ad Epheſ. V. 32. de matrimonio

 dicit:

dicit: *Sacramentum* (μυςήριον) *hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto, & in Eccleſia*: ubi profecto de matrimonio affirmatur, quod ſit ſignum ſacrum unionis Chriſti cum Eccleſia; ut ſuo loco oſtendemus. Apoc. I. 20. *Sacramentum ſeptem ſtellarum* occurrit, quas JESUS Chriſtus S. Joanni exhibet ceu ſymbolum *ſeptem Angelorum* (id eſt, Epiſcoporum) *Eccleſiæ*. Et ibid. XVIII. 7. Angelus explicat *ſacramentum mulieris*, in cujus *fronte nomen ſcriptum* μυςήριον (v. 5.); quæ nimirum erat *Babylon magna, mater fornicationum*. Denique S. Paulus I. Tim. III. 16. ipſam DEI Filii incarnationem vocat *magnum pietatis ſacramentum*, id eſt, ſignum certiſſimum divinæ in homines pietatis. *Quod vero ad alterum* ſpectat: apud Varronem L. IV. de lingua latina vox *Sacramentum* pro pignore pecuniario ſumitur, quod litigantes ambo in loco ſacro deponerent, ea conditione, ut, qui vinceret judicio, ſuam pecuniam inde reſumeret; victus vero ſuam apud Pontificem relinqueret, ærario ſacro ceſſuram. Enimvero hæc pecunia in loco ſacro depoſita ſignum bonæ fidei conſtituebatur, qua uterque litem alteri intentaret, eratque proinde ſignum religioſum. Apud Livium L. III. & XXII. juramentum militum ſeſe militiæ adſtringentium *ſacramentum* appellatur. Enimvero etiam hoc in rei ſacræ, id eſt, ſinceræ fidei ac propoſiti fidelitatis, ſignum adhibebatur. Unde & omne *jusjurandum* vulgo *ſacramentum* a Quintiliano L. XII. c. 2. & ab Horatio L. II. Ode 17. appellatur. Nec vero inuſitata communiter primis latinis eccleſiæ ſcriptoribus *ſacramenti* vox. *Tertullianus* librum de Baptiſmo incipit: *felix ſacramentum aquæ noſtræ*: & L. de Præſcript. c. 40.

40. de idolorum myſteriis loquens ait: *ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectavit* (dæmon) *exprimere in negotiis idololatriæ.* S. *Cyprianus*, proximus Tertulliano ex latinis Patribus, epiſt. 63. & 77. eadem voce, de Chriſti ſacramentis differens, eodemque ſenſu utitur. *S. Hilarius* in Matth. IV. baptiſmum, & X. Euchariſtiam *Sacramenta* appellat. S. *Ambroſius*, vel certe alius ſcriptor perantiquus ſub eo nomine latens, ſex libros *de Sacramentis* conſcripſit.

** Ceterum genericam *Sacramenti definitionem* dedi, in qua *genus* eſt ratio *ſigni ſenſibilis* (id eſt, exterius prolati; dari enim poſſunt etiam *ſacramenta ſpirituum*); *ſpeciem* vero conficit vis ſignificativa ſacra, ſeu religioſa; ſanctitatem, ſeu religionem internam, promovere idonea; quæ ex inſtitutione efficaci, id eſt, ex lege ſubjectiva, ſeu rite promulgata, auctoris ſacramenti exoritur (Eth. Univ. Chriſt. §. 343. ſeqq.). Porro ex diverſa *vi ſignificativa ſacra*, theoretica, vel etiam practica, hujus, vel alterius rei ſacræ, *variæ genera* & *ſpecies ſubalternæ Sacramentorum* porro enaſcentur. Propriam *Sacramentorum JESU Chriſti* ac legis gratiæ definitionem tunc dabo; poſtquam prius de ſingulis accurate tractavero: neque enim genus, vel ſpecies communis omnium, juſta notione, niſi quæ, ceu communis omnibus, ab omnibus rite prius examinatis ſimul abſtrahatur, definiri poteſt.

Digitized by Google

447.

Quatuor ſtatus religionis veræ univerſe vi ſacræ hiſtoriæ ſcripturarum utriusque teſtamenti diſcerni debent, in quo humanum genus diverſis temporibus inde a principio creationis fuiſſe a DEO conſtitutum legitur. *Primus* erat primorum parentum, quamdiu *ſtatus originalis juſtitiæ* ante peccatum perdurabat. *Alter* ſtatus, in quo vivebant omnes ceteri homines (exceptis Abrahami poſteris) ab Adæ peccato uſque ad Chriſtum; qui vulgo *ſtatus legis naturæ* dicitur; quod lege ſcripta carerent, non quod ſola lege naturæ uterentur (Eth. Chriſt. Univ. §. 668.): ſiquidem dogmata de adventu Meſſiæ alicujus, de reſurrectione carnis per eundem extitura, de præmiis & pœnis æternis alterius vitæ, revelatione divina, jam ipſi Adamo facta (Gen. III. 15.), didicerant; ut vel ex ſolo Jobi exemplo conſtat, in fimeto ſe conſolantis verbis illis memorabilibus: *ſcio, quod redemptor meus vivit* &c. *Tertius* eſt *ſtatus legis ſcriptæ*, in quo vivebant Judæi ſecundum legem genti ſuæ propriam, & per Moſen ſcripto acceptam divinitus. *Quartus* eſt *ſtatus legis gratiæ*, a Chriſto acceptæ, & Eccleſiæ ab ipſo inſtitutæ propriæ.

448.

In primo religionis ſtatu, qui erat originalis juſtitiæ, in ſacramentum religioſæ ſubjectionis erga DEUM a DEO ipſo inſtituta fuit abſtinentia a pomo vetito. Non enim hanc ſignificationem habebat ea abſtinentia ex natura ſua, ſed ex lege DEI poſitiva (Tract. III. §. 213.). Tum vero rem ſacram, ad religionem internam pertinentem

tem interne ac modo ſenſibili deſignabat: ergo (443.) &c. &c. Sic quidem ipſe S. Auguſtinus L. VIII. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8. *Nec ſine myſteriis rerum ſpiritualium corporaliter præſentatis voluit hominem DEUS in paradiſo vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum; in illo autem ſacramentum.*

* Pluribus Sacramentis ſtatus ille feliciſſimus, ac breviſſime duraturus, interno idem lumine plenus, non indigebat; & hoc unicum ſatis idoneum erat, ut duorum hominum unus alteri ſimilem religionem internam intellectus ac voluntatis (442.) exemplo ſuo perſuaderet.

449.

In altero religionis ſtatu, qui dicitur legis naturæ, *delectus Sacramentorum liber relinquebatur patribusfamilias, & ſummis principibus civitatum.* Ut enim jam ſupra dictum; *Abel*, & *Cain*, quivis de ſuo, ex quo vitam alebat, offerebat DEO in ſacrificium. *Melchiſedech* rex Salem (Gen. XIV. 18.) obtulit DEO panem & vinum, nullo extante indicio mandati divini. *Job* (Jobi I. 5.) ſanctificabat libros ſuos a peccatis forte inter convivia commiſſis, offerendo holocauſta pro ſingulis.

* *Nullum Sacramentum determinatum pro adultis in hoc ſtatu fuiſſe divinitus inſtitutum*, Theologi pæne omnes concedunt; pro adultis tamen fuiſſe neceſſarium uſum aliquorum ſacramentorum, ſuopte arbitrio delectorum: ex. gr. ſacrificiorum ſenſibilium, ita, ut non ſufficeret ſola religio interior ad ſalutem, complures cum

Mel-

Digitized by Google

Melchiore Cano Relect. de Sacram. P. III. defendunt: qui, ſi *de neceſſitate præcepti* loquantur, quo Sacrificiorum externorum, ſeu religionis externæ, uſus ſtatis temporibus, ceu lege naturali, ob neceſſitatem illius ad propagandam & promovendam religionem internam, præciperetur, veritatem certiſſime attigere (Eth. Univ. 694. 695. & hic 442.), ſi vero *abſolutam* fuiſſe *neceſſitatem* aſſererent, ut in nullo caſu ſine eis adulti, perinde ac ſine fide, ſpe, & caritate DEI, ſalvi eſſe poſſent, ſine ſufficiente argumento id dixere.

** *Pro parvulis ſacramentum fuiſſe neceſſarium* ad ſalutem, *negarunt* cum *Durando* in IV. dub. 1. q. 2. *Dominico Soto* diſt. 1. q. 2. art. 13. concl. 5. *Ledeſma, Maurus, Baſilius Legionenſis, Vaſquez* &c. cenſentes, ſolam fidem internam parentum ſuffeciſſe etiam parvulis prolibus; quibus omnino videntur adſtipulari *Tertullianus* L. de Bapt. c 13. S. *Gregorius M.* L. IV. Moral. c 3. S. *Bernardus* epiſt. 77. c. 1. imo & S. *Thomas* 3. p. q 70. art. 4. ad 2. licet iſte admittat ceu veriſimillimum, parentes fideles vel preces, vel aliquam benedictionem, etiam pro parvulis ſuis adhibuiſſe. *Alii* Theologi neceſſarium fuiſſe aliquod ſacramentum *tenuere* cum Suarezio; ſed nulla lege divina determinatum; bene tamen inſtinctu divino a parentibus ipſis uſurpatum. S. *Auguſtinus*, neceſſitatem *Sacramenti* diſſimulans, id ſolum dicit de peccato Orig. c. 29. *Nemo itaque, nemo prorſus a perditionis maſſa liberatus eſt, aut liberatur, aut liberabitur, niſi gratia redemtoris. Et ante Abraham quidem utrum aliquo corporali & viſibili Sacramento juſti, vel eorum parvuli, ſignarentur, Scri-*

ptura

ptura non exprimit. Et L. II. de Nupt. & Concup. c. 12. *Superioribus temporibus (ante circumciſionem) omni modo latuit ſacramentum juſtificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis; non vetus teſtamentum; non lex; ſed gratia DEI per JESUM Chriſtum.* Veriſimilitudinem tamen uſus Sacramenti pro parvulis clare enuntiat L. V. contra Julianum c. 11. ſcribens: *Nec ideo credendum eſt, ante circumciſionem famulos DEI, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſſa Scriptura ſacra latere nos voluit.*

*** Certior, atque, ut Tournelius de Sacram. in genere q. 2. art. 3. loquitur, pia & vera ſententia eſt, *extitiſſe pro parvulis aliquod adverſus originale peccatum remedium*, ſive id ſacramentum fuerit, ſive ſola fides interna parentum, voto quodam illis applicata. De DEI quidem pietate iſtud præſumere omnino licet, quod vota parentum ad eum effectum ſuſceperit. *Auguſtinus* id citra dubium credidit (ut ex dictis ejus recitatis perſpicuum eſt) cum ceteris ſcriptoribus & Doctoribus, ſuperiore proxima adnotatione citatis. S. *Proſper* (vel quisquis auctor eſt) Lib. II. de Vocat. Gentium. c. 23. ſcribit, *non irreligioſe credi, nec inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi bene uterentur parentes, etiam ipſi per eos juvarentur.* Idem eſt ſenſus *Innocentii* III. Papæ in cap. *Majores, de Baptiſmo*; ubi docens, peccatum originale in veteri lege per circumciſionem,

ſionem, in nova per baptiſmum etiam a parvulis tolli, addit hanc rationem: *Abſit enim, ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur; quin & ipſis miſericors DEUS, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem.* Quæ ratio utique valet etiam de parvulis legis naturæ. Interim nihil ex his ad dogma fidei pertinet. Nec, quod Innocentius III. dicat, circumciſione ſublatum a parvulis fuiſſe peccatum originale, negat, alio etiam remedio tolli potuiſſe.

**** *Si quæras:* quo modo fides & votum parentum cauſſa fuerit ſalutis parvulorum: *reſpondeo* perinde, ut, ſiquis homo utcunque extraneus a patre gratiam ſibi, vel alteri, petat per amorem & ſuavem memoriam filii ter dilecti, ubi nec merita precantis, nec demerita attenduntur a patre, ſed ſola veluti reſuſcitata jucunda memoria amabiliſſimi filii continuo emollit cor paternum, ut gratiam meram, nulli alteri præjudicio futuram, conferat ſtudio gratificandi filio, hæc & longe majora commerito, cui id gratum ac jucundum fore prænoſcit; ita, ut preces ſupplicantis ſe non niſi *per modum cauſſæ occaſionalis, & conditionis ſine qua non*, habeant. *Si porro quæras:* cur DEUS hac veluti excitatrice conditione reſtringere miſericordiam ſuam ac ſemper diſtinctiſſime memorem benevolentiam erga JESUM Chriſtum voluerit? *Reſpondeo*: quia id ipſum promovebat fidem & ſalutem parentum aliorumque adultorum; eorum merita augebat, & præmium bonis meritis reſponſurum; quod in æſtimatione DEI longe potius eſt ea beatitate parvulorum, quæ ſine meritis obtingit, imo & potior eſt ſola jactura beatitatis a

pœnis

pœnis poſitivis immuni, quæ tales parvulos non prædeſtinatos expectat.

450.

In tertio religionis ſtatu, genti Judaicæ peculiari, ſeu legiſ ſcriptæ, erant Sacramenta plurima divinitus inſtituta: ac 1.) quidem *circumciſio* in ſignum fœderis ſpecialis inter DEUM & poſteros Abrahami ſingulari lege Abrahamo & ejus poſteris præſcripta Gen. XVII. 11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Quod fœdus cum ad religionem totum referretur; utique in circumciſione Sacramentum, id eſt, religioſæ rei ſignum, idque publicum, & divinitus pro tota gente Hebræa inſtitutum, habemus (444. 445.): 2.) ritus, quibus *conſecratio Sacerdotum ac Levitarum* ex præſcripto legis divinæ peragebatur (Exodi XXIX.) in ſignum poteſtatis privativæ ſacerdotalis eorundem: 3.) *Sacrificia* tum *Euchariſtica*, uti mactatio & eſus agni paſchalis; tum *latreutica*, uti holocauſta: tum *expiatoria pro peccato*, ſeu vere tali & in genere moris, uti ſacrificium hirci pro peccato (Levit. XVI. 5.) ſeu mere ex ignorantia legis admiſſo: nec voluntario (Levit. V. 17.): 4.) *ritus legalem immunditiam expurgantes*, ex. gr. ex attactu cadaveris in ejus ſepultura contractam, lotione veſtium ſub veſperum abſtergendum (Levit. XI. 28. 39.): 5.) *ritus plurimi in memnoſynon variorum beneficiorum inſtituti*, uti eſus azymorum, feſtum tabernaculorum, oblatio primogenitorum &c. &c. Taceo in iſtorum plurimis ac pæne omnibus ſimul aliam *Sacramenti* rationem interveniſſe, qua nimirum futuri olim adventus Meſſiæ

Meſſiæ adjuncta myſtice præfigurabant: *omnia enim illis* (Hebræis) *in figuris contingebant*, teſtante Apoſtolo I. Cor. X. 11. Veram denique rationem Sacramenti hisce ritibus judaicis convenire docet CONCILIUM FLORENTINUM in Decreto ad Armenos, in quo Eugenius IV. Papa dicit: *differunt autem Sacramenta noſtra a Sacramentis antiquæ legis*: & TRIDENTINUM Seſſ. VII. can. 2. *Siquis dixerit, Sacramenta novæ legis a Sacramentis antiquæ legis non differre, anathema ſit.*

* *Quærunt*: an vi legis veteris ſpeciale ſacramentum, nempe circumciſio, a DEO inſtitutum fuerit pro remedio peccati originalis. *Reſpondeo*: inſtitutionis ejusmodi expreſſæ indicia ſufficientia in SS. literis non occurrere; veriſimillimum tamen eſſe, quod eo ipſo, quod liberum etiam judæis parentibus relinqueretur quocunque ſacramento parvulis ſuis ſuccurrere, circumciſionem pro pueris ſuis diem octavum attingentibus pro tali remedio adhibuerint. Nam 1.) DEUS Gen. XVII. 11. inſtituens ac præcipiens Abrahamo ejusque poſteris circumciſionem, de tali fine nihil memorat. *Hoc eſt pactum meum, quod ſervabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum; . . . . . . ut ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Fœdus illud porro conſiſtebat ſolum in temporali regimine politico & religioſo, quo DEUS ſemper affuturum ſe ſpeciali modo populo illi præ cunctis aliis promiſit. Unde & Apoſtolus ad Rom. III. 1. ait: *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis? Multum quidem per omnem modum. Primum*

mum quia credita illis ſunt eloquia DEI. Ubi ſane S. Paulus aperte affirmat, præcipuam utilitatem circumciſionis eſſe, quod Judæis, circumciſionis ritum ex DEI præcepto ſervantibus, præſens ſemper DEI eloquium & regimen promiſſum fuerit. 2'.) Hæc eadem ſententia fuit *S. Juſtini* in Dial. *S. Epiphanii* hær. 30. *S. Chryſoſtomi* hom. 39. in Gen. *Tertulliani* l. contra Judæ. c. 3. *S. Ambroſii* L. I. de Abraham. c. 4. *S. Hieronymi* in c. III. ad Galat. omniumque *S. Auguſtino* antiquiorum, expreſſe negantium, *in opus ſalutis aut juſtitiæ* præſcriptam fuiſſe Judæis a DEO circumciſionem. 3'.) Ratio quoque id ſaltem ſuadet, quod, cum pro ſolis parvulis octo dierum inſtituta circumciſio fuerit, veriſimile non ſit, peculiare pro iſtis remedium, nullum vero ſpeciale pro femellis, aut pueris ante octavum diem morituris, fuiſſe a DEO inſtitutum. *S. Auguſtinus* primus contrariam ſententiam amplexus eſt, eo quod Gen. XVII. 14. addatur: *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit.* Ubi, cum in ſeptuaginta interpretum verſione Auguſtinus ſimul additum legeret, *cujus caro circumciſa non fuerit* OCTAVO DIE, credidit, de æterna damnatione omnium talium parvulorum id intelligi neceſſario debere, & de pacto cum Adamo inito, quod ſolum irritum reddere parvuli tales poſſent contrahendo peccatum originale. *Verum* voces illæ non extant in codicibus hebraicis & chaldaicis, ſicuti nec in Vulgata; ac proin nulla cogit neceſſitas intelligere textum de parvulis, vel de æterna damnatione; ſed intelligi debet de ſeparatione a conſortio populi DEI electi; nec de præcepto Adæ impoſito, ſed de lege ac promiſſis Abrahamo & ejus poſteris a DEO datis. Imo ſi etiam de parvulis intelligas, adhuc eadem quadrabit interpretatio. S. Augu-

ſtino is locus pro argumento peccati originalis idoneus contra Pelagianos videbatur, atque idcirco in eum ſenſum inclinabatur; quem deinde *S. Gregorius* M. L. IV. Moral. c. 3. *Ven. Beda* L. I. in Luc. c. 8. *Innocentius III.* cap. *Majores*, de Bapt., ſecuti ſunt.

* * *Modus* itaque *operandi ſalutem parvulorum*, etiam ope circumciſionis in maſculis, erat idem in lege ſcripta, atque in lege naturæ (449. not. 4.). Sed neque Sacramenta legis ſcriptæ communiter *pro adultis* habebant aliam vim promovendi ſanctitatem, ſeu religionem internam eorundem, niſi communem omnibus cerimoniis ſacris, videlicet revocandi in memoriam promiſſa & beneficia divina, ſicque excitandi eos ad fidem in futurum Meſſiam, ſpem, & caritatem in Deum. Aliqua ſingillatim item inſtar *conditionis ſine qua non* effectus divinarum promiſſionum varios operabantur; ex. gr. *circumciſio* efficiebat, ut conſors fieret maſculus benedictionum divinarum toti populo factarum; *conſecratio ſacerdotum*, ut DEUS ſacrificia ab eis nomine totius populi oblata, & preces, reciperet &c.; eoque ſenſu, quod poteſtatem ſacrificandi moralem conferrent, *practici ſacramenti* rationem attingebant (446. V.). Immediate autem ex ſe ipſo & ex propria virtute nullum iſtorum Sacramentorum ulli aut gratiam ſanctificantem, aut ullius gratiæ actualis certum pignus, conferebat; ſed omnes iſtæ gratiæ ex meritis redemtoris venturi per propria opera fidei, ſpei, & caritatis, ſe ad eas diſponentibus obtingebant. Unde & S. Paulus ad Galat. IV. 9. eadem vocat *infirma & egena elementa*, & ad Coloſſ. II. 17. *umbram futurorum.*

CA-

CAPUT I.
DE BAPTISMO.

451.

Textus SS. Scripturæ de Baptiſmo a JESU Chriſto inſtituto tractantes.

1*.) Joan. III. Nicodemo profitenti ſe agnoſcere ipſum eſſe Magiſtrum religionis divinitus miſſum, quocum Deus ſit, reſpondet v. 3. Jeſus: *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Cumque Nicodemus, id intelligens de regeneratione carnali, difficultatem iſtud concipiendi proderet, repetit Chriſtus ſua dicta cum aliqua addita explicatione v. 5. *Amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. . . .* v. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit DEUS Filium ſuum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* v. 18. *Qui autem non credit (in eum) jam judicatus eſt; quia non credit in nomine unigeniti Filii DEI.*

* In hoc textu non diſcrepat *Vulgata* a Græco autographo, niſi quod v. 3. in græco legatur pro *denuo* vox ἄνωθεν, quæ ſignificat *de ſupernis*, ut ſenſus ſit

ſit jam cum v. 5. magis conſonans: *niſi quis renatus fuerit de ſupernis*, id eſt, virtute divina. Præterea v. 5. in græco omittitur vox ἄνωθεν, & legitur ſolum; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu.* Denique loco *in nomine* v. 18. ponitur *in nomen* εἰς τὸ ὄνομα.

2'.) Ibidem, nempe Joan. III. 22. *Poſt hæc venit Jeſus & diſcipuli ejus in terram Judæam, & baptizabat, erat autem a Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim; quia aquæ multæ erant illic: & veniebant, & baptizabantur.* v. 26. *Venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi! qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Cap. IV. 1. *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes (quamquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus) reliquit Judæam, & iterum abiit in Galilæam.*

3'.) Matth. ult. 18. Jeſus poſt reſurrectionem ſuam dicit Apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Et Marc. ult. 15. undecim Apoſtolis dicit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatui fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

4'.) Act. II. poſt primam S. Petri concionem v. 37. *compuncti corde* Jeroſolymitæ dicebant *ad Petrum & ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos, pænitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquiſ-*

que

que veſtrum in nomine JESU in remiſſionem peccatorum veſtrorum : & accipietis donum Spiritus ſancti. . . . Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt. Similia leguntur Act. VIII. 12. *Cum credidiſſent Philippo* (Samaritani), *qui prædicabat illis Chriſtum* (v. 5.), *& evangelizanti de regno DEI, in nomine JESU Chriſti baptizabantur viri & mulieres.* Ubi tamen in græco legitur : *evangelizanti de regno DEI, & de nomine JESU Chriſti*, καὶ τȣ̃ ὀνόματος τȣ̃ Ιησȣ̃ χριςȣ̃, *baptizabantur viri & mulieres.*

Rurſus Act. VIII. 34. cum eodem Philippo Evangelizante Eunuchus Æthiops, ex itinere cum illo *ad aquam quamdam* delatus, diceret : *Ecce aqua ! quid prohibet me baptizari? Dixit Philippus : ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait : credo, Filium DEI eſſe Jeſum Chriſtum. Et deſcenderant uterque in aquam, & Philippus baptizavit eum.*

Et Act. X. Petrus prædicans Cornelio Evangelium Chriſti, v. 43. ait : *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Cumque Spiritus ſanctus viſibili modo ſuper omnes *audientes* verba Petri cecidiſſet, *reſpondit Petrus* (v. 47.) : *numquid aquam quis prohiberi poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini JESU Chriſti.* In græco hic legitur *in nomine Domini* tantum, non addito nomine *JESU Chriſti.*

Denique Act. XIX. Paulus Epheſi inveniens quoſdam ex neophytis chriſtianis, qui *neque, ſi Spi-*

Spiritus ſanctus eſt, audivere (v. 2.), interrogat: *in quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Joannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini JESU.*

5'.) Act. XXII. 16. Saulo divinitus converſo, & ad ſe venienti, uſu oculorum eidem reſtituto, jamque credenti dicit: *Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.* Ubi in græco legitur, *invocato nomine Domini*, τȣ̃ κυρίȣ.

6'.) S Paulus ad Eph. V. 25. monet: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* (vox *vitæ* in græco omittitur), *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata.* Et I. Cor. VI. cum a verſu 9. dixiſſet, *fornicarios, molles*, maledicos, rapaces &c., regnum DEI non poſſeſſuros; v. 11. ſubdit: *& hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis; ſed ſanctificati eſtis; ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Rurſus ad Titum III. 4. ait: *Cum apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri DEI; non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum; ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.*

Digitized by Google

452.

Baptiſmus ex uſu SS. Scripturarum ſignificat intinctionem in fluidum, quod ad lavandum corpus adhibetur. Sic Lib. IV. Reg. V. 14. dicitur de Naaman : *deſcendit, & lavit in Jordane ſepties ;* ubi in hebraico habetur וַיִּטְבֹּל a טָבַל quod ſignificat *tinxit*, *immerſit ſe ;* & in græco LXX. ἐβαπτίσατο. In Lib. Judith XII. 7. de hac dicitur : *exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ ;* id eſt, lavabat ſe. Marci VII. 3. refertur : *Phariſæi & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant ; & a foro* (venientes), *niſi baptizentur* (ἐὰν μὴ βαπτίσωνται) *non comedunt. Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptismata calicum* (βαπτισμοὺς ποτηρίων), *& urceorum, & æramentorum, & lectorum.* Etiam cum Luc. XII. 50. Chriſtus de ſua paſſione inſtante dicit, *baptismo habeo baptizari*, vox *baptismus* lotionem, ſeu perfuſionem corporis proprie ſignificat, ſed ſanguine nimirum proprio, non aqua, faciendam.

453.

Vox Baptiſmus *&* baptizo *communiter ex recepto apud Judæos uſu ſignificabat lotionem aqua faciendam, quocunque modo, ſeu infuſione, ſeu immerſione, ſeu inſperſione ſola aquæ.* Sic certe *baptiſmi*, ſeu lotiones *manuum* (Marc. VII. 3. cit.) quas a foro venientes Judæi ſuſcipiebant, veriſimillime non ſemper, nec ex præſcripto alicujus legis, immerſione manuum in aquas, ſed infuſione quoque fiebant. *Baptiſmi lectorum* ac *veſtium* haud dubie fiebant ſola inſperſione aquæ. Denique cum S. Scriptura has lotiones ſimpliciter

Digitized by Google

citer *baptiſmos*, nulla addita ſpecifica fluidi deſignatione, appellat, ſecundum omnes, lotiones *aqua* factas ſemper intelligit; perinde videlicet, uti Levit. XI. 25. 28. XIII. 6. 34. 56. XIV. 8. 9. 47. ſimplici voce *lotionis veſtium* præſcriptæ non alia lotio quam *aqua* facienda deſignatur; ceu quæ vulgatiſſima eſt.

454.

Chriſtus omnibus in ſe credentibus Baptiſmum aquæ præſcripſit ceu cerimoniam ſacram & Eccleſiaſticam, id eſt, toti Eccleſiæ ſuæ communem. Patet ex textu tertio (451.): *docete omnes gentes, baptizantes eos* (non politica cerimonia, ſed) *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*; quæ verba utique finem religioſum, non politicum, ac mere temporalem, deſignant; ſicuti & quæ ſtatim adduntur, *docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*, utique ad ſalutem æternam pertinentia; ac proinde finis erat promotio religionis internæ ac ſalutis animarum, adeoque ſpiritualis, ac viſibili ſpirituali credentium ſocietati, ſive Eccleſiæ cuidam, proprius (Dem. Cath. §§. 95. 109.).

455.

Chriſtus præſcripſit Baptiſmum in ſignum viſibile profeſſionis fidei in ipſum, & conſociationis diſcipulorum ſuorum ſub lege ſua. Idcirco enim prius illis *prædicari Evangelium* ſuum jubet, & eos *doceri ſervare omnia, quæcunque mandaſſet* (451. n. 3.). Idcirco fides exigitur Marc. ult. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit*; & Act. VIII. 37. (n. 4.) Philippus Diaconus hanc fidem ab Eunucho reginæ Candacis exigit, ut lice-

liceret ipſum baptizare: *ſi credis ex toto corde, licet* te baptizare: & Act. II. 41. non niſi, *qui receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt* a Petro; & Act. VIII. 12. Samaritani, *cum credidiſſent Philippo, qui prædicabat illis Chriſtum.* Imo Matth. XXVIII. 19. pro *docete* in græco habetur μαθητεύσατε, *diſcipulos facite.* Joan. IV. (n. 2.) itidem expreſſe dicitur Chriſtus *baptizando plures diſcipulos feciſſe, quam Joannes.* 2.) *Et vero*, qui credebant ſemel ſincere in Chriſtum, ejusque divinam miſſionem certo agnoſcebant, per ſe obligabantur ipſius legi obedire; ac proinde communi nexu legis iſtius Chriſti adſtringebantur contendere ad finem ultimum ſalutis æternæ per ea ipſa media, quæ Chriſtus omnibus ſervanda commendaſſet (Dem. Cath. 108. 109. 103.) adeoque ſocietate aliqua ſpirituali conſtringebantur (ibid. 92.). Ut vero viſibilis evaderet ſocietas iſta; nexus quoque ipſe viſibili aliquo ſigno indicari & adſtringi debebat; quod ſecundum Apoſtolum Baptiſmus eſt, qui I. Cor. XII. 13. dicit: *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus. . .* v. 27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti.*

456.

Chriſtus Baptiſmum inſtituit in ſignum viſibile & efficax regenerationis internæ ſpiritualis ad gratiam ſanctificantem a morte ſpirituali peccati, tam originalis, quam actualis. Vita enim *interna ſpiritualis*, ad finem ſpiritualem æternæ beatitatis tendens (Dem. Cath. 92.), in facultate expedita exercendi actus ſalutares, in omni genere virtutum neceſſarios ad conſequendam beatitatem illam conſiſtit; pro eo, atque ad juſtitiam univerſalem hominis requiritur (Tract. IV.

de gratia §§. 305. 306. 308.), ut homo evadat *medium* idoneum ad finem prædictæ ſalutis & beatitatis æternæ; a qua ratione *medii* excidit non ſolum peccato originali (Tract. III. §§. 223. 226.), ſed etiam quovis peccato gravi actuali; quo ſemper amittitur gratia ſanctificans (Tract. IV. §. 317.), ſeu ipſa illa vita ſpiritualis; & contrahitur *mors ſpiritualis*, ſeu inhabilitas habitualis ad actus vitæ ſpiritualis, ad ſalutem æternam neceſſarios. *Regeneratio ſpiritualis* itaque, poſtquam homo ex carne jam natus eſt, originali quidam peccato infectus, vel etiam actuali peccato ſpiritualiter mortuus, conſiſtit in reſtitutione vitæ illius ſpiritualis per gratiam ſanctificantem; qua homo univerſali juſtitia juſtus evadit, & a ſtatu peccati (vel a defectu juſtitiæ ſolo ob originale, vel a poſitiva injuſtitia ob actuale grave peccatum) tranſit ad ſtatum juſtitiæ (Tract. IV. §§. 309. 310.). Atqui hanc ſpiritualem regenerationem, id eſt, purgationem a peccato originali & actuali, ac reſtitutionem juſtitiæ univerſalis per gratiam ſanctificantem (l. cit. §. 308.), ex Chriſti inſtitutione (445.) ſtabiliter, & in effectu ipſo præſentem, ſignificat Baptiſmus, omnibus in eum credentibus præſcriptus.

Nam 1°.) *Chriſtus* (§. 451. n. 1.) ejusmodi regenerationem ex ſpiritu, ſeu ſecundum ſpiritum, Joan. III. v. 5. abſolute neceſſario fieri debere graphice affirmat, ut quis *introire poſſit in regnum cælorum*; tum vero ibidem ait *ex aqua & ſpiritu ſancto* eam fieri debere; *ex aqua* videlicet ceu conditione aliqua a priori ſe tenente; *ex Spiritu ſancto* immediate & formaliter, ut loquuntur; ceu qui ipſe gratia ſanctificans, vel certe præcipua illius pars eſt (de Inc. 436.)

Et

Et idem Chriſtus ex oppoſito (cit. l. n. 3.) apud S. Marcum ult. v. 16. dicit: *qui crediderit*, & *baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*; id eſt, victurum eum vita ſpirituali, qua expeditus evadat ad conſequendam vitam æternam.

2'.) *S. Petrus* Act. II. (cit. l. n. 4.) ait, *baptizari* credentes in Chriſtum *in remiſſionem peccatorum*, eosque *accipere donum Spiritus ſancti*; quod utrumque proprium gratiæ ſanctificantis attributum eſt (Tract. IV. §. 312. not. 2. & ibid. §. 317.).

3'.) Act. XXII. 16. (l. cit. n. 5.) Ananias Saulo dicit: *Exurge*, *baptizare*, & *ablue peccata tua*: ergo ablutio corporis per Baptiſmum efficaci modo ſignificat ablationem ſordis omnium peccatorum, etiam actualium; quæ plura erant in Saulo; cum originale non niſi unicum in quovis homine ſit.

4'.) *S. Paulus* l. cit. n. 6. ad Epheſ. V. 25. affirmat, Chriſtum *lavacro aquæ*, id eſt, Baptiſmo, ſic *mundare Eccleſiam*, id eſt, omnes fideles in unam Eccleſiam, ſeu ſocietatem ſpiritualem viſibilem, eo ipſo ſacro baptiſmi ſigno conſociatos (455. & Dem. Cath. §§. 108. 109.), *ut ſit ſancta & immaculata*; id eſt, immunis a peccato; & *ſanctitate*, ſeu juſtitia univerſali, *glorioſa* (Tract. III. 208. 209.). Rurſus I. Cor. VI. ibid. dicit, a peccatis quibusque graviſſimis, quibus prius erant infecti Corinthii, *ablutos*, & eo ipſo *ſanctificatos*, ac *juſtificatos* eſſe; utique univerſali juſtitia; quia ſecus univerſe & abſolute tales dici non potuiſſent. *Denique* idem Apoſtolus ad Titum III. (ibid.) baptiſmum ſimpliciter vocat *lavacrum regenerationis & renovationis*

Digitized by Google

tionis Spiritus ſancti; qui *effuſus ſit* in baptizatos, *ut juſtificati gratia, hæredes ſint ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Nil clarius dici poſſet, nil ſimilius illi, quod Chriſtus dixerat Joan. III. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto.* Adde, Apoſtolum ad Galatas III. 26. ſcribere: *omnes Filii DEI eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto JESU: quicunque enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, id eſt, ſpiritum Chriſti; qui haud dubie in habituali prædominio quodam amoris divini & univerſalis juſtitiæ ſtatu conſiſtit. Ubi Apoſtolus rationem omnium horum effectuum reponit in Baptiſmo.

457.

Baptiſmus itaque eſt Sacramentum publicum, non ſolum ſpeculativum, ſed practicum & efficax, regenerationis ſpiritualis, id eſt, remiſſionis omnium peccatorum, ac reſtitutionis gratiæ ſanctificantis. Pro omnibus enim credituris in Chriſtum a Chriſto, ſuprema *poteſtate in cælo & in terra* pollente (Matth. ult. 18.), inſtitutus eſt in Sacramentum (454.) hoc ipſo publicum (444.); quo non ſolum ſignificaretur juſtitia & gratia ſanctificans, jam aliunde exiſtens; ſed actu conferretur (præc. & §. 446. V.), eoque etiam remitterentur omnia peccata (Tract. IV. 317.).

* Ceterum quo ſenſu, & qua efficacia virtutis, baptiſmus hunc effectum gratiæ ſanctificantis conferat, dicam; cum in genere efficaciam communem Sacramentorum Novæ Legis infra explicabo. Cogita interim, ſi Chriſtus, poſtquam regenerationem hominis hoc ſolenni ſigno ſacramentali efficiendam ut DEUS-Homo inſtituit, ipſe baptizaret; quis effectus futurus eſſet

eſſet, & quo pacto, ſuppoſita notione gratiæ ſanctificantis in Tract. IV. §. 307. & ſeqq. a me propoſita, effectus iſte increatus, *actione* illius *theandrica*, id eſt, a Divinitate illius perſonæ ceu a cauſſa principali, & ab Humanitate ceu a cauſſa inſtrumentali (Tract. V. §. 343.) profecta, efficeretur. Adde præterea, illum id ipſum per miniſtros ſuos a ſe ad hoc conſtitutos, & ejus nomine baptizantes, operari, ceu per *actionem ſibi* hoc ipſo *moraliter propriam.*

458.

Dogma catholicum eſt, Baptiſmi Sacramento tolli penitus peccatum originale & omne actuale a baptizato rite diſpoſito. *Probatur* 1°.) ex SS. Literis. Præter dicta enim §. 456., quod *abluantur, remittantur peccata,* penitus *mundentur Eccleſiæ* nova membra, baptiſmo adgenerata, Apoſtolus, poſtquam ad Rom. VII. multa queſtus eſt de reſidua etiam poſt acceptum baptiſmum rebellione carnis, univerſe tamen ad Rom. VIII. 1. ſubjungit, ac concludit, virtute *gratiæ DEI per Jeſum Chriſtum* in Baptiſmo ſemel acceptæ, etſi carnis illa rebellio perduret, *nihil tamen eſſe damnationis in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu: qui non ſecundum carnem ambulant.* Ubi per eos, *qui ſunt in Chriſto Jeſu,* ſicuti per eos, *qui Chriſtum induerunt* (ad Galat. III. 27. §. 456.), intelligit baptizatos. Quodſi nihil in baptizato eſt, quod damnationem, id eſt, ſententiam judicialem condemnatoriam mereatur, tota ratio peccati tollatur neceſſe eſt per baptiſmum.

Probatur 2°.) ex SS. Patribus. *S. Juſtinus M.* in 2da Apol. de Baptiſmo diſſerens, ait: *remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequi*

ſequi in aqua. *Tertullianus* L. de Baptiſmo c. 1. *Felix Sacramentum aquæ noſtræ*, ait, *qua abluti delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. . . Quid ergo? Nonne mirandum, lavacro dilui mortem?* Et cap. 4. *Spiritus ſupervenit de cælis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt.* Omnino appoſitæ ad id, quod de Spiritu ſancto dictum præced. Tract. §. 436. Addit cap. 5. *Exemto reatu eximitur & pœna. Ita reſtituitur homo DEO, ad ſimilitudinem ejus, qui retro ad imaginem DEI fuerat.* Cap. 6. *Baptiſmi carnalis actus* (eſt), *quod in aqua mergimur; ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur.* Et de reſurrect. carnis. *c.* 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur.* *S. Gregorius Nyſſenus* Orat. in Bapt. *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſſa.* *S. Ambroſius* de Sacram. L. I. c. 4. ait, per fontem Baptiſmi nos *tranſire a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem.* Et L. II. de Pœnit. oſtendit, veriſſimum eſſe, quod *impoſſibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua.* *S. Hieronymus* Epiſt. ad Oceanum 82. *Omnia ſcorta*, inquit, *& publicæ colluviorum ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque ſexus mutata natura, Chriſti fonte abluuntur &c. Omnia nobis baptiſmate donata ſunt crimina; nec poſt indulgentiam judicis metuenda eſt ſeveritas; dicente Apoſtolo: & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis &c.* (ſupra §. 451. n. 6.). Denique *S. Auguſtinus* graphice ſcribit in Enchirid. cap. 64. *Baptiſmatis munus contra originale peccatum donatum eſt, ut, quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur: & tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere*

opere commiſſa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio; in qua ſolvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus &c. Et L. II. de Peccat. merit. c. 28. *Si continuo poſt baptiſmum ſequatur emigratio ex hac vita, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant.* Tam conſtans hæc erat apud veteres Patres ſententia, ut baptizatis nec ante, nec poſt Baptiſmum, ulla opera laborioſa & ſatisfactoria imponerent; uti conſtat ex *S. Baſilio* Exhort. ad Bapt. *S. Ambroſio* L. de Elia & Jejunio cap. ult. *S. Chryſoſt.* Hom. 1. ad Baptiz. *S. Gregorio Naz.* orat. 40.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. *Tridentinum* Seſſ. V. Decreto de Peccato Orig. can. 5. *Siquis in Baptiſmate per J. Chriſti gratiam reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, . . anathema ſit. In renatis enim nihil odit DEUS: quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem; . . qui veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum DEUM creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac DEO dilecti effecti ſunt, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti, ita, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.*

* Qualis diſpoſitio in baptizando requiratur, ut hunc tam plenæ remiſſionis peccatorum ſibi proprium effectum Baptiſmus operetur; dicemus ſuo loco. Hic ſufficit effectum Baptiſmo proprium comprobaſſe. De reliquiis, ut vocant, peccati originalis etiam poſt baptiſmum, vide in Tract. III. §. 227.

459.

Digitized by Google

459.

Medium neceſſarium ad finem eſt; quod aptitudinem & vim aliquam realem ſeu poſitivam habet ad exiſtentiam finis boni promovendam, ita quidem, ut ſine eo finis ejusmodi per aliud medium obtineri nequaquam poſſit. Unde *ſi medium abſolute neceſſarium etiam ab ignorante absque omni culpa omittatur, eo ipſo finis nunquam obtinebitur.*

460.

Baptiſmus ex lege divina JESU Chriſti abſolute neceſſarium medium ſalutis æternæ eſt pro omnibus, vel re ipſa acceptus, vel ſaltem, cum reipſa eum accipere in poteſtate non eſt, efficaci voto a nondum baptizato exoptatus.

Probatur dogma hoc Catholicum 1°.) EX VERBIS JESU CHRISTI dicentis univerſe & abſolute Joan. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEI.* Ubi *aquæ* virtus medii ad regenerationem ſpiritualem, & hac mediante ad obtinendum *regnum DEI*, a Chriſto tribuitur; & aperte denunciatur, ſine regeneratione tali ex aqua *regnum DEI*, id eſt, ſalutem æternam, obtineri non poſſe. Mox vero addit Chriſtus. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hinc oportet vos renaſci denuo.* Ubi neceſſitas regenerationis ſpiritualis exinde aſſeritur, quod carnalis generatio non niſi vitam carnalem det; ſolus autem Spiritus ſanctus ſpiritualem: porro hanc a Spiritu ſancto non niſi per *aquam* dari, verba priora clare

clare indicant; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto.* Ceterum *rationem medii* poſitivi de Baptiſmo probant etiam cetera omnia S. Scripturæ dicta §. 451. allegata; *neceſſitatem* autem hujus *medii* ſolus locus hic recitatus comprobat. *Denique* cum Chriſtus univerſe regenerationem ſpiritualem pro omnibus *ex carne* generatis requirat; niſi aliud medium præter Baptiſmum in re ſuſceptum ab eo pro parvulis verelictum oſtendatur; clarum eſt, ex iisdem verbis Chriſti conſequi, *etiam parvulis* id medium unicum regenerationis ſpiritualis abſolute neceſſarium eſſe; cum ſola nativitas *ex carne introitum in regnum Dei* ex effato Chriſti nulli ſufficiat. Atqui non eſt aliud usquam in SS. literis novi teſtamenti invenire remedium regenerationis ſpiritualis pro parvulis; ut paullo poſt probabimus. Ergo pro parvulis quoque neceſſarium ſalutis medium Baptiſmus eſt.

Probatur 2'.) EX SS. PATRIBUS. *S. Juſtinus* M. in Apol. 2. ait, inſtructos Neophytos *aqua regenerari, cum in nomine* SS. Trinitatis *aqua lavantur. Chriſtum enim ipſum dixiſſe: niſi quis renatus fuerit &c. &c.* *S. Irenæus* L. II. c. 22. docet, *infantes* eſſe *neceſſario baptizandos.* Atqui hæc neceſſitas medii eſt: cum ſolum præceptum in infantibus locum non habeat. *Tertullianus* præclare de hoc diſſerit L. de Bapt. cap. 13. contra Quintilianos & Cajanos ſuæ ætatis ſectarios, probans neceſſitatem Baptiſmi. *Dicunt* (iſti), inquit, *Baptiſmus non eſt neceſſarium, quibus fides ſatis eſt: nam & Abraham nullius aquæ, niſi fidei ſacramento DEO placuit. Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem & reſurrectionem. At ubi fides aucta eſt, - - addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio Ba-*

ptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec poteſt jam ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta. Ite, inquit &c. &c. Huic legi collata definitio illa: niſi quis renatus fuerit &c. &c. Obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem. S. Cyprianus neceſſitatem Baptiſmi generalem adeo certam habuit, ut ab hæreticis baptizatos, niſi de novo acciperent *Baptiſmum Eccleſiæ* catholicæ, ſalvari haud poſſe diceret in Epiſt. 72. ad Stephanum Papam; *cum ſcriptum ſit: niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. Origenes* Hom. 14. ſcribit: *quia per Baptiſmi Sacramentum nativitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua &c. &c.* Et L. V. in VI. ad Rom. *Pro hoc* (peccato originis) *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit etiam parvulis Baptiſmum dare. Sciebant enim, - - quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ſanctum ablui deberent. S. Cyrillus Jeroſol.* catech. III. ait: *Siquis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui ſine aqua regno cœleſti potiuntur. S. Ambroſius* Lib. de Myſteriis c. 4. *credit catechumenus: - - - ſed niſi baptizatus fuerit, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum.* L. II. de Abraham cap. 11. exponens illa Chriſti verba, *niſi quis renatus fuerit &c.; utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate. S. Auguſtinus* L. III. de orig. animæ cap. 9. *Noli credere*, ait, *nec dicere, nec docere infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum; ſi vis eſſe catholicus.* Et Epiſt. 166. (alias 28.) ad Hieron.: *quisquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profe-*

cto

cto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur; quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto omnino vivificari non poſſe.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. In *Concilio Dioſpolitano* Pelagius damnare ſententiam ſuam coactus eſt, quod *infantes, etſi non baptizentur, habeant vitam æternam. Concilium Carthaginenſe IV.* in Epiſt. Synod. ad Innocentium I. definiit: *quicunque negat, parvulos per Baptiſmum Chriſti a perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.* Ubi præterea Patres, Pelagianorum errores exponentes, ajunt: *parvulos etiam propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortifera iſta doctrina in æternum necant. Tridentinum* denique Seſſ. VII. can. 2. *Siquis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, atque ideo verba illa D. N. J. Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit.* Idem can. 5. abſolute definiit: *Siquis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

Adde, perpetuam hanc fuiſſe certam Eccleſiæ ſententiam, praxi conſtante confirmatam, qua 1'.) infantes ſemper baptizavit, & baptizandos neceſſario eſſe docuit; uti conſtat jam ex *S. Cypriani* Epiſtola ad *Fidum* medio ſeculo tertio: 2'.) qua, etſi quædam tempora ſtatuta certique Miniſtri deputati eſſent pro Baptiſmo ſolenniter adminiſtrando; tamen proviſum erat, ut in periculo mortis, ſive infantibus, ſive adultis, quolibet tempore & loco, & a quolibet miniſtro; etiam a mulieribus, ac laicis, adminiſtraretur; uti rurſus conſtat ex *Concilio Romano* ſub

Cornelio Papa, *Neocæſareenſi* can. 12. ex *S. Cypriano* Epiſt. ad Magnum, ex *Siricii* Papæ Epiſtola ad Himmerium &c. &c.

* Dixi: *Baptiſmum vel reipſa acceptum, vel efficaci voto exoptatum, eſſe* tam *abſolute neceſſarium medium ſalutis pro omnibus.* Namque

461.

Amoris DEI ſaltem ſubſtantiali gradu perfecti actu, imperante pœnitentiam ſinceram de peccatis omnibus ſaltem gravibus, & includente eo ipſo votum efficax Baptiſmi, ſi ejus adhuc in re ſuſcipiendi fors copia fieret, in caſu impotentiæ eum reipſa ſuſcipiendi ita ſuppleri Baptiſmus poteſt, ut, ſi non ſemper perfecta, ſaltem gravium peccatorum remiſſio ſimpliciter, gratia ſanctificans tollens originale peccatum, ac ſalus æterna obtineatur. Habemus enim 1°.) exceptionem iſtam ex ore ejusdem, qui dixit, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, nempe Jesu Christi, æque univerſe dicentis Joan. XIV. 21.: *qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum.* Qua promiſſione Chriſtus confirmavit pro tempore legis gratiæ promiſſum illud generale, quod Deus in lege veteri dederat Ezech. XVIII. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, - - vita vivet, & non morietur. - -* v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et Propheta Joël II. 32. de tempore Meſſiæ venturi prædixit univerſe: *Et erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

2°.) Eam exceptionem ſemper agnovere SS. Patres. Nam inde factum eſt, ut pro catechumenis ſine Baptiſmo, pie tamen, defunctis Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi paſſim preces & officia DEO offerri juſſerint; uti conſtat ex *S. Ambroſio* Orat. funeb. de Valentiniano Imperatore dicente: *Quem in Evangelio regeneraturus eram, amiſi; ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit. - - - Quodſi Martyres ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit, & voluntas. S. Auguſtinus* L. IV. de Bapt. c. 22. ait: *Invenio, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.*

3'.) Idem conſtat EX CONCILIIS, nempe *Arelatenſi II.* a. 452. can. 12. ex *Carthaginenſi IV.* a. 398. can. 79., & *Tridentino* Seſſ. VI. cap. 4. docente; *juſtificationem impii ſine lavacro regenerationis, in re, vel in voto, fieri non poſſe.* Unde & *Pius V., Gregorius XIII.* & *Urbanus VIII.* damnavere hanc Baji propoſitionem: *caritas perfecta in catechumenis & pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.*

462.

Itaque a fortiori etiam Martyrium ex amore DEI ſubſtantiali gradu perfecto pro fide, aut pro quocunque alterius virtutis officio, toleratum in caſu impotentiæ Baptiſmum in re ſuſcipiendi, eo ipſo, quod votum iſtius efficax includat pro caſu, quo ejus copia foret, ipſius Baptiſmi vim ſupplet.

Rurſus enim 1'.) CHRISTUS DOMINUS de his univerſe dixit Matth. X. 32. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et ibid. XVI. 25. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.*

Digitized by Google

Unde 2.) *Tertullianus* de Bapt. c. 16. ait: *Et nobis etiam ſecundum lavacrum, ſanguinis ſcilicet; de quo Dominus: habeo, inquit, baptiſmo tingi.* Et *S. Auguſtinus* L. XIII. de Civit. c. 7. *Qui dixit: niſi quis renatus fuerit &c. idem & generaliter dixit: qui me confeſſus fuerit.*

* Ceterum *votum Baptiſmi*, quo opus eſt in omni caſu: quo is in re ſuſcipi non poteſt, etſi *expreſſum* eſſe oporteat, ſiquis meminerit, ſe Baptiſmum, quem neceſſarium per ſe eſſe novit, nondum accepiſſe; tamen, ſiquis aut hujus neceſſitatis ignarus eſſet, aut ſaltem non meminiſſet citra culpam ſuam, ſufficiet *implicitum*, quod in ipſo actu ſubſtantiali gradu perfecto amoris DEI continetur; qui virtute ſua utique propoſitum efficax complectitur utendi omnibus mediis, quibus poſſis, quæ Chriſtus ceu ad ſalutem per ſe neceſſaria inſtituit.

** Præterea, etſi *ſolum votum Baptiſmi*, cum amore DEI & pœnitentia ſubſtantiali gradu perfecta conjunctum, non remittat ſimul una cum peccato originali & culpis gravibus omne debitum pœnæ temporalis; niſi pœnitentia & amor DEI ſint eo inſuper gradu accidentali perfecta, ut omnes tollant reliquias affectuum pravorum tamen de *Martyrio* illis conjuncto communis eſt ſententia Theologorum catholicorum contra *Melchiorem Canum*, quod eodem perinde, ac ipſo Baptiſmo in re ſuſcepto, omnis culpa & pœna integre remittatur; etſi fervor caritatis tam perfectus non ſit, nec tam perfecta pœnitentia in Martyre, qualis alias ad perfectam remiſſionem omnis culpæ ac pœnæ requiritur. Nituntur auctoritate *S. Auguſtini* L. XIII. de Civit. c. 8. dicentis: *quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum*

eis

tis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Imo & *Tertulliani* antiquioris jam Eccleſiaſtici ſcriptoris ſententia hæc eſt, in Apolog. circa finem ſcribentis de Martyrio: *omnia delicta huic operi donantur.* Denique etiam *S. Cyprianus* L. de Exhort. Martyr. in Præfat. baptiſmum ſanguinis aquæ baptiſmo pœnæ præfert in ordine ad effectum remiſſionis peccatorum. Verum omnes iſti SS. Doctores de conditione imperfectæ pœnitentiæ nihil memorant; ſed videntur ſupponere, ipſum actum, quo Martyrium ac mors ipſa amore DEI ſuſtinetur, eſſe natura ſua tam intenſum & excellentem, ut ſaltem accedente ſatisfactione tormentorum, ac mortis ipſius, per ſe ſufficiat ſaltem *communiter* ad plenam remiſſionem conſequendam. Intra opinionem humanam itaque hæc ſententia ſubſiſtit; quam tamen illa Eccleſiæ conſtans praxis multum confirmat, qua illa nec preces, nec ſacrificia, unquam pro Martyribus offerre conſuevit.

463.

Sententia tenens, quod deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum ſalutem ſufficiat fides parentum, vel aliorum, piumque votum, ſigno externo illis applicatum, ſub invocatione SS. Trinitatis, ſolida omni caret probabilitate. Exceptio enim iſta 1'.) non habet ullum fundamentum IN SS. LITERIS; ſicuti illud tamen certo habent caſus Martyrii, & perfecta caritas in adultis: 2'.) ignota fuit SS. PATRIBUS, imo hodiedum ignota eſt TOTI ECCLESIÆ. Nam *S. Ambroſius* eam conceptis verbis negat L. II. de Abraham. c. ult. in illa Chriſti verba generalia, *niſi quis renatus fuerit*, ita adnotans: *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate.* Negat

 eam

eam gravibus verbis *S. Auguſtinus* in Epiſt. 166. *Quicunque dixerit, in Chriſto vivificari poſſe parvulos, qui ſine ejus participatione, id eſt, ſine Baptiſmo, de hac vita exeunt, hic & contra Apoſtolorum prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam.* Denique *Eccleſia*, ſi hoc medium ſalutis, fides nempe ac pium votum parentum, reipſa eſſet idoneum, non omiſiſſet de eo utendo in neceſſitate graviter admonere parentes: quod ſilentium in re tam gravi mihi argumentum decretorium eſt de falſitate adverſæ ſententiæ. *S. Pius V.* Papa certe improbabilem illam eſſe credidit; eo quod expungi illam juſſerit ex commentariis *Cajetani* Cardinalis: quin crederet, qualemcunque S. Bonaventuræ, Durandi, & Gerſonis, eam tenentium, auctoritatem eidem ſententiæ ſolidam probabilitatem etiam extrinſecam, communi ſenſu Eccleſiæ ex oppoſito ſtante, conciliare poſſe.

* Dogmati catholico de neceſſitate Baptiſmi, quod huc uſque expoſui, jam inde a ſecundo Eccleſiæ ſeculo variæ ſectæ ſeſe oppoſuere. Rejecere illum ut ſuperſtitioſum, vel certe inutilem, *Manichæi* aquam a malo principio productam ſomniantes, *Aſcodrutæ*, *Seleuciani*, *Hermiani*, *Maſſaliani* (græce εὐχῖται, ſeu *orantes* dicti) & *Archontici.* Neceſſarium eſſe negarunt jam ſeculo ſecundo *Cajani* & *Quintiliani*; & poſtea ſeculo quinto *Pelagiani*, argumentis S. Auguſtini adducti, diſtinxere inter *regnum cœlorum*, & *vitam æternam*; atque ad iſtam quidem, non item ad illud introire parvulos ſine Baptiſmo poſſe, defenderunt. Prorſus cum Cajanis ſenſere *Joannes Wicleff*, & *Zwinglius.* *Calvinus* Baptiſmum ſaltem chriſtianorum liberis ad ſalutem abſolute neceſſarium non eſſe voluit; etſi adultis lege Chriſti præſcribatur: illos enim fœdere

chri-

chriſtiano contineri jam eo ipſo, quod ſint ex chriſtianis parentibus nati. Denique *Socinianorum* ſecta, ex incohærente Calvinianorum ac Lutheranorum doctrina progeniem nacta, negat non modo neceſſitatem Baptiſmi, ſed & utilitatem ad ſalutem, & præceptum divinum; tenetque, pro ſolis e Judaiſmo, vel Paganiſmo, ad chriſtianam religionem accedentibus ſervire pro ritu externo profeſſionis in Chriſtum. Hos quo pacto ſolide refutet Calvinianus aliquis, qui ex inſtitutione Calvini verba illa Chriſti, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, ad metaphoram refert, equidem tanta libertate ſenſus proprii ſemel conceſſa jam non video. Enimvero nos catholici certiore ſecurioreque regula utimur, interpretatione Eccleſiæ videlicet a Spiritu ſancto directæ; quo criterio veritatis, pro omni chriſtianorum plebe in religionis chriſtianæ argumento unice idoneo, ſimulque aptiſſimo, ſiquis ſemel deſtituatur, filum profecto deeſt hoc ipſo, quo ex errorum labyrintho emergat ipſe, aut alios errantes educat. Sed juvat jam tot adverſariorum argumenta audire, quibus Dogma Catholicum impugnant.

** *Objiciunt* itaque 1°.) cum *Calvino:* illa Chriſti verba, *niſi quis renatus fuerit &c.*, metaphoram continere, idemque velle, ac iſta: *niſi quis renatus fuerit ex ſpiritu aqueo*, id eſt, inſtar aquæ mundante. Similia certe eſſe iſtis verbis S. Joannis Baptiſtæ Matth. III. 11. *Ego vos baptizo in aqua: ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne;* ubi per *ſpiritum & ignem* intelligitur *ſpiritus igneus*, id eſt, ignem DEI amoris diffundente in ipſo corde interius.

Reſp. Somnium hoc hominis eſſe, ſine ratione ſufficiente ſibi fingentis ſenſum verborum Domini; quem tota Eccleſia repudiat. Recte igitur Socinianus aliquis contra Calvinum inferet, etiam Matth. ult. in illis ver-

Digitized by Google

bis Chriſti, *docete omnes gentes, baptizandos eos,* non præceptum aliquod *aqua* baptizandi, ſed ſolum *doctrinæ* veluti baptiſmo imbuendi, expreſſione quadam metaphorica deſignari: cum tamen ſaltem pro omnibus adultis Calvinus ipſe eo loco contineri affirmate defenderit. Sed nos rationem ſolidam iſtius metaphoræ utroque loco nobis afferri poſtulamus, non privati hominis arbitrium. Nobis pro ſenſu verborum proprio tenendo & ſimplicitas verborum Chriſti in exprimendo medio abſolute neceſſario, & præcepto gravi imponendo (quale ſaltem de *docendis* omnibus Matth. ult. agnoſcit Socinus ipſe), & Eccleſiæ interpretatio ſolennis ſufficit; pro qua teſtimonium Chriſti habemus, quod ſpiritu veritatis regatur; cum cœco Calvino, aut Socino, credendi ratio nulla ſe offerat. S. Joannes Baptiſta non negat, Chriſtum aqua baptizaturum; de quo certo conſtat, *aquæ baptiſmum* per Apoſtolos ab eo in faciendis aliis diſcipulis adhibitum fuiſſe (§. 451. n. 2. & 4.): ſed ſolum diſcrimen in eo ponit; quod Baptiſmi Chriſti effectus proprius ſit interius diffuſa caritas per Spiritum ſanctum (Tract. de Incarn. §. 436.).

Addit Calvinus: Illis verbis Chriſti Joan. VI. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis,* non medium abſolute neceſſarium, ſed ſolum grave præceptum deſignari: ergo nec iſtis aliud innuitur Joan. III. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* *Reſpondeo* (quidquid alii Theologi catholici contra ſentiant, atque idcirco aliud reſpondeant): *nego antecedentem propoſitionem*: vere enim neceſſitas medii præſervatricis de SS. Euchariſtiæ Sacramento pro iis aſſeritur, qui vitam ſpiritualem ſemel acceptam peccato proprio perdere capaces ſunt; ita, ut votum ſaltem illius (ſicut Baptiſmi votum) neceſſarium ſit tunc;

cum

Digitized by Google

cum re accipi divinus ille cibus non poteſt. Quia tamen imbelles infantes proprio peccato eam deſtruere non poſſunt, nec proin medio tali præſervatrice indigent; idcirco de ſolis adultis neceſſitas illa aſſeritur; ejusque diſcriminis interpretem Eccleſiam falli neſciam habemus. *Quodſi inferas:* ſic omnium legum divinarum obſervationem fore medium ſalutis neceſſarium; vel certe votum illius ac propoſitum, quod ex æquo, ac votum baptiſmi in amore DEI ſubſtantiali gradu perfecto includitur: *repono: res in voto neceſſaria inſtar medii* dicitur, ſi *res ipſa* medium poſitivum ſalutis eſt, idemque neceſſarium in ſpecie ſua: tale medium autem neceſſarium non eſt ullius legis affirmativæ obſervatio actualis in ſpecie, exceptis legibus exercendæ fidei, ſpei, & caritatis theologicæ in adultis, item pœnitentiæ in peccatoribus: ex ceteris nulla eſt lex affirmativa, cujus obſervatio & obligatio actualis cadat in omnes adultos, ob occaſionis nempe defectum. Legum negativarum obſervatio cum in mera omiſſione actuum prohibitorum conſiſtat; poſitivum medium eſſe non poteſt, ſed ſolum excluſio impedimenti conſervandæ vitæ ſpiritualis: ergo *votum illius* quidem, in amore DEI incluſum, *neceſſarium* medium eſſe poteſt, ſed non res ipſa tale medium abſolute neceſſarium dici ſimpliciter poteſt; quia *medium* omnino non eſt. Ex adverſo ſoli *actus fidei* ſalutaris, *ſpei, & amoris DEI ſuper omnia medium in re neceſſarium* (non in voto ſolum) ſunt pro adultis omnibus: *pœnitentia in ſpecie* enim ſolum *in voto, vel in re, neceſſaria* eſt pro peccatoribus, ſicuti Baptiſmus; nimirum in re, ſi poteſt adhiberi; in voto, ſi non poteſt. Unde ſi eo pacto, nempe in re, vel in voto, quo res aliqua medium neceſſarium eſt, non adhibeatur alicui; talis, ſive ſciens,

ſive

ſive inſcius, ejus particeps non fiat, abſolute conſequi ſalutem non poteſt.

*** *Objicit 2'.) Calvinus*: DEUS Gen. XVII. 7. *ſtatuit pactum cum Abraham & ſemine ejus fœdere ſempiterno;* & hæc promiſſio ad Rom. IV. 17., ubi Abraham ab Apoſtolo dicitur *Pater omnium noſtrum, & multarum gentium*, etiam ad omnes chriſtianos, ceu fidei Abrahæ hæredes extendi oſtenditur. Ergo Deus liberos chriſtianorum etiam ſine Baptiſmo in gratiam ſuam recipit. *Reſp. nego conſeq.* Numquid enim tamen maſculi ex Judæis Abrahæ poſteris circumcidi debebant, ut fierent participes illius pacti divini? Ergo nec in chriſtianis ad participandum de hoc promiſſo divino ſufficit ſola nativitas carnalis ex parentibus fidelibus; ſed requiritur ſpiritualis regeneratio ex aqua & Spiritu ſancto, vi legis ſimilis a Chriſto conſtitutæ. Interim in ſenſu literali illud pactum pertinebat ad ſolos Judæos, nec importabat niſi promiſſum ſpecialis protectionis & felicitatis temporalis: ſolum autem in ſenſu myſtico extendi ad omnes etiam chriſtianos declaratur ad Rom. l. cit.

Addit Calvinus: Apoſtolum I. Cor. VII. 14. dicere: *ſanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem; & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt:* ergo liberi fidelium etiam ſine baptiſmo ſancti, id eſt, in gratia DEI ſunt eo ipſo, quod ex parentibus fidelibus geniti ſint. *Reſp.* Apoſtolus ſolum declarat, validum eſſe, & manere, matrimonium fidelis cum fideli, nec proinde ſolvendum, ſi absque injuria DEI in eo manere poſſit fidelis: aſſertumque probat ex eo; quia filii ex tali matrimonio nati communi ex ſenſu

non

non pro ſpuriis, ſed pro legitimis habentur. Unde Apoſtolo ſermo non eſt de interna ac ſpirituali ſanctitate, ſed de civili, politica, ac legali.

**** *Objiciunt* porro *Sociniani.* Baptiſmi neceſſitas negatur ab ipſo Chriſto dicente Marc. XVI. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur;* ubi ſoli fidei defectui, non baptiſmi, damnationem comminatur. *Unde* & Apoſtolus ad Rom. x. 9. ait: *ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod DEUS illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Reſp.* Baptiſmi in re ſuſcepti non eſt tanta neceſſitas in adultis, quanta eſt fidei; *concedo;* in voto, *nego.* Fides in adultis univerſe in re neceſſaria eſt; baptiſmus ſolum tunc, cum poteſt in re accipi; ſecus tantum in voto; & hæc ratio eſt, cur Chriſtus ſoli defectui fidei univerſe poſitivam damnationem intentaverit. Apoſtolus hic non determinat modum, quo fidei confeſſio fieri per ſe debet: Chriſtus vero ipſe inſtituit eam fieri baptiſmi receptione; ſiquidem poſſit.

***** *Objiciunt* item contra dicta §§. 461. 462. *S. Gregorius Naz.* in orat. 4. de Bapt., *Gennadius Maſſilienſis* Lib. de dogm. Eccleſ., *S. Fulgentius* Epiſt. 12. ſenſere, etiam in adultis non ſufficere votum Baptiſmi, in caritate contentum, ſed in re neceſſarium illis eſſe ipſum Baptiſmi Sacramentum, excepto ſolo caſu Martyrii. *Confirmatur* iſta ſententia ex eo, quod primis quinque ſeculis in Romana Eccleſia teſte S. Leone Epiſt. 82. ad Theodorum Forojulienſ. Epiſc., & in Hiſpania teſte Concilio II. Bracarenſi adhuc a. 563. c. 17., pro catechumenis ſine Baptiſmo defunctis

nec

nec preces, nec ſacrificia offerri conſueverint. *Sanctus* quoque *Ambroſius* L. de Myſt. c. 4. & *S. Auguſtinus* Tract. 18. in Joan. negant, catechumenum, etiamſi credat in Chriſtum, niſi Baptiſmum acceperit, accipere poſſe remiſſionem peccatorum.

Reſp. Etſi primo loco nominati ſcriptores Eccleſiaſtici hac in re paullo rigidius ſenſerint; tamen alii longe plures §. 461. citati cum integris Conciliis mitius ſenſere, idque convenienter ipſis ipſius Chriſti verbis. *Eccleſia Romana* ſexto ſeculo mutavit diſciplinam priorem nimis ſeveram, eoque ipſo docuit, priorem praxin ad diſciplinæ modum pertinuiſſe, non ex dogmate fidei fluxiſſe. Alia jam quarto & tertio ſeculo erat *Mediolanenſis* & *Africæ Eccleſiæ* diſciplina, ut ex argumentis allatis patet. *SS. Ambroſius* & *Auguſtinus* locis citatis aperte de iis catechumenis loquuntur, qui contemnunt, vel negligunt Baptiſmum ultro.

* * * * * * *Richardus Armacanus* Epiſcopus, & *Jacobus de Vitriaco* Hiſt. Occid. c. 3. dubitabant, an parvuli propter Chriſtum ab Herode occiſi, qui non erant circumciſi ob ætatem octiduo inferiorem, & parvuli chriſtianorum non baptizati, occiſi tamen ex ſimili odio erga Chriſtum a paganis, ſalvari potuerint. *Ceteri Theologi catholici* communiter tenent, eos martyrio ſalvos eſſe; inprimis quia Eccleſia ſine diſcrimine colit omnes infantes innocentes occiſos ab Herode; etſi veriſimiliter aliqui illorum adhuc fuerint circumciſi. *Interim* ad dogma fidei opinio iſta non attingit: quia circumciſio non ſola erat medium, nec per ſe requiſita ad remiſſionem originalis peccati (450. not.); nec Eccleſia determinate declarat, ſe colere etiam eos, qui-

bus

Digitized by Google

bus forte, excepta morte martyrii a lictoribus illata, nullum omnino remedium ſalutis a parentibus, vel aliis, ope fidei fuiſſet applicatum.

******** *Objiciunt* denique, qui votum parentum parvulis Chriſtianis prodeſſe poſſe exiſtimant; 1'.) parvulos per alienam voluntatem peccaſſe: ergo & alienam voluntatem bonam eis prodeſſe poſſe: 2'.) infantibus non circumciſis omnibus tempore legis antiquæ profuiſſe fidem parentum, externo quolibet ſigno eis applicatam: ergo etiam nunc prodeſſe: ſecus deterioris conditionis fore parvulos in lege gratiæ.

Reſp. ad 1.) Parvuli ſolum contrahunt peccatum originale *ex defectu* alienæ voluntatis; Adami videlicet, non promerentis gratiam ſuis poſteris; qui *defectus* itidem univerſe non niſi per alienam bonam voluntatem ſecundi & melioris Adæ in præſens ſuppleri poteſt, ſed nonniſi eo ſacramentali ſigno applicatam, quod Chriſtus ipſe ad hoc elegit, ac inſtituit. *Ad 2.)* Sapientiæ divinæ aliter viſum eſt; quæ, uti finem omnium optimum ſemper propoſitum habet, & media ad eum conſequendum item optima quovis tempore eligit; ita haud dubie viderit, tempore legis antiquæ uſum utilem talis remedii ſalutis pro parvulis valiturum ad conſervandam etiam in multis adultis extra gentem hebræam fidem in Redemtorem venturum; nunc vero abſolutam in parvulis neceſſitatem Baptiſmi plus valituram ad converſionem adultorum gentilium ad eam ipſam fidem Chriſti: & quia nobilior finis eſt ſalus adultorum per merita ad eam pervenientium, hanc protulit ſaluti parvulorum, nullo ſuo merito ſalvandorum.

464.

Digitized by Google

464.

Materia ad ablutionem in Baptiſmo neceſſaria ex Chriſti inſtitutione eſt omnis & ſola aqua naturalis. Dogma hoc fidei *probatur* 1'.) EX VERBO DEI SCRIPTO. Joan. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Ubi quidem Chriſtus (§. 451. n. 1. & 2.) clare v. 22. & ſeqq. legitur ipſe per diſcipulos baptizaſſe in aqua; ſicuti S. Joannes Baptiſta Apoſtolos quoque in aqua naturali ſemper baptizaſſe, leges in textibus §. 451. n. 4. & 6.: ſicut & univerſe baptiſmata Judæorum aqua ſimili fiebant; ut adeo Chriſtus, ſimpliciter *Baptiſmum* præſcribens, aliter quam de aquæ baptiſmo intelligi ab Apoſtolis non potuerit (453.).

Probatur 2'.) EX TRADITIONE ECCLESIÆ. *Juſtinus M.* in Apol. II. ait de catechumenis chriſtianorum: *deinde eo adducuntur, ubi ſunt aquæ. - - Nam in nomine - - in aqua tum lavantur. Tertullianus* de Bapt. librum incipiens ſcribit: *Felix Sacramentum aquæ noſtræ, qua abluti delictis priſtinæ cœcitatis in vitam æternam liberamur.* Et c. 4. *aquas a Spiritu ſancto ſanctificatas vim ſanctificandi* habere dicit. *S. Auguſtinus* Tr. 15. in Joan. *Tolle aquas,* ait; *non eſt baptiſmus.* Unde *Innocentius III.* Papa (cap. *Non ut apponeres.* de baptiſmo) baptiſmum ſalivæ aſperſione datum, *Gregorius IX.* ap. Raynald. ad a. 1241. n. 42. cereviſia collatum in Norvegia, *Eccleſia Alexandrina* arena adminiſtratum Judæo (teſte Joanne Moſcho in Prato ſpirit. c. 176. & Nicephoro L. III. Hiſt. c. 37.) abſolute invalidum declararunt. TRIDENTINUM Seſſ. VII. can. 2. denique edixit anathema aſſerenti, *aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi.*

* Ex

* Ex ſectariis ſupra §. 463. not. 1. recenſitis *Hermiani* teſte S. Philaſtrio, *ignem* loco aquæ adhibebant, ligamen umbilicale infantum comburentes; quia S. Joannes Baptiſta de Chriſto prædixit: *ille vos baptizabit Spiritu ſancto & igne.* Varii alii diverſis temporibus & locis credidere cum *Luthero* (in Colloq. Sympoſ. c. 17.) ſaltem in neceſſitate, quemlibet liquorem, qui balnei loco eſſe poteſt, aptum eſſe ad baptizandum; ſed ſemper rejectus eſt talis baptiſmus ab Eccleſia catholica.

** *Quidquid ergo ab naturalis aquæ natura differt, materiam baptiſmo præbere non poteſt:* & *ſiquid aquæ miſceatur ea copia, ut liquor in uſu communi uſualis aquæ naturalis nomen amittat, & uſum ad lavandum, qui aquæ alias proprius eſt; is liquor item ad baptiſmum ineptus eſt.* Applicare hæc principia ad praxin Theologi Practici, ſeu Moralis, officium eſt, non Dogmatici.

465.

Subſtantia actus Baptiſmi in ablutione conſiſtit, qua pars ſaltem aliqua corporis præcipua aqua naturali abluitur: accidentale autem quid eſt, ſive immerſione corporis in aquam, ſive aquæ infuſione, ſive aſperſione ejusdem in corpus, illa ablutio fiat.

Nam 1'.) IN SS. LITERIS actus ille a Chriſto inſtitutus non aliis nominibus exprimitur quam *baptiſmi* (§. 451. nn. 1. 2. 3. 4.), *ablutionis, lavacri aquæ, lavacri regenerationis* (ibid. nn. 5. & 6.). Atqui hæc omnia non niſi *ablutionem in genere* exprimunt, qua ſic tingitur res lavanda; prout ſufficit ad ſordes tollendas (452.).

Jam vero hoc fit, ſive immergatur res lavandæ, ſive ei aqua infundatur, ſive aſpergatur.

2°.) Praxis ipſa Ecclesiæ, inde a temporibus Chriſti & Apoſtolorum uſitata, promiſcue adhibitam nunc immerſionem, nunc infuſionem, & aſperſionem docet. Nam a) cum Chriſtus ipſe a S. Joanne Baptiſta immerſione baptizatus fuerit (Matth. III. 16. enim, *poſtquam baptizatus fuit*, dicitur *aſcendiſſe de aqua*) & ejus diſcipuli in vicinia eadem in *Ænnon juxta Salim* cum S. Joanne Baptizaſſe legantur Joan. III. 23. (451. n. 2.) & etiam Eunuchus cum Philippo Diacono ad recipiendum Baptiſmum *deſcendiſſe in aquam* legatur Act. VIII. (ib. n. 4.) : extra dubium eſt, Apoſtolos ut plurimum ſaltem *immerſione* baptizaſſe. Tum vero *primis ſeculis in Baptiſmo ſaltem ſolenni uſum immerſionis vulgarem* fuiſſe, *de Eccleſia græca* teſtes ſunt *S. Juſtinus M.* Apol. II. *S. Cyrillus Jeroſ.* Catech. II., *S. Baſilius* L. de Spiritu ſancto. c. 27. *S. Chryſoſtomus* Hom. VI. in Ep. ad Coloſſ., & omnes *Libri Rituales græcorum* teſte *Goario* in Euchol. pag. 355. & 365. & *Arcudio* L. X. de Sacram. c. 7. : *de Eccleſia Latina* idem teſtantur *Tertullianus* L. de corona militis. c. 3. *S. Cyprianus* Epiſt. 76. ad Magnum, *S. Ambroſius* L. de Sacram. II. c. 6. *S. Hieronymus* adv. Lucif. *S. Gregorius M.* L. I. Epiſt. 43. *Ordo Romanus*, & qui de divinis Officiis ſcripſere ſeculo IX., *Alcuinus*, *Amalarius*, *Walafridus Strabo.* De eodem uſu adhuc ſeculo XI. teſtantur *Fulbertus Carnotenſis* Epiſt. 1. ad Adeodatum, & *Petrus Damianus* L. IV. Epiſt. 35. & Seculo XIII. *S. Thomas Aquinas* 3. p. q. 66. a. 7. & *S. Bonaventura* in IV. diſt. 3. q. 1.

Digitized by Google

De infuſione aquæ, vel *aſperſione*, adhibita exempla veriſimilia vel in SS. literis non deſunt. Sic *primo* S. Petrus Act. II. & Act. IV. nunc tria, nunc quinque millia hominum baptizaſſe legitur; quod perveriſimile eſt, aſperſione, vel infuſione, non immerſione, factum eſſe. *Deinde* cum privatim S. Paulus Act. VI. cuſtodem carceris cum tota domo ſua noctu baptizavit: quod ſæpius factum inſtante perſecutione. *Rurſus* clinicos, id eſt, decumbentes in lectos, infuſione baptizatos fuiſſe, patet ex epiſt. 76. S. *Cypriani* ad Magnum; a quo de talis baptiſmi valore conſultus fuerat. *S. Laurentius Martyr* S. Romanum militem aqua ex urceo effuſa baptizaſſe legitur, teſte *Walafrido* L. de rebus Eccleſ. c. 26.; qui addit, hoc *etiam tunc evenire ſolere; cum provectiorum granditas corporum in minoribus vaſis hominem tingi non patitur.* Præterea plures *Confeſſores* primum in carcere baptizati fuiſſe leguntur.

* Ceterum quod *Magnus* ille Epiſcopus, S. Cyprianum conſulens, quin ipſe S. Cyprianus ex parte in reſponſoria Epiſtola, de valore Baptiſmi, *clinicis* perfuſione aquæ conceſſi, dubitarint, vel certe affirmate nihil inſtar legis de eo edicere auſi fuerint; indicium ſolum eſt, quæſtionem iſtam id ætatis nondum fuiſſe ex inſtituto examinatam: in quo caſu vulgo, dum nova nobis quæſtio proponitur, non audemus ita ſecure ſententiam primi pronuntiare. Poſtea tamen baptiſmus iſte a pluribus Synodis pro valido agnitus eſt, puta a. 314. a *Neocæſareenſi* can. 12., a. 578. ab *Antiſſiodorenſi* can. 18., a *Matiſconenſi* a. 585. can. 3. &c. &c. *S. Cornelius Papa* baptiſmum ſimilem *Novatiano* collatum in lecto non invalidum judicavit; ſed ſolum cum

tota *Romana Synodo* improbavit; *tum* quod non more tunc in Eccleſia conſueto ſimul Sacramenta Confirmationis & SS. Euchariſtiæ accepiſſet Novatianus; *tum* quod inſuperhabita irregularitate, quæ id ætatis ex Baptiſmo tali ſecundum leges canonicas contrahebatur, ſimulata pietate obrepſerit ſuo Epiſcopo in accipiendo ordine presbyteratus, obſiſtente toto reliquo claro. Porro irregularitatis, pro baptizatis in lecto ſtatutæ, hæc ratio a Synodo Neocæſareenſi can. 12. datur: *quia non ex propoſito fidei illorum, ſed ex neceſſitate deſcendit* talis baptiſmus.

466.

Trina ablutionis repetitio, etſi inde ab Apoſtolis obſervata in utraque Eccleſia græca, & latina, ad ſubſtantiam Baptiſmi tamen non pertinet; ſed valet etiam unica ablutione datus Baptiſmus. De traditione hac *Apoſtolica* expreſſe teſtantur *Tertullianus* L. adv. Praxeam c. 26. *S. Baſilius* L. de Spiritu ſancto c. 27. *S. Hieronymus* adv. Lucif. *Theodoretus* L. IV. hæret. fab. c. 3. *Quod* tamen *ad ſubſtantiam non pertineat, probatur* 1'.) *quia* Chriſtus aliud non præſcripſiſſe legitur, quam ut *baptizarent eos &c.*, non ut *ter* abluerent: 2'.) *quia S. Auguſtinus* tract. 80. in Joan. circa finem ait: *Hoc verbum DEI tantum valet in Eccleſia DEI, ut per ipſum tingentem etiam tantillum mundet infantem.* 3'.) *Quia*, cum ſeculo VI. Hiſpaniarum Epiſcopi loco trinæ immerſionis unicam adhibere cœpiſſent in odium Arianorum, qui ex ea petebant argumentum adverſus SS. Trinitatis conſubſtantialem naturæ unitatem; *S. Gregorius M.* circa id conſultus a *S. Leandro* Hiſpalenſi Epiſcopo, in Epiſt. 43. reſponſoria id minime improbavit; ſed potius reſcripſit: *reprehenſibile eſſe nulla-*

Digitized by Google

nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere; quando & tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. S. Gregorii judicium confirmavit *Concilium Toletanum IV.* cap. 6. & *Wormatienſe* can. 5. Porro Epiſtolam illam S. Gregorii genuinam eſſe, ex his ipſis Conciliis & ex *S. Iſidoro* in catal. Vir. illuſtr. eam recenſente, abunde patet: ut adeo non niſi ex præjudicio præconcepto adverſus doctrinam in ea contentam *Alcuinus* eam in ſuſpicionem falſitatis traxerit, & Hiſpanos illos Epiſcopos erroris accuſarit.

Opponit Alcuinus iſte 1'.) eo ipſo, quod teſtibus prædictis ad traditionem Apoſtolicam referatur trina ablutio, eſſentialem eſſe: 2'.) *S. Chryſoſtomum* Hom. de fide ſcribere: *Dominus in trinis merſionibus aquæ unum baptiſma diſcipulis ſuis tradidit.* 3'.) *Pelagium II.* in Epiſt. ad Gaudent. ſcribere ſimiliter: *ipſo DEO & Domino noſtro JESU Chriſto tradente admonemur, in nomine Trinitatis trina etiam immerſione Baptiſma unicuique tribuere:* 4'.) Baptiſmum ab *Eunomio* ſimplici immerſione datum reprobatum fuiſſe a *Concilio Conſtantinopolitano I.* can. 7.: 5'.) Per trinam immerſionem debere ſignificari myſterium ſepulturæ Chriſti, qui tribus diebus in ſepulcro jacuit. *Reſp. ad* 1. Non omnis traditio Apoſtolica ad dogma, vel inſtitutionem divinam, pertinet; ſed ſubinde ſolum ad diſciplinam ab Apoſtolis ipſis introductam. *Ad* 2. *Chryſoſtomus* ibi quidem *unum baptiſma* a Chriſto traditum dicit; etſi Eccleſia *in* eo *trina immerſione* utatur; non tamen dicit, tres immerſiones a Domino etiam traditas fuiſſe. *Ad* 3. *Pelagius II.* ſolum vult, *admoneri* Eccleſiam (non juberi lege Chriſti) ut

 ipſa

Digitized by Google

ipſa lege Eccleſiaſtica adhibeat trinam immerſionem; quia nempe Chriſtus ablutionem fieri juſſit in nomine SS. Trinitatis. Reprobat autem reipſa Baptiſma *Bonoſiacorum*, formam adulterantium, nec invocantium SS. Trinitatem. Sufficit vero hanc in forma exprimi. *Ad* 4. *Eunomius* trinam immerſionem omiſit; ne videretur ſignificare per eam fidem Trinitatis, quam negabat; & ideo etiam ſine iſtius invocatione baptizabat in mortem Chriſti. Merito ergo rejectus eſt ejus Baptiſmus. *Ad* 5. Baptizamur in ſignum ſepulturæ Chriſti, quam etiam unica merſione exprimimus; ſed trium dierum ſignificatio nulla lege Chriſti conſtituta eſt. Apoſtolus enim ad Rom. VI. ſcribens v. 3.: *quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem:* non niſi id vult, quod in ſimilitudinem & repræſentationem mortis & ſepulturæ Chriſti in baptiſmo velut ſub aqua ſepeliamur, ut ſic admoneamur, nos mori peccato per baptiſmum, & per gratiam cum Chriſto ad ſpiritualem vitam reſurgere.

* *Ritus Baptiſmi in veteri Eccleſia* circa immerſionem obſervatus ſequens erat. Baptizandi ad baptiſteria, prope fores Eccleſiæ erecta, ſuisque officinis inſtructa, accedebant. In ipſo acceſſu adhuc ſub porticu, ad occidentem converſi, protenſa manu Satanæ renuntiabant. Tum veſte omni toto corpore nudati, ſeparatim viri a feminis tempore & loco, ut plurimum ſub tenebras crepuſculi, velo etiam lucem a baptiſterio excludente, deſcendebant in aquam, & a miniſtris appoſita manu vel ſupra caput, aut humeros, vel infra ſcapulas ſuſtentati, ter in aquam toto corpore immergebantur, pronuntiata interim ad immerſiones forma, & per-

& perſonis SS. Trinitatis ſingulis ad immerſiones ſingulas invocatis. Miniſtros in hoc munere circa adultos juvabant *patrini*, vel *Diaconi*, ſi vir eſſet, qui baptizaretur; *patrinæ* & *diaconiſſæ*, ſi femina; a quibus & egredientes e fonte veſtiebantur velo, *Sabanum* dicto, & ſic veſte candida deinde induebantur.

467.

Ablutioni aqua factæ conjungenda eſt prolatio formulæ, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *ceu itidem pertinens ad ſubſtantiam Sacramenti Baptiſmi.* Nam 1'.) CHRISTI INSTITUTIO & mandatum Apoſtolis datum Matth. ult. 19. ſic habet: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Hujus inſtitutionis interpretes, imo verbalis ſuper ea explicationis ulterioris a Chriſto acceptæ teſtes ac veluti depoſitarii alii eſſe authentici non poſſunt, quam tum ipſi *Apoſtoli*, tum ſummi *paſtores Eccleſiæ Chriſti*, qui in regendis Eccleſiis chriſtianis, & ſpeciatim adminiſtrando fidelibus ſumma auctoritate hoc remedio ſalutis ſumme neceſſario, proxime, aut mediate, Apoſtolis ſucceſſere; ipſa denique *univerſalis Eccleſia DEI*, in rebus ad ſalutem abſolute neceſſariis ſemper ex promiſſo Chriſti regi ſolita a Spiritu ſancto (Loc. Theol. §. 95.). Atqui tam Apoſtoli, quam reliqui poſt eos ſecuti paſtores Eccleſiarum, totaque DEI Eccleſia ſemper & baptizarunt ſub integra illa formula, & invalidum ſine illa habuere quemlibet baptiſmum. Id quidem 1'.) *teſtantur omnes libri rituales* omnium occidentalium Eccleſiarum, nominatim Eccleſiæ Romanæ, puta *Sacramentarium S. Gregorii M.* Tr. III. p. 73., *Ordo Romanus &c.*;

 omnia

omnia item *Euchologia* Græcorum, Syrorum, & Ægyptiorum, ab Arcudio, Goario, Mabillonio, Martene, & Thomaſio, collecta. In viginti quatuor vetuſtiſſimis ordinibus baptizandi a Martene de Ant. rit. l. I. c. 1. a. 18. recenſitis ubique legitur integra illa forma, & ſolum in uno Manuſcripto Cameracenſi, trecentis abhinc annis exarato, vox *baptizo* invenitur omiſſa. *Teſtatur* idem illud dictum Apoſtoli Act. XIX., ubi cum interrogaſſet fideles quosdam recens converſos, an Spiritum ſanctum accepiſſent, & illi reſponderent: *neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus*; mox ſubdit: *in quo ergo baptizati eſtis?* quæ interrogatio clare ſupponit, formam illam invocationis trium Perſonarum Deitatis in baptiſmo jam inde ab Apoſtolis voce proferri conſueviſſe. Pariter l. Cor. I. urgens S. Paulus ob ſchiſma inter Corinthios exortum; quorum aliqui dicebant, ſe eſſe Pauli, alii Cephæ &c.; *nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis*; ſatis innuit, voce prolatis verbis *in nomine Patris &c.* baptiſmum conferri ſolitum fuiſſe. *Adde*: Sacramenta publica ſignis quoque publicis probe determinatis conſtare debere.

Teſtantur 2°.) *de vocali invocatione SS. Trinitatis* ſingillatim Scriptores Ecclesiastici inde a primis ſeculis. *S. Juſtinus M.* Apol. II. *In nomine rerum cunctarum parentis*, inquit, *& Domini DEI, & Servatoris noſtri JESU Chriſti, & Spiritus ſancti in aqua tunc lavantur.* Addit: ſuper baptizando *DEI nomen nominari.* *Tertullianus* L. de Baptiſmo c. 3. *Lex tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: ite, inquit, docete nationes, tingentes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Et L. adv. Praxeam c. 26. *Mandavit, ut tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: non*

in

in unum; nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur. S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubaj. *Quomodo quidam dicunt,* ait, *gentilem quomodocunque, modo in nomine Jeſu Chriſti baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe; quando ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate. S. Baſilius* de S. Spiritu c. 12. *Fides perficitur per Baptiſmum; Baptiſmus vero fundamento fidei nititur; & utraque res* PER HAS VOCES *impletur. Sicut enim credimus in Patrem &c., ſic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. S. Auguſtinus* L. VI. de Baptiſmo c. 25. *Certa ſunt,* ait, *verba Evangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari baptiſmus.* Quæ vero ſint iſta verba, declarat L. III. c. 15. dicens: *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum. Denique* hæc unica ſemper fuit Eccleſiæ univerſæ regula in approbando, vel reprobando hæreticorum Baptiſmo, ut attenderet, an hæc forma a Chriſto præſcripta, obſervata, an corrupta fuerit. Ideo juſſit *Nicænum I.* rebaptizari *Paulianiſtas*, *Arelatenſe II. Photinianos*, *Conſtantinopolitanum I. Eunomianos* & *Sabellianos &c.* Idemque omnibus hæreticis adeo perſuaſum fuit, ut illi, teſte Irenæo L. I. 18., verba quædam ſemper adhibuerint.

Adde, Alexandrum III. Papam edita Conſtitutione, quæ habetur in Extrav. *De Baptiſmo & ejus effectibus.* cap. *Siquis.* definiviſſe in hunc modum: *Siquis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen; & non dixerit: ego te baptizo &c. puer non eſt baptizatus.* Edita eſt hæc conſtitutio ea ipſa ætate (id eſt, ante annum 1181., quo obiit Alexander III.) qua fervebat in Gallia inter *Stephanum Tornacen-*

Digitized by Google

ſem & *Mauritium Pariſienſem* Epiſcopum diſceptatio de hac ipſe re; Stephano affirmante, Mauritio negante, eſſe validum Baptiſmum ſine voce *Baptizo te*, aut alia æquivalente, collatum. Stephano adſtipulabantur Hugo a S. Victore, Petrus Cantor, & ipſe Petrus Lombardus, Scholæ Pariſinæ Doctores. Cumque ſeculo ſuperiore proximo finiente quis poſt hæc defendere auſus eſſet, *aliquando* (nempe ante Alexandri III. contrariam conſtitutionem) *valuiſſe Baptiſmum prætermiſſis iſtis verbis, ego te baptizo;* quaſi vero ſola conſtitutione Alexandri III., non vi inſtitutionis Chriſti, invalidus ſine his verbis baptiſmus foret; continuo Alexander VIII. a. 1690. eam propoſitionem inter alias n°. 27. damnavit. Et vero *Ritualia* omnia ex æqua vocem iſtam atque invocationem SS. Trinitatis præſcribunt.

* *Dicunt* 1°.) illud *in nomine* non eſſe idem atque *in invocatione Patris &c.*, ſed *in virtute & fide &c.*: ſicut, cum in Actis Apoſtolorum leguntur Apoſtoli baptizaſſe *in nomine Chriſti*, non eſt ſenſus alius, quam id factum eſſe in virtute & fide Jeſu Chriſti, non in invocationn nominis ejus. *Reſp.* Non vim argumenti ponimus in iſta voce, ſed in traditione Eccleſiæ, & interpretatione verborum Chriſti inſtituentis baptiſmum ceu medium ſalutis neceſſarium. *Dicunt* 2°.) SS. Patres, cum de validitate Baptiſmi agebatur, ſolliciti tantum erant de verbis iſtis, *in nomine Patris &c.*, non de alteris, quibus actio miniſtri exprimitur, *ego te baptizo. Reſp.* Id ideo factum; quia hæretici priora tantum, non iſta, adulterabant.

** Ceterum vox *ego* ad valorem neceſſaria non eſt. Pariter, uti nulla lingua præ alia a Chriſto præſcripta

ſcripta eſt; ita etiam ſynonima vox loco alterius, ex. gr. *abluo* pro *baptizo*, ſubſtituta valorem baptiſmi non tollit; etſi gravis temeritas foret in re tam ſacra voces ab Eccleſia generali lege præſcripta temere mutare.

*** Ex hoc ipſo conſectaneum eſt, formam antiquam græcis uſitatam, *baptizatur ſervus, vel ſerva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, certo validam eſſe; id quod & declaravit *Eugenius IV.* in Decreto ad Unionis, item *Leo X.* in Bulla *accepimus.* an. 1521. & *Clemens VII.* in Bulla *Proviſionis noſtræ.* an. 1526. Ratio eſt, quia a forma Latinorum quoad ſubſtantiam non differt; cum perſona baptizans *(a me)* facile ſubintelligatur.

**** *S. Thomas Aquinas* 3. p. q. 66. a. 6. exiſtimavit, eo quod in Actis Apoſtolorum pluribus locis (§. 451. n. 4. & 5.) legantur Apoſtoli baptizaſſe *in nomine Jeſu Chriſti*, eos ex diſpenſatione quadam ſub ſola invocatione SS. Nominis JESU baptizaſſe, ad majorem commendationem ac celebrationem nominis Chriſti inter primos chriſtianos promovendam; ſed ſublata deinceps cauſſa iſta, etiam diſpenſationem ceſſaſſe, & ab eo tempore invalidum eſſe baptiſmum ſine totius SS. Trinitatis invocatione collatum. Alii ex ſcholæ Doctoribus, nominatim *Hugo a S. Victore* L. II. de Sacram. P. VI. c. 2. *Magiſter ſententiarum* L. IV. Diſt. III. Lit. E., *Hadrianus* VI. in Operum IV. q. 2. de Bapt. operum ſuorum a. 1522. eo Romæ ſedente excuſorum, & *Cajetanus* in Commentariis (ex quibus tamen in editione altera juſſu Pii V. Papæ ſententia hæc expuncta fuit) docuere, etiam nunc valere Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum. *S. Bernardus* Epiſt. 403. ad Henri-

Digitized by Google

Henricum Archidiaconum ſenſit valere etiam Baptiſmum ſolum generice *in nomine DEI & S. Crucis* collatum.

At enim 1'.) quid opus erat illa diſpenſatione? Nunquid præmiſſo catechiſmo celebritati nominis Chriſti in catechumenis, prædicatione Evangelii in infidelibus, abunde conſulebatur? ſicut hodie ſine id genus diſpenſatione eidem inter infideles nationes conſulitur. 2'.) Argumenta hoc ipſo §. allata falſitatem utriusque ſententiæ abunde evincunt. 3'.) *SS. Patres* conceptis verbis negant, Apoſtolos, eo quod legantur baptizaſſe in nomine JESU, intelligendos eſſe baptizaſſe ſub invocatione *ſolius* nominis Jeſu. Nam *S. Cyprianus* in Ep. 73. ad Jubaj. in illud ipſum Act. II, 38. commentans (451. n. 4.), ait: *JESU Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur; ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* *S. Baſilius* L. de Spiritu ſancto cap. 12. cui titulus, *Adverſus eos, qui dicunt ſufficere Baptiſma tantum in nomine Domini*, ex inſtituto iſtam ſententiam refutat, docetque, inane eſſe argumentum ex eo petitum, quod Apoſtoli *in nomine Jeſu baptizaſſe* legantur: *oportet enim*, ait, *inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data eſt. . . Sicut enim credimus in Patrem & Filium &c.; ſic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* *Dydimus Alex.* L. II. de ſancto Spiritu non longe ab initio, *non arbitror*, inquit, *quemquam tam inſanum futurum, ut perfectum baptiſma putet, quod datur in nomine Filii, non appoſito vocabulo Patris, aut ſine aſſumtione Spiritus ſancti. Qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat; penitus a peccatis liberare non poterit, quos a ſe baptizatos exiſtimaverit.* Similia leges & pari cum emphaſi doctrinæ indubitatæ

apud

Digitized by Google

apud *Origenem* in VI. ad Rom., apud *S. Auguſtinum* L. II. contra Maximum Arianum cap. 17., *Ven. Bedam* Lib. var. quæſt. q. 14., *S. Joannem Damaſc.* L. IV. orthod. fid. c. 10. *Baptiſmus* ergo *in nomine Chriſti* idem eſt, ac Baptiſmus ſecundum inſtitutionem & legem Chriſti collatus, cum profeſſione quidem fidei & fiduciæ in Chriſtum jam præſentem (*ablue peccata tua invocato nomine ipſius.* Act. XXII.: *Si credis ex toto corde; licet. Et reſpondens* Eunuchus *ait: credo Filium DEI eſſe Jeſum Chriſtum, . . & baptizavit eum.* Act. VIII.) item in virtute & auctoritate Chriſti, ſicuti S. Petrus claudo Act. III. 6. dixit: *in nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Sic enim opponebant Apoſtoli Baptiſmum Chriſti baptiſmo S. Joannis; qui a Joanne inſtitutus erat, cum adhortatione fidei in Chriſtum venturum, & ſine ſpeciali virtute & auctoritate legis. Unde communiter hodie improbabiles iſta ſententia a Theologis catholicis habetur; ac proinde aſſertio contraria hic a nobis propugnata ſaltem *proxima fidei* eſt.

***** *Objicitur* vero 1°.) quosdam *ex SS. Patribus* tenere, Apoſtolos in ſolo nomine Jeſu baptizaſſe, nominatim *S. Hilarium* L. de Synod., *S. Baſilium* L. V. adv. Eunom. c. 3., *S. Ambroſium* L. I. de S. Spiritu c. 3. *Reſp. negando* omnia. *S. Hilarius* l. cit. probare intendit contra Arianos, Scripturæ teſtimonia, in ſpeciem inter ſe pugnantia, reipſa non pugnare; ſed combinanda inter ſe eſſe, ac pro hujus rei exemplo aſſerendo porro addit: *Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti juſſi, tantum in nomine JESU baptizarunt.* Supponit ergo S. Hilarius pro certo, non ita hoc intelligendum eſſe, quod in ſolo JESU nomine baptiza-

ptizarint; ſecus enim *in crimine repertum iri.* *S. Ambroſius* l. cit. non agit de forma Baptiſmi, ſed tantum de fide baptizandi, & cum Apoſtoli leguntur baptizaſſe in nomine Chriſti, id explicat fuiſſe factum ſub ſolius fidei in Jeſum Chriſtum expreſſa profeſſione; qualis ex. gr. fuit illa Eunuchi Act. VIII.; aitque ſufficere talem profeſſionem, ut plenum ſit fidei ſacramentum; modo reliquas duas perſonas quis corde non abneget. *Si unum*, ait, *in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum neges, plenam eſt fidei Sacramentum.* Nota: *plenum eſt fidei ſacramentum*, inquit; non baptiſmi. Econtra L. de iis, qui initiantur, forma clariſſime pronuntiat: *credit catechumenus in crucem Domini JESU: ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* *S. Baſilii* mens ex citato a nobis textu extra omnem ſuſpicionem eſt.

Objicitur 2°.) *S. Stephanus I.* Papa ab a. 255., & *Nicolaus I.* ab a. 858. Romæ ſedentes, ratum habuere baptiſma in nomine ſolo Chriſti collatum. De primo teſtis adducitur *S. Cyprianus* Epiſt. 73. ad Jubaj. ſcribente inter alias contra S. Stephanum querelas: *quomodo quidam dicunt, foris extra Eccleſiam, modo in nomine JESU Chriſti, ubicunque & quomodocunque gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe; quando ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?*

Idem teſtantur *Acta Martyrii* hujus S. Pontificis, nempe in nomine D. N. J. Chriſti illum baptizaſſe in crypta Nepotiani centum & octo, tum viros, tum mulie-

mulieres. *Nicolaus I.* interrogatus de Judæo, multos baptizante, reſpondit Bulgaris eum conſulentibus: *ſi in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (unum quippe idemque eſt, ut S. exponit Ambroſius) conſtat, eos non denuo eſſe baptizandos.* *Reſp.* S. Cyprianus ſolum ſcribit, *quidam dicunt:* ergo incertum eſt, an de S. Stephano hoc referat. Si *de Stephano* loquitur, male ejus mentem in æſtu controverſiæ vel expoſuit, vel intellexit; quippe qui ſolum dicere volebat, modo Baptiſmus Chriſti conferretur (quod per illud *in nomine* intelligebat) perinde eſſe, ubi, & a quo &c. Certe Stephanus, *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, pro generali regula reſcripſit; quam ipſe utique ſibi commendatam habuerit. In illis ipſis *Actis Martyrii* S. Pontificis refertur expreſſe, *Nemeſium* Tribunum a Stephano baptizatum eſſe *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti;* ergo idem intelligendum eſt, ſi dicatur baptizaſſe *in nomine Chriſti. Nicolai I.* reſcriptum ambiguum ſaltem eſt. Optime tamen Harduin (*Diſſert. de Baptiſmo in nomine JESU*) probat, de fidei poſſeſſione ex parte baptizati loqui *Nicolaum*; uti de hac ſola certo & aperte *Ambroſius* loquebatur, quem ille citat: maxime cum mox item *Auguſtinum* Nicolaus alleget, dicentem: *ad baptiſmum, qui verbis Evangelicis conſecratur, non pertinere dantis, vel accipientis errorem.* Sed, etſi revera ita ſenſerit, ut objicitur; reſcriptum illud ſolenne & dogmaticum non fuit, ſed privati Doctoris. Neque enim generalem Eccleſiam ad id credendum obligavit. Vide dicta in Loc. Theol. §§. 170. 171.

****** Ex his porro patet, invalidas eſſe formas ſequentes: 1.) *ego te baptizo te in Patre, & Filio, & Spi-*

& Spiritu ſancto : 2.) ego te baptizo te in nomine Jeſu Chriſti. Dubiæ ſaltem ſunt : *baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus ſancti ;* quia unitas eſſentiæ DEI non exprimitur, aut : *baptizo te in nomine SS. Trinitatis ;* quam Maldonatus putavit eſſe validam. Particula *&* omiſſa valorem non tollit ; quia ipſa nomina *Patris*, Filii &c., diſtinctionem perſonarum ſatis indicant. Si plures ſimul baptizarentur dicendo, *ego vos baptizo in nomine Patris & Filii &c.*, validus erit baptiſmus.

******* Atque ex hucusque dictis denique recte ſtatuitur *definitio Baptiſmi*, quod ſit Sacramentum ſpiritualis regenerationis per ablutionem aquæ & verba a Chriſto Domino præſcripta (457. 464. 465. 467.).

468.

Chriſtus ipſe Miniſtros Baptiſmi cum proprio officio conſtituit ſolos Apoſtolos ; poſtquam jam in cœna ultima, & Joan. XX. 21. *dicens :* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c., *eos Epiſcopos conſecraverat : ac proinde ex propria poteſtate* (Dem. cath. §. 34.) *miniſtri Baptiſmi ſunt ſoli Epiſcopi.*

Probatur 1°.) EX VERBIS CHRISTI, qui Matth. ult. 19. ad ſolos undecim Apoſtolos *in Galilæam abeuntes, in monte, ubi conſtituerat illis Jeſus* (v. 16.), dixit : *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.*, nec uſpiam ſimile quid dixit alteri cuiquam. Certe *munus proprium docendi* ibi ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis (Dem. cath. §. 180. n. 2. lit. b.) commiſit : ergo & baptizandi.

Probatur 2°.) EX SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS ET PRAXI PRIMI ECCLESIÆ. *S. Ignatius M.* Epiſt. ad Smirn. ſcribit : *non eſt licitum ſine Epiſcopo baptizare. Tertullianus* L. de Bapt. c. 17. *Dandi* (baptiſmi) *jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſalvo ſalva pax eſt.* Ibidem baptizandi munus vocat *dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus. S. Ambroſius* (vel certe auctor antiquus, quisquis eſt, hujus operis) L. III. de Sacramentis c. 1. *audiſtis*, inquit, *lectionem. Succinctus eſt Sacerdos : licet enim Presbyteri fecerint; tamen exordium miniſterii a ſummo eſt Sacerdote. S. Hieronymus* adv. Lucif. *Inde venit*, inquit, *ut ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi.*

Ex praxi primæ Eccleſiæ, cùm adhuc Baptiſmi adminiſtratio certis anni diebus, Pervigiliis videlicet Paſchatis & Pentecoſtes, affixa erat, ſoli Epiſcopi ut plurimum Baptiſmum adminiſtrabant ; uti conſtat *ex Epiſtola Cleri Edeſſeni* ad *Photium* & *Euſtatium*, in qua rogat remitti ſibi *Ibam* Epiſcopum ſuum; quia *feſtivitate ſalutifera ſancti diei Paſchalis imminente propter eos, qui digni ſunt ſancto Baptiſmate, opus eſſet ejus præſentia : ex vita S. Ambroſii* a S. Paulino conſcripta: *erat*, inquit hic, *in rebus divinis fortiſſimus, in tantum, ut, quod ſolitus erat circa baptizandos ſolus implere, quinque poſtea Epiſcopi vix implerent :* ex *S. Gregorii* Epiſt. 33. L. I. ad *Romanum* Italiæ Exarchum, a quo *Blondus* Hortenſis Epiſcopus Ravennæ detinebatur : *infantes*, ſcribit, *ſine baptiſmo moriuntur.* Teſte *Concilio Toletano* an. 694. celebrato unicum ſolum Baptiſterium in unaquaque civitate prope cathedralem Eccleſiam erat.

Indeque eſt, quod hodiedum Florentiæ, Piſis, Parmæ, Patavii, Bononiæ, in ſolis Baptiſteriis cathedralis Eccleſiæ infantes baptizari ſoleant.

* Enimvero inſigne argumentum, Parochorum officium tantum eſſe delegatum, non proprium (Demonſt. cath. §. 185. §. 178. not.)

469.

Interim jam inde a primis ſeculis conſuevere Epiſcopi officium etiam ordinarium Baptizandi, etiam ſolenni ritu, ſubinde delegare Presbyteris (Dem. cath. §. 34.). Patet ex teſtimoniis §. præc. n. 2. allatis. Præterea *in Canone* 50. eorum, qui *Apoſtolici* dicuntur, quos certum eſt, ex conciliis primorum ſeculorum collectos fuiſſe, ſtatuitur: *Siquis Epiſcopus, aut Presbyter, non trinam merſionem unius myſterii celebret, . . deponatur.* In L. III. Conſtit. S. Clementis c. 11. legitur: *reliquis clericis poteſtatem baptizandi non facimus, niſi tantum Epiſcopis & Presbyteris. Innocentius I.* ſec. V. ineunte ad Decentium ſcribit: *Presbyteri ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent. Palladius* in vita S. Chryſoſtomi refert, *ejus Presbyteros eos, qui in fide inſtructi erant, ut moris eſt, in Paſcha baptizaſſe.* Inde eſt, quod *Eugenius IV.* in Decreto ad Armen. univerſe dicit: *Miniſter* Baptiſmi *eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare;* ex proprio nempe, ut Epiſcopis, vel delegato, ut parochis.

470.

Diaconis non officium vulgo, ſed ſolum actum baptizandi extra ordinem delegati convenit. Diaconi enim

Digitized by Google

enim omne officium proprium & ordinarium eſt miniſtrare Sacerdotibus in adminiſtratione Sacramentorum, non autem ipſosmet perficere Sacramenta (Dem. cath. §§. 186. 187.). Unde rotunde *S. Epiphanius* hæreſi 79. n. 4. *Neque Diaconis*, ait, *ullum in Eccleſiaſtico ordine Sacramentum perficere conceditur.* Vide dicta *Tertulliani* & *S. Hieronymi* §. 468. *Gelaſius I.* Papa ſimiliter in Ep. 9. ad Epiſc. Lucaniæ ſcribens ſtatuit: *Absque Epiſcopo, vel Presbytero,* (Diaconi) *baptizare non audeant; niſi prædictis ordinibus fortaſſis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat.* Item *S. Iſidorus* L. II. de officiis c. 4. *conſtat*, inquit, *Baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe tractandum, ejusque miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum absque Epiſcopo, vel Presbytero; niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat.* Simili in caſu Act. VIII. legimus *Philippum* Diaconum baptizaſſe Samaritanos prædicatione Evangelii a ſe converſos, & Eunuchum reginæ Candacis: cum nempe (v. 1.) *facta eſſet perſecutio magna in Eccleſia* (poſt lapidatum S. Stephanum) *quæ erat Jeroſolymis; & omnis diſperſi eſſent per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos. Saulus autem devaſtaret Eccleſiam &c.* Ad Eunuchum vero vocatus eſt ſpeciatim ab Angelo v. 26. Unde quod in Pontificali Romano Epiſcopus ordinans dicit Diaconis, *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare;* eo ſenſu intelligi debet, ſi ad hoc miniſterium vocentur a Sacerdote, vel Epiſcopo. Unde Diaconus ſine delegatione tali ſolenniter baptizans fit irregularis per c. 1. *de Clerico non ordinato.*

471.

In caſu tamen extremæ neceſſitatis, item in quovis caſu, quo quis ſolum colorato titulo putat, ſe habere jus & poteſtatem baptizandi, valide & licite adminiſtrare baptiſmum quilibet poteſt, ſive homo laicus ſit, ſive vir, ſive mulier, ſive fidelis, ſive infidelis: ſeu quod ſummi paſtores Eccleſiæ lege univerſali, jam ab Apoſtolis conſtituta, eidem pro tali actu delegent ſuam poteſtatem valide ex conceſſione Chriſti; ſeu quod Chriſtus ipſe pro tali caſu ſpeciali omnes cujuscunque ſtatus & ſexus homines in miniſtros admiſerit. Probatur unice EX COMMUNI SENSU ECCLESIÆ CATHOLICÆ, quæ circa uſum medii tam generalis & ſumme neceſſarii utique a Spiritu ſancto regitur; vel certe in Apoſtolis jam hac de re inſtructionem acceperit ab ipſo Chriſto *loquente illi per dies quadraginta* inter reſurrectionem & aſcenſionem ſuam medios *de regno DEI*, quod conſtat in terris eſſe Eccleſiam. Act. I. 3.

De hoc communi & perpetuo ſenſu Eccleſiæ Catholicæ *quoad fideles laicos* teſtis eſt 1'.) *Tertullianus* L. I. de Bapt. c. 17. poſt verba §. 468. jam citata ſic continue pergens: *alioquin etiam laicis jus eſt. . . . Proinde & Baptiſmus æque DEI cenſus, ab omnibus exerceri poteſt: ſed quanto magis laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit; cum ea majoribus competat, nec ſibi aſſumant dicatum Epiſcopis officium. - . . Sufficiat ſcilicet in neceſſitatibus utaris; ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur; cum viget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere potuit.* Verba ſæpius deinceps rememoranda.

Teſtis

Teſtis eſt 2'.) *Concilium Eliberitanum* a. 314. can. 38. approbans Baptiſmum ab homine fideli, ſed laico, collatum.

Teſtis 3'.) *S. Hieronymus* adv. Lucif. ſcribens: *ſi neceſſitas cogit, ſcimus, etiam licere laicis baptizare.*

Teſtis 4'.) *S. Auguſtinus* L. II. contra Parm. Epiſt. cap. 31. *Etſi laicus Baptiſmum pereunti dederit neceſſitate compulſus; . . neſcio an pie quisquam dixerit repetendum eſſe. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & a quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non poteſt dici non datum; quamvis recte dici poſſit illicite datum.* Et ne putes hic dubitaſſe S. Doctorem, cum putet, *veniale delictum* eſſe (vult innuere, ſi laicus non omnem adhibuit diligentiam in conquirendo Sacerdote) L. VII. de Bapt. c. 53. abſolute profitetur: *Non dubitarem habere eos baptizatos, qui ubicunque & a quibuscunque illud verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide ſuſcepiſſent.*

Teſtes 5'.) *Gelaſius I.* Papa, & *S. Iſidorus* §. præc. citati, uterque addentes ibidem, *quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur, ne quisquam ſine remedio ſalutari de ſeculo evocetur.*

Teſtis 6'.) *Walafridus Strabo* L. de divinis officiis c. 26. ſec. IX. ſcribens: *ubi inevitabilis neceſſitas cogit, melius eſt baptizari ubicunque & a quocunque, quam periclitantem ſine remedio deperire.*

Quoad feminas etiam idem ſingillatim declaravit *Urbanus II.* in Epiſt. ad Vitalem ſec. XI.

Quoad hæreticos declaravit idem 1°. *Stephanus I.* Papa, contra S. Cypriani & Concilii Carthaginenſis contrarium ſtatutum, baptizatos ab hæreticis rebaptizari jubentium, acriter reſcribens: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illis imponatur ad pœnitentiam.* Quo pacto ſimul teſtabatur, conſtantem in Romana Eccleſia compertamque traditionem fuiſſe, valere baptiſmum ab hæreticis debita forma collatum. Eadem ipſa traditio antehac fuerat etiam in ipſa tota Africæ Eccleſia; cujus Metropolita erat Carthaginenſis Epiſcopus; nec niſi triginta novem ad ſummum annis ante S. Cypriani ſtatutum Synodale *Agrippinus* ejus anteceſſor eam veterem traditionem in concilio quodam plurimorum Epiſcoporum a. 215. celebrato *cœpit corrigere, an verius corrumpere* (verba ſunt S. Auguſtini L. II. contra Donat. c. 7.: id quod & conſtat ex ipſa S. Cypriani Epiſt. 73. ad Jubaj.). Huic novitati deinde teſte *S. Dionyſio Alex.* in Epiſt. 3. ad Philemonem acceſſere circa 235. (vel ex computu Binii, Baronii, & aliorum anno 256. primum) Concilia duo, *Iconienſe*, & *Synadenſe*, in Phrygia, Aſiæ minoris provincia celebrata. Paucis his provinciis, rem novam contra veterem traditionem introducentibus, ſeſe mox oppoſuit cum Romana Eccleſia tota occidentis Eccleſia in *Arelatenſi I. Concilio* a. 314. can. 8. ſtatuens: *ut ſi aliquis de hæreſi venerit, in Patre & Filio & Spiritu ſancto baptizatus, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum.* Cum occidentali conſenſit reliqua omnis orientalis Eccleſia. Nam *Nicænum I.* generale Concilium a. 325. can. 8. recepit *Catharos* ſeu *Novatianos* ſola manus impoſitione: can. 19. vero ſolos *Paulianiſtas* juſſit rebaptizari: qua de re ait S. Auguſtinus L. de hæreſ. c. 44. *credendum eſt, eos regulam baptiſmatis*

non

non tenere. Similia circa annum 364. (veriſimiliore computu) ſtatuit *Concilium Laodicenum* can. 7. *Conſtantinopolitanum generale I.* a. 381. can. 7., *Concilium Arelatenſe II.* an. 452. can. 16. & 17. Denique *Tridentinum* Seſſ. VII. can. 4. anathema dicit illi, qui *dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum.* Errorem rebaptizantium ab hæreticis baptizatos ex profeſſo refutavit *S. Hieronymus* adv. Lucif. & *S. Auguſtinus* L. I. de Bapt. contra Donatiſtas rebaptizantes; quibus ibid. L. II. c. 9. & auctoritatem Cypriani eripit, *tum quod* is pacem cum Eccleſia & unitatem ſervarit; *tum quod* quæſtione nondum diſcuſſa, nec plene definita, errarit. *Rationes* affert S Doctor L. I. c. 1. *tum quod* recedens ab Eccleſia retinet baptiſmum & ordinem: *tum quod* ſecus continuo de rite accepto baptiſmo anxios eſſe oporteret; ob incertitudinem, an non occultus hæreticus fuerit, qui nos baptizarit.

Quoad ipſos infideles, Baptiſmi expertes, ſi miniſtrent baptiſmum, ſecundum mentem Eccleſiæ, illum valere declaravit 1'.) *Concilium Compendienſe* a. 757. can. 9., 2'.) *Nicolaus I.* Papa in reſponſo ad Conſulta Bulgarorum, 3'.) *Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos. Et licet *S. Auguſtinus* aliquando (in L. II. adverſus Epiſt. Parmen. c. 13.) de hac re dubitarit; in L. VII. de Bapt. c. 53. tamen abſolute pronuntiat, ratum eſſe Baptiſmum *cuicunque a quocunque verbis Evangelicis collatum.*

Ratio denique iſtius, ſeu legis divinæ, ſeu ſtatuti Eccleſiæ Apoſtolici, evidens bonum commune majus electorum eſt, ut videlicet,

 ſicut

Digitized by Google

ſicut Chriſtus Dominus Baptiſmi materiam voluit eſſe elementum aquæ ubivis obvium; ita & miniſter in neceſſitate ubivis obvius ſit, atque ita ex ſumma facilitate remedii iſtius ſalus plurium etiam tunc obtineatur; cum in periculo mortis miniſter, ex proprio, vel ordinario officio, ad hoc conſtitutus ad manum non eſt.

* Dixi in propoſitione ipſa, *vel Eccleſiæ generali delegatione, vel ipſius Chriſti lege, quemvis in neceſſitate idoneum Baptiſmi miniſtrum eſſe.* Utrumque enim poſſibile eſt, nec tamen, quod altero potius verum ſit, ſufficientia poſitiva documenta habemus: cum tota traditio aliud non doceat; niſi pro valido habitum in generali Eccleſia fuiſſe omnem Baptiſmum, a quovis debita forma collatum. Nihilominus, quia delegationis Eccleſiæ tam generalis, ceu facti humani, aliquod ſaltem veſtigium & argumentum extare deberet; facilius credam, legem Chriſti Apoſtolis datam ea traditione ſolum divulgatam, & transmiſſam ad poſteros fuiſſe. Interim etſi ſola delegatione Eccleſiæ omnibus baptizandi abſoluta facultas competeret; æque certi eſſemus, eam delegationem poteſtatis valide ab Eccleſiæ rectoribus factam fuiſſe; cum in lege generali, ad ſalutem quam plurimum tam prope pertinente, abs dubio a S. Spiritu Eccleſia regatur.

** *Calvinus* L. IV. Inſtit. c. 15. arguit graviter factum Eccleſiæ, olim etiam laicos baptizare permittentis in neceſſitate: & ex ejus ſequacibus aliqui invalidum talem baptiſmum cum Voſſio diſp. 10. de Bapt. alii ſolum illicitum dicunt. *Ajunt* nempe 1'.) ſolis Apoſtolis a Chriſto Matth. ult. dictum eſſe: *euntes docete, baptizantes &c.* 2'.) *Carthaginenſe IV.* Concilium

c. 100.

c. 100. prohibuiſſe mulieribus baptizare; ſicuti nec *Tertullianus* L. de Virg. velam. permiſſum vult *mulieri in Eccleſia tingere.* 3.) *SS. Cyprianum & Firmilianum* teſte *S. Baſilio* in Ep. ad Amphil. *eodem plane loco habuiſſe Baptiſmum hæreticorum & laicorum*, atque idcirco baptizatos ab illis rebaptizaſſe.

Reſp. ad 1. Ex eo recte probari, ſolos ad Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores unicos, ſpectare proprium jus & officium baptizandi: ſed delegari & permitti id poſſe, imo debere pro caſu neceſſitatis, cuicunque, qui id recte velit, & poſſit tunc adminiſtrare, Eccleſiæ traditio probat, & ipſa ratio ſuadet, ac ſalus animorum exigebat. *Ad* 2. Carthaginenſe Concilium ſolum de Baptiſmo ſolenni, aut *in conventu* Eccleſiæ ſolenniter adminiſtrando, loquitur; cum nimirum alii apti miniſtri non deſunt; ut ex can. 99. immediate præcedente patet. Eadem *Tertulliani*, imo & aliorum Patrum, hoc mulieribus interdicentium, certiſſima mens eſt, puta *Epiphanii*, *Chryſoſtomi &c.* *Ad* 3. Concedo totum: ſed Eccleſia in pluribus Conciliis hunc errorem ſaltem quoad hæreticos ex profeſſo correxit; quo correcto de laicis nemo id exinde negavit; ſed prævaluit ubique contraria Romanæ Eccleſiæ traditio, & auctoritas.

*** *S. Cyprianus*, exemplo *Agrippini* anteceſſoris ſui tractus, & fortaſſis amplius etiam *Tertulliani*, quem nimis adamaverat, auctoritate motus, qui L. de pudic. c. 19. & de Præſcript. c. 12. aperte præivit, errorem de invaliditate *Baptiſmi ab hæreticis collati* non modo ſcriptis pluribus epiſtolis, ſed etiam tribus in Metropoli ſua Carthaginenſi celebratis *Conciliis*, propugnavit. *Primum* an. 255. Epiſcoporum 32. *alterum*

Digitized by Google

a. 256. Epiſcoporum 71. habitum eſt, Synodica ad *Stephanum* Papam epiſtola directa: qui reſcripſit: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt &c.*, ſimul ſerio minatus, a ſua communione excluſurum ſe, qui huic decreto non acquieſcerent. Idem *ad Orientales* ſcripſit; cum de eorum ſtatutis ſimilibus in Iconienſi & Synnadenſi Synodo ea occaſione inaudiiſſet. Interius, etſi *S. Firmilianus* in Ep. ad Cyprianum affirmare videatur (turbis quibusdam mentis id perſuadentibus) videlicet *S. Cyprianum reipſa a S. Stephano excommunicatum fuiſſe*; contrarium tamen patet tum ex ipſo Cypriano, qui in Proloquio ad 87. Epiſcopos, *in tertio Concilio* Carthagine ab eo a. 256. poſt acceptam S. Stephani Epiſtolam denuo celebrato, congregatos ſolum *de terrore incuſſo* cum acrimonia meminit, quo Papa Stephanus *more tyrannorum collegas ſuos Epiſcopos ad obedientiam compellere* attentarit. *Euſebius VII.* 4. expreſſe ſcribit, Stephanum ſeparationem a communione baptiſma repetentibus ſolum *comminatum* eſſe. Refert ibidem, *S. Dionyſium Alexandrinum* data Epiſtola ad Stephanum *rogaſſe*, ne tot Epiſcopos orientis a communione ſepararet, qui in rebaptizando baptizatos ab hæreticis *maximorum ſuorum conciliorum decretis obſequerentur*. *S. Auguſtinus* ipſe L. V. contra Donat. c. 25. ait, etſi *S. Stephanus abſtinendos putaverit* rebaptizantes, *viciſſe tamen pacem Chriſti in cordibus* Cypriani & Stephani, *ut nullum inter eos ſchiſma oriretur*. Et in L. I. c. 18. ibid. ait, S. Cyprianum *in catholica unitate permanſiſſe*. Nihilominus *S. Cyprianus*, acribus S. Stephani literis commotior factus, tertiam illam a. 256. Epiſcoporum Synodum habuit, miſſaque ad Firmilianum ceteros orientales,

Digitized by Google

tales, huic ut Metropolitæ adhærentes, atque itidem jam ſimili S. Stephani ſententia irritatos, Epiſtola Synodica, ſententiam ſuam conquiſitis undique argumentis non ſine acrimonia quadam propugnavit; ſemper tamen ſimul profeſſus, nullam ſe alteri cuiquam Epiſcopo legem ſcribere hac in re velle, ſed *cuilibet Epiſcopo pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium* relinqui debere; quin *aliter ſentientem judicet, aut communione excludat;* etſi ex altera parte conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ a S. Stephano propugnatam *veterem errorem*, divinarum Scripturarum veritati contrarium, ac cedere debentem, acriter traducat.

**** *S. Cypriani* ejusque ſequacium argumenta præcipua hæc erant. 1°.) *Hæreticus baptizans* nec jus baptizandi habet, nec gratiam Spiritus Sancti, nec fidem veram, nec veram fidei confeſſionem, nec ſocietatem veræ Chriſti Eccleſiæ: ergo nec baptiſmum ipſum, nec gratiam Spiritus Sancti, nec veram fidem, nec communionem ſeu initiationem cum vera Chriſti Eccleſia, conferre poteſt.

Reſp. non habet poteſtatem moralem propriam, nec ordinariam, imo extra caſum neceſſitatis nullam *licite* baptizandi, *concedo;* non habet in caſu neceſſitatis delegatam vel ab Eccleſia, vel jam ab ipſo Chriſto, lege generali; extra caſum neceſſitatis vero ſaltem permiſſam poteſtatem phyſicam *valide* ſaltem dandi baptiſmum; *nego. Potuit* certe *Chriſtus, vel Eccleſia*, hanc poteſtatem phyſicam hæreticis relinquere: *ſalus publica id exegit;* cum nemo corda inſpicere & occultam hæreſin detegere poſſit; in integris autem provinciis hæreſi

reſi infectis multorum innocenter errantium ſaluti ſic conſulatur: denique quod actu illis relicta ſit hæc poteſtas, *traditio* univerſalis, ac Romanæ inprimis *Eccleſiæ, probat;* imo vel ſola ratio Eccleſiæ paſtoribus delegationem talis poteſtatis lege generali Eccleſiaſtica faciendam perſuadere deberet; etſi a Chriſto ipſo lege divina (quod tamen veriſimilius eſt) facta non jam fuiſſet. *Quoad cetera antecedentis propoſitionis objectioniſque capita, ajo,* locum non habere illud axioma, *nemo dat, quod non habet*: quia iſtud tunc ſolum valet; cum quis de ſuo dare deberet; non item, cum rem alienam adminiſtrandi precariam poteſtatem, deque ea valide diſponendi, habet. Miniſter enim tali poteſtate inſtructus vel maxime dat, quod ſuum non eſt. Sic & hæreticus non niſi alieni juris & boni, Chriſti nimirum & Eccleſiæ, adminiſter precarius, non in ſui commodum, ſed eorum admittitur, quibus Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, gratiam, & ſocietatem largitur. *Imo* Chriſtus, & Eccleſia dant per eum, nec dedignantur pro ſalute aliorum in hoc negotio etiam male ſe intrudentem miniſtrum admittere. Poteſtas enim baptizandi gratia eſt gratis data (Tract. V. §. 440. not. 2.), non ſupponens, nec per ſe immediate promovens ſanctitatem, ac proinde nec fidem ſui ſubjecti, ſed primario loco pro fine habens ſalutem alienam. *Præterea* argumenta omnia S. Cypriani nimium probabant, videlicet nec a miniſtro licet fideli, ſed improbo, accipi baptiſmum poſſe; quippe qui & ipſe nec gratiam, nec Spiritum Sanctum in ordine ad effectum ſanctificantis gratiæ habeat: cum tamen Chriſtus ad remittenda peccata prius S. Spiritum Apoſtolis dederit. Sed

nempe

Digitized by Google

nempe etiam improbi miniſtri præſentiam Spiritus ſancti habere poſſunt ad ſanctificandos alios; quin habeant, propria impediente malitia, ad ſanctificandos ſemetipſos. *Ex hoc* jam facile *reſpondebis* objectis Scripturæ textibus, ex. gr. II. Cor. VI. 14. *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Senſus nempe eſt, eundem hominem ſimul DEO & iniquitati ſervire, juſtum ſimul & improbum eſſe, non poſſe; non item, improbum non poſſe bonum inſtrumentum in manu DEI evadere ad ſanctificandos alios.

2°.) *Hæreticus baptizatus* baptiſmo tali *Chriſtum induere*, quod vult Apoſtolus, non poteſt: item cum ejus fides ſit falſa, & confeſſio fidei ſpuria, baptiſmus quoque illi innixus falſus & ſpurius erit.

Reſp. Vel eſt *formalis hæreticus*, vel *materialis* ſolum, qui baptizatur? *Si primum:* gratiæ quidem obicem talis ponit, nec proinde Chriſtum induit; baptiſmus tamen validus eſt, nec repeti opus habet: quia ſi hæreſis voluntaria baptizandi valorem baptiſmi impediret, quæ ſæpe occulta eſt, imo dubia ipſi hæretico ea infecto, innumeris ſcrupulis & repetitionibus Sacramenti tam venerabilis, cum proſtitutione religionis noſtræ, daretur locus. Poteſt vero baptiſmus eſſe validus; etſi gratiam non conferat: ſecus nec alio peccato, diverſo ab hæreſi, infecti valide baptizarentur. Sapientiæ ergo divinæ conſilium fuit, ut defectus fidei in baptizando ſe ſolo valorem baptiſmi non impediret. *Si alterum:* gratiam quoque abſente ŏmni peccati voluntarii obice accipit, & induit Chriſtum. Falſum vero eſt valorem ipſum

ipſum cuicunque diſpoſitioni ſubjecti inniti; excepta ſola intentione illum recipiendi. Innititur enim ſoli inſtitutioni divinæ ipſius Chriſti; quæ regulis ſapientiæ infinitæ æque ac benevolentiæ erga ſalutem humanæ unice regitur.

3'.) *Sacramentum baptiſmi* non niſi per illos utiliter & vere adminiſtrari poteſt, quibus illud Chriſtus conceſſit: ſed ſoli Eccleſiæ ſuæ Sacramenta ſua Chriſtus conceſſit: ergo a ſolis fidelibus membris Eccleſiæ veræ utiliter & vere baptiſmus adminiſtrari poteſt.

Reſp. concedo majorem, & minorem diſtinguo: ſoli Eccleſiæ ſacramenta ſua Chriſtus conceſſit jure proprio & ordinario, & cum poteſtate morali, ſeu licite, adminiſtranda, *concedo*; ſoli eidem conceſſit ea valide adminiſtrandi, aut in caſu neceſſitatis etiam licite; *nego*. Certe non ita, ut ea conferendi poteſtatem delegare quibusvis in caſu neceſſitatis non poſſet.

4'.) *S. Joannes* Evang. II. Epiſt. 10. monet, ut hæretico *nec ave dicamus*.

Reſp. diſt. extra caſum neceſſitatis, & ut ne ultro ipſum invitemus ad Sacramenta nobis adminiſtranda, aut ad communionem familiarem admittamus, *concedo*, in caſu neceſſitatis, aut cum ultro ſe ingerunt, Sacramenta ipſa illorum & reſpuamus, *nego*.

***** Non finitus eſt error iſte ſeculo tertio, quo floruit *Cyprianus* & *Firmilianus* præcipui illius propugnatores; ſed omne ſeculum quartum eſt pervagatus, inſuperhabito *Nicæni I.* Concilii generalis facto illi aperte contrario; imprimis a *Donatiſtis* in Africa in ſecu-

Digitized by Google

ſeculum etiam quintum propagatus; quos *S. Auguſtinus* verſus finem quarti ſeculi pluribus ſcriptis cœpit refutare, præcipue Libris de Baptiſmo, ſub annum 400. vel 402. editis; in quibus *S. Cyprianum*, ut poteſt, excuſat, & caritatis unionisque ab eo ſemper conſervatæ exemplum Donatiſtis, illius auctoritate ad excuſandum ſchiſma ſuum abutentibus, ſæpe inculcat. Sed error iſte ex Catholicis Doctoribus etiam quosdam habuit ſeculo quarto defenſores, ſeu veros, ſeu ſaltem exiſtimatos. Et *S. Hieronymus* quidem etiam *S. Dionyſium Alexandrinum*, Cypriano contemporaneum, illius participem fuiſſe ex lectis illius Epiſtolis affirmat in Catal. Vir. illuſtr.: ſed ex earum fragmentis, quæ ſola adhuc apud Euſebium VII. 7. extant, contrarium potius colligitur; niſi plus Hieronymo credendum, qui integras legit. *S. Baſilius*, S. Firmiliani in Cæſareenſi Cappadociæ Eccleſia poſt ſeculum integrum & amplius ſucceſſor, mirum non eſt, quod in Epiſtola gemina ad Amphilochium data, anteceſſoris ſui ſententiæ tenacius adhæſerit. *Concilium* enim *Arelatenſe* in Gallia celebratum, & jam quidem a. 314. decidens contrarium, ignorare potuit in Oriente verſans; *Nicænum* vero non tam canone dogmatico deciderat quæſtionem fidei; quam facto contrario adverſari errori contentum fuerat; quod factum ad diſciplinam referre Baſilius potuit.

S. Athanaſius, qui orat. 2. contra Arianos, *vacuum ac inutilem* appellat Arianorum baptiſmum, *in quo inſit quidem religionis ſimulatio, ſed revera nihil ad pietatem conferatur*, utcunque excuſatur exinde, quod ſolum de fructus & gratiæ defectu loquatur in iis, qui ab hæ-

reti

reticis mente hæreſi eorum conſentiente recipiunt; tum vero quod in Epiſt. ad Rufinian. & in ipſo Concilio Alexandrino a. 362. celebrato jubeat Arianos, redeuntes ad Eccleſiam, recipi ſine ulla mentione de iterando illorum baptiſmo.

S. Optatus Milevitanus L. I. contra Parmenianum Donatiſtam probare intendit, male agere Donatiſtas, quod æque ſe a Sacramentis catholicorum atque a Sacramentis hæreticorum ſegregarint, utroſque ad ſe tranſeuntes rebaptizando; bene id quidem factum erga hæreticos, *qui falſaverunt ſymbolum, & a ſacramentis catholicis alieni eſſe noſcuntur;* male tamen id fieri erga catholicos a ſchiſmaticis, *qui communia cum catholicis ſacramenta* habent.

Videtur tamen ſolum intelligere eos hæreticos, qui ſolebant corrumpere formam baptiſmi; quam ſæpius Patres, nominatim *Firmilianus* in Epiſt. ad Stephanum Papam, *Concilium Arelatenſe* can. 8., & ipſe *S. Auguſtinus* L. VI. contra Donat. c. 25. *ſymbolum Trinitatis* appellant. Unde non de omnibus hæreticis loquitur; ſed de aliquibus tantum; contentus oſtendere, unicam eam rationem, ob quam iterari baptiſmus poteſt, inter catholicos & ſchiſmaticos non obtinere; etſi obtineat inter aliquos ſaltem hæreticos. Porro quod ſic reſtricte loqui de hæreticis intelligendus ſit, ex eo patere videtur; quod L. V. ibid. porro ſic ſcribat: *In hoc Sacramento baptiſmatis celebrando tres eſſe ſpecies conſtat: ſed non pari ſingulæ libramine ponderandæ: duas enim neceſſarias video, & unam quaſi neceſſariam: principalem locum Trinitas obtinet; ſine qua res ipſa geri non poteſt:*

Digitized by Google

poteſt: hanc ſequitur fides credentis: jam perſona operantis vicina eſt, quæ ſimili auctoritate eſſe non poteſt. Ubi quidem formam Trinitatis ad valorem, fidem recipientis baptiſmum ad fructum neceſſariam fatetur; ad neutrum vero fidem rectam perſonæ dantis baptiſmum. Quo enim nexu doctrinæ alias eodem in loco diceret pertractans de unitate baptiſmatis: *Baptiſma chriſtianorum Trinitate confectum confert gratiam; ſi repetatur, facit vitæ jacturam. . . . Aqua igitur ſola & vera illa eſt, quæ non de loco, non de perſona, ſed de Trinitate condita eſt. . . . Non licet poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum facere.*

S. Cyrillus Jeroſolymitanus denique ejusdem in erroris ſuſpicionem venit, quod Præfat. in Catech. ſcriberet: *ſoli hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud non erat baptiſma.* Sed græcum ἐπειδὴ non ſignificat eo loco *quia*, ſed *quando*; ut ſenſus ſit, hæreticos ſolos rebaptizari tunc, quando forma adulterata verum baptiſma non conferunt. *Quid quod* etiam in *Canone* 45. & 46. *Apoſtolorum* idem error legatur expreſſus: *ſed* iſti duo Canones ex Conciliis *Iconienſi* ac *Synnadenſi* in eam Canonum collectionem intruſi ſunt; nec auctoritatem habent in Eccleſia Romana.

* * * * * * Ad res incertas referendum in hac hiſtoria eſt, *an S. Cyprianus ejusque aſſeclæ quæſtionem de Baptiſmo hæreticorum ad fidem, vel ad diſciplinam pertinere crediderint.* Subinde quidem in fervore diſputationis, & accenſis jam ex comminatoria S. Stephani Epiſtola mentibus, ſic ex SS. literis pro ſua ſententia ar-

gumenta depromunt, ut traditionem contrariam, ceu *veterem errorem veritati, a Spiritu Sancto revelatæ*; & *fidei catholicæ, cedere debere* contenderent; ut in Epiſt. 70. ad Jubaj. Cyprianus ſcribit. Alias vero, ceu in re ſaltem nondum liquida, cuilibet Epiſcopo *liberum Eccleſiæ ſuæ arbitrium* in hac re *relinqui* oportere prætendebant, nec ſe legem aliis præſcribere ſuo uſu contrario velle, profitebantur. Ex quo ipſo patet, *S. Cyprianum* quidem, ejusque aſſeclas, non pro re formaliter revelata habuiſſe, hæreticos baptizare non poſſe; attamen pro tali, quæ valde probabili ratiocinio ex SS. literis inferretur; ita, ut, licet eo ratiocinio alii non convincerentur, tamen nec damnari anathemate deberent Epiſcopi, qui eodem ducti, hæreticos rebaptizarent; ſed ſalva unitate catholica variam legem diſciplinæ locum habere poſſe; donec veritas liquidior evaderet. Eo ipſo autem læſum ſe cum ſuis Epiſcopis a Stephano putaverat; quod ſolius traditionis Romanæ Eccleſiæ titulo cujus conſuetudini plures celebres Eccleſiæ contradicerent, tam gravi ſub comminatione ad parendum in re incerta, & necdum diſcuſſa, numeroſi Epiſcopi urgerentur. *An retractarit errorem ante mortem Martyrio obitam S. Cyprianus*, ipſe S. Auguſtinus L. II. de Bapt. c. 4. fatetur ſe *neſcire*: eo quod *non omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, literis mandare potuerint, nec omnia, quæ mandata ſint, ipſe noſſet.* De *Firmiliano* idcirco minus id veriſimile eſt; quia etiam poſt ſeculum *S. Baſilius* ejusdem in ſede ſua ſucceſſor errori eidem adhuc ſuffragatus eſt.

****

******* Quærunt denique Theologi, quodnam ſit illud *plenarium totius orbis concilium*, quo *remotis dubitationibus firmatam* fuiſſe *veritatem traditionis* a S. Stephano allegatæ, iteratis locis (puta L. I. de Bapt. c. 7. L. II. ibid. c. 7. & 9.) *S. Auguſtinus* aſſerit. *Non id fuiſſe Arelatenſe Concilium* a. 314. celebratum, *probatur primo:* quia huic intererant ſoli Epiſcopi occidentalis imperii, Conſtantino ſubjecti, non item ulli ex Oriente, ex Ægypto, & ex Europa orientaliore; quibus tunc adhuc Licinius Auguſtus imperabat. *Secundo:* Acta Arelatenſis Synodi illius S. Auguſtino fuiſſe ignota, pœne demonſtrat Card. Noriſius pag. 186.: quam nec Concilii, ſed ſolum *judicii Arelatenſis*, nomine is appellat in Epiſt. 43. & 53. *Denique* S. Pater in modo cit. Epiſt. 43. (alias 162.) probat, poſt Melchiadis Papæ judicium, quo abſolutus eſt Cæcilianus, nullo in plenario totius orbis concilio illam Donatiſtis adverſam ſententiam de novo examinatam fuiſſe, & reſciſſam: minime vero ignorabat Auguſtinus, in judicio Arelatenſi, quod ipſe ibidem iterato nominat, illorum cauſſam denuo Imperatoris Conſtantini juſſu agitatam & dijudicatam fuiſſe: judicium ergo Arelatenſe in mente S. Auguſtini illud plenarium Concilium non fuit. Interim etſi *quæſtionem facti*, inter Cæcilianum & Donatiſtas agitatam, hic neget in Concilio plenario agitatam; *quæſtionem* tamen *juris*, ſeu de errore Donatiſtarum in iterando baptiſmo hæreticorum *in Concilio totius orbis plenario* deciſam pluries affirmate pronuntiat. Sed quodnam illud, quod indigitare voluit S. Auguſtinus? An *Nicænum I.*? Enimvero hoc unum ex omnibus ad illius ætatem usque celebratis erat *plenarium totius*

Digitized by Google

orbis Concilium. Sed an hoc illud eſt, in quo, ut, ait Auguſtinus, *cunctis remotis dubitationibus ac diſcuſſis ambagibus, diligentiſſima conſideratione roborata eſt, atque ad luculentam illuſtrationem confirmationem perducta catholica de baptiſmo hæreticorum ſententia?* Can. 8. *Nicænum* hoc Concilium jubet recipi Novatianos per ſolam manus impoſitionem; Can. 19. vero Paulianiſtas redeuntes ad Eccleſiam rebaptizari; nihil amplius. Ex hoc ipſe Auguſtinus hæreſ. 44. ratiocinio ſolum infert, *credendum eſſe, eos* (Paulianiſtas) *regulam baptiſmatis non tenere.* Quo pacto ergo *luculenter illuſtrata & confirmata* per hoc unum *catholica de baptiſmo hæreticorum ſententia* dici poteſt? Hæret hic circa mentem Auguſtini ſinceriſſimo & prudentiſſimo Tournelyo aqua; hæret & mihi.

472.

I. *Nemo valide poteſt ſe ipſum baptizare.* Quia Chriſtus diſtinxit perſonam miniſtri a perſona baptizanda, *baptizantes eos.*

II. *Non niſi unus poteſt eſſe miniſter baptiſmi, qui idem abluit, & formam pronuntiet:* quia non niſi unus Dominus Chriſti, quem miniſter repræſentat, & ablutio, quæ ab abluente ſub forma præſcripta non fit, non eſt ablutio *ab eodem* facta ſub invocatione SS. Trinitatis, adeoque nec baptiſmus verus; & viciſſim formam pronuntians ſine propria ablutione omnino mentitur, dicens *baptizo te &c.*

III. *Validus eſt baptiſmus ſimul pluribus ſub una forma,* ex. gr. ego vos baptizo &c., *collatus*

Digitized by Google

tus cum ablutione ſingulorum: quia nihil eſſentiale in eo deeſt, & Chriſtus ipſe dixit *baptizantes eos &c.*

473.

Omnes Adæ poſteri, in eo a ſtatu gratiæ originalis delapſi, per ſe ſubjectum capax recipiendi baptiſmi ſunt. Chriſtus enim, uti pro omnibus eſt mortuus, & omnes vult ſalvos fieri; ſic generaliſſime Matth. ult. dixit: *docete omnes gentes, baptizantes eos.*

474.

Infantes quoque Baptiſmi capaces ſunt. Dogma catholicum *probatur* 1'.) EX SS. LITERIS. a.) Generalis enim eſt neceſſitas baptiſmi ad hoc, ut quis poſſit introire in regnum cœlorum, vi verborum Chriſti Joan. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEI* (§. 451. n. 1.); ut proinde nec parvuli ſine baptiſmo introire in illud poſſint. Atqui tamen parvuli imbelles per ſe incapaces non ſunt regni cœlorum: *quia* Chriſtus ipſe Matth. XIX. 14. dicit: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere, ad me venire: talium enim eſt regnum cœlorum;* ubi quidem a S. Luca idem græce referente XVIII. 15., pro parvulis exprimendis adhibetur vox βρέφη, quæ infantes tenellos in cunis ſignificat; aitque Evangeliſta (προσέφερον) *aſſerebant* (id eſt, adportabant in ulnis) *& infantes* καὶ βρέφη. Et licet nomine *talium* etiam exprimat Redemtor divinus omnes innocentes; tamen etiam de ipſis pueris imbellibus id dicebat; *talium*, id eſt, horum & ſimilium, qui nimirum primam gratiam ſemper conſer-

conſervarunt. Baptiſmi ergo capaces quoque ſunt; ſine quo, per aliud nullum medium regni cœlorum participes fieri poſſunt.

b.) Exempla quoque extant, quod integras familias Apoſtoli baptizarint, ex. gr. Act. XVI. *Lydia Purpuraria* cum omni *domo ſua*, & v. 33. ibid. *domus tota* cuſtodis carceris, item I. Cor. XVI. 8. *domus Stephanæ* legitur a S. Paulo baptizata; in quibus non eſt veriſimile non fuiſſe aliquos infantes.

Probatur 2'.) Traditione SS. PATRUM. S. *Irenæus* L. II. c. 22. *Dominus*, inquit, *omnes venit per ſemet ipſum ſalvare; omnes, inquam, qui per eam renaſcuntur in DEUM, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores. Origenes* in VI. ad Rom. *Eccleſia traditionem ab Apoſtolis ſuſcepit etiam parvulis dare baptiſmum. Sciebant enim illi, . . quod eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & ſpiritum ablui deberent. Tertullianus*, licet privata opinione voluerit Baptiſmum differri in adultam ætatem, in neceſſitate ſaltem illum etiam parvulis moribundis applicari indulſit, cum L. de Bapt. c. 17. univerſe ſcripſit: *reus eſt perditi hominis, qui baptiſmum, quem potuit, non adminiſtravit. S. Cyprianus* in Epiſt. 59. ad Fidum nomine 66. Epiſcoporum a. 253. Carthagine in Concilio ſcripta, in qua reſpondetur Fido quærenti, an infantes baptizari tantum poſſent elapſo octavo die a nativitate, ſic habet: *In hoc, quod tu putabas, nemo conſenſit; ſed univerſi potius judicavimus, nulli hominum nato miſericordiam DEI & gratiam denegandam. S. Auguſtinus*, graviſſimus hujus Eccleſiaſticæ traditionis propugnator, de hac ipſa S. Cypriani & Carthagi-

thaginénſis Concilii definitione in Epiſt. 166. ſic ſcribit: *B. Cyprianus non aliquod decretum concedens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſime ſervans, . . mox natum rite baptizari poſſe cum ſuis Epiſcopis cenſuit.* Idem Serm. 10. de verbis Apoſtoli (qui authenticus omnium conſenſu eſt) *nemo*, inquit, *vobis ſuſurret doctrinas alienas* (de non baptizandis parvulis). *Hoc Eccleſia ſemper habuit; ſemper tenuit; hoc a majorum fide accepit; hoc uſque in finem conſtanter cuſtodit.* In L. X. de Gen. ad lit. c. 23. & in L. de peccat. meritis &c. c. 26. apoſtolicam traditionem appellat, quam idcirco nec Pelagiani rejicere auderent. *S. Gregorius Naz.* Orat. 40. *Quid autem*, inquit, *de iis dices; qui adhuc tenera ætate ſunt. . . . An eos quoque baptizabimus? Ita prorſus: ſiquod periculum, urgeat. Præſtat enim abſque ſenſu ſanctificari, quam ſine ſigillo & obſignatione abſcedere. S. Ambroſius* L. II. de Abraham c. 11. *Nec infans excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo Sacramento idonea. S. Chryſoſtomus* Hom. ad Neophytos: *Etiam ad infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas &c. S. Hieronymus* Epiſt. ad Lætam ſcaleris eos arguit, qui chriſtianorum infantibus baptiſma negaverint.

Probatur 3°.) EX CONCILIIS. *Carthaginenſe* a. 253. ſub S. Cypriano jam audivimus. *Milevitanum* a. 416., cui interfuit S. Auguſtinus, can. 2. *anathema* dicit *neganti*, *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos eſſe. Gerundinenſe* a. 517. can. 5. jubet, parvulos infirmos in ſpecie *eadem die, qua nati ſunt, baptizari. Braccarenſe III.* a. 578. de uſu baptiſmi parvulorum luculenter teſtatur. Secundum hæc proin recte

Tridentinum Seſſ. VII. can. 13. ſtatuit: *Siquis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo, inter fideles non eſſe computandos. ac propterea cum ad annos diſcretionis venerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omittere eorum baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit.*

Ratio idem evidenter ſuadet. Chriſtus dicens Apoſtolis, *baptizate omnes gentes*, parvulos non excepit; parvuli ſine hoc baptiſmi remedio non poſſunt pertingere ad ſalutem; per baptiſmum autem poſſunt fieri participes gratiæ ſanctificantis (Tract. IV. §. 308. not.), ac proinde etiam regni cœlorum; non quidem per modum præmii meritorum; bene tamen per modum hæreditatis a Chriſto ſibi acquiſitæ & donatæ. Ergo capaces baptiſmi ſunt.

475.

Expedit itaque, infantes mox a nativitate baptizare. Potius enim cavendum periculum illud æternæ jacturæ eſt, in quod facile ex improviſo inciderent plurimi infantes ſine baptiſmo repente morituri; quam fructus ille curandus, qui ex eo ſequeretur; quod ad rationis uſum jam provecti etiam proprio actu fidei & ſpei, & amoris in DEUM ad baptiſmi gratiam melius ſe diſponerent, atque exinde memores eſſent, quas in Baptiſmo cum Chriſto & Eccleſiæ ſponſiones inierint: eo quod fructus iſte in memoriam revocatione illarum ſponſionum, quas illorum nomine Patrini fecere, facilius ſuppleri queat.

* Wal-

* *Waldenſes, Apoſtolici, Petrobruiſiani, Petrus Abailardus* & *Petrus de Brixia* ſeculo XI. docuere, infantibus Baptiſmum nil prodeſſe. His ſeculo XII. acceſſere novi quidam *Cathari*, Coloniæ circa a. 1160. delecti. Seculo XVI. vero *Anabaptiſtæ* duce Nicolao Storkio cœpere ejusdem erroris prætenſione baptizatos in infantia, poſtquam ad ætatem adultam pertigiſſent, iterum baptizare. His *Michaël Servetus* acceſſit. *Sociniani*, baptiſmum pro re indifferente & libera habentes, ipſi baptiſmum infantibus non conferunt; nec tamen damnant catholicos hoc nomine; etſi errare credant. *Lutherani* & *Calviniſtæ* vulgo ſolos fidelium, non infidelium, liberos baptizari volunt, ceu fœderis chriſtiani non participes: infantes tamen morientes ſine baptiſmo a regno cœlorum non excludunt.

** *Tertullianus* L. de Bapt. c. 18. in adultam ætatem, *S. Gregorius Naz.* ſaltem ultra triennium ætatis, extra caſum periculi, differri baptiſmum conſultius duxere. *Eraſmus* Fragm. Epiſt. Leidæ a. 1607. a Paulo Merula una cum illius vita & aliis epiſtolis edito, ſcribit: *de baptiſmo ſervetur, quod tot ſeculis ſervavit Eccleſia;* vult tamen, ut infantes baptizati, poſtquam adoleverint, *interrogentur, an ratas habeant promiſſiones per eorum ſponſores factas: quodſi recuſaverint eas confirmare, proprio arbitrio illos relinquendos, nec ad chriſtianam vitam cogendos.* Quam ſententiam anathemate feriit *Tridentinum* Seſſ. VII. can. 14. de Bapt.

*** Sectarii ſupra dicti hæc *opponebant*: 1.) Nullum extat exemplum in SS. literis de baptizato infante. 2.) Chriſtus prius *doceri* vult, quam baptizari gen-

tes, *docete, baptizantes eos*; & Marc. ult. fides prævia ad ſalutem exigitur; *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Atqui infantes doctrinæ & fidei incapaces ſunt. 3.) Ad Euchariſtiam non admittuntur: ergo nec ad Baptiſmum admitti debent. 4.) Intelligi non poteſt, quo pacto infans ſecundum ſpiritum renaſci poſſit. 5.) *Tertulliani* & *Gregorii Naz.* contraria ſenſa fuere. 6) Chriſtus ipſe non niſi anno trigeſimo ætatis baptizatus eſt. 7.) Maximi viri, puta, *Conſtantinus M.* & *Valentinianus* Imperatores, in multum ætatem diſtulere baptiſmum. *S. Ambroſius* ipſe paucis ante ordinationem diebus baptiſmo initiatus eſt.

Reſpondeo ad 1. Sufficeret traditio apoſtolica: ſed & domus & familias integras S. Paulus baptizaſſe legitur. *Ad* 2. Chriſtus juſſit doceri prius, qui capaces eſſent doctrinæ, nempe adultos; qui primaria pars electorum futuri ſunt, & actu fidei, ac ut plurimum pœnitentiæ de peccatis actualibus, ſe diſponere debent ad baptiſmi fructum; cui peccatum actuale inſtar impedimenti poſitivi obſtat (Tract. de gratia §§. 309. 310.): peccatum ſolum originale, uti in mero defectu gratiæ ſanctificantis conſiſtit; ita poſitivum impedimentum non eſt; nec proinde parvuli poſitiva diſpoſitione indigent ad gratiam ſanctificantem baptiſmi ſacramento obtinendam. *Ad* 3. jam reſpondi §. 463. not. 2.: cum Calvino in ſimili argumento reſponderem. Nempe parvuli peccato amittere gratiam baptiſmo acceptam non poſſunt: ergo remedio præſervatrice Euchariſtiæ non indigent. Sic *Tridentini* ipſi *Patres* reſpondent Seſſ.XXI. cap. 4. Interim primis Eccleſiæ ſeculis etiam SS. Euchariſtia parvulis data eſt, ſed non ceu neceſſaria ad ſalu-

Digitized by Google

ſalutem. Aliter Eccleſiæ poſtea viſum in re ad diſciplinam pertinente, ac per ſe variam praxin admittente. *Ad* 4. Oſtendi jam in Tract. de gratia §. 308. not., quo id pacto perquam poſſibile ſit. *Ad* 5. Paucorum opinio ſapientiæ, qua univerſalis Eccleſia regitur, & quæ divina omnino eſt, præva'ere, imo comparari, non poteſt. *Ad* 6. Chriſtus baptiſmo non eguit, nec ſuum, ſed Joannis baptiſmum, in demiſſionis exemplum recepit. *Ad* 7. In primis ſeculis aliqui, ut liberius vivere poſſent, alii, ut eo diligentius ſe præpararent ad gratiam ſacramenti accipiendam, baptiſmum diſtulere. Priores Eccleſia ſemper reprobavit, & SS. Patres ſummo zelo in tales invehebantur: poſteriorum quidem modeſtiam ſubinde, non vero ipſum conſilium probavit. Unde &, qui in lecto ob infirmitatem baptizari demum petebant, irregulares & ad ſacros ordines inhabiles jam S. Cypriani tempore ſunt habiti.

476.

Nec infantes nondum nati, nec jam mortui, valide baptizari poſſunt.* Baptiſmo enim *renaſci* debet ſpiritu ſancto, qui jam natus eſt ſecundum carnem, vi inſtitutionis Chriſti Jo. III. 5. *niſi quis renatus fuerit &c.* Qui vero jam mortui ſunt, extra tempus gratiæ jam ſunt conſtituti, vel in gloria, vel in pœna. Ita *quoad priorem partem* ipſe S. Auguſtinus L. de peccat. merit. c. 27. & *S. Iſidorus* L. I. Sent. c. 22. ex communi ſententia Eccleſiæ.

* Nihilominus, ſi aperto jam utero matris proles naſci inceperit ita, ut aqua ad contactum illius quovis inſtrumento deferri queat, probabile eſſe creditur, quod ejus

Digitized by Google

ejus baptiſmus valeat, ac proinde ſic baptizari ſaltem urgente periculo debet: etſi ſub conditione poſtea plene natus infans denuo baptizandus ſit ob prioris incertitudinem baptiſmi.

477.

Effectus baptiſmi proprii ſunt 1'. *Gratia ſanctificans prima* (456.), *cujus attributa phyſica ſunt dona habitualia omnium virtutum* (Tract. de gratia §. 314. ſeqq.), *poſt ſe tractura omnes ſufficientes actuales gratias ad ſervandas omnes leges divinas* (loc. cit.); *item præſentia Spiritus Sancti* (Tract. de Incarnat. §. 436.); *conſortium naturæ divinæ, & adoptio in filium ac hæredem DEI* (Tract. de gratia §. 315.); 2'.) *remiſſio omnis peccati, originalis & actualis, quoad culpam & pœnam* (§. 458.); 3'.) *Aſſociatio ad corpus Chriſti myſticum, ſeu ad ſocietatem ſpiritualem viſibilis Eccleſiæ Chriſti* (Dem. cath. §. 108. ſeq.); *qua omnium obligationum & jurium, ac emolumentorum communium chriſtianæ ſocietatis ſit particeps.* Sic Apoſtolus ad Epheſios ait IV. 5. *Unum corpus, & unus ſpiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus DEUS & Pater omnium.* Atque ex hoc capacitas ad omnia reliqua Sacramenta Eccleſiæ Chriſti propria, & veris chriſtianis communia, ſuſcipienda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

Statim in principio hujus tractationis fatemur cum pluribus magni nominis catholicis Theologis: etſi non deſint argumenta EX SS. LITERIS, ex quibus *vere* probetur veritas hujus Sacramenti; tamen ſe ſolis verba ſacra de hoc dogmate non ita clare exprimere divinam inſtitutionem, ut non opus ſit ſenſum illorum traditione Eccleſiæ catholicæ, ceu viva voce interpretis haud dubie authentici, declarari magis, ac confirmari. Sinceritas iſtius confeſſionis teſtimonium rectæ mentis noſtræ, non roboris argumenti noſtri infractis erit ullo pacto, apud eos adverſarios catholici dogmatis; qui non diſputandi & diſſidendi odioſa prurigine, ſed unius veritatis ſolidis ex criteriis detegendæ ſtudio, hanc nobiscum diſquiſitionem ſuſcipient; *utrum* videlicet *nos catholici indubitato quodam ex criterio divinam inſtitutionem Sacramenti Confirmationis, quam credimus, compertam habeamus.* Ubi ſane illud admonere oportet, ſupponere hic nos maxime ea, quæ in tractatione *de Locis Theologicis* de auctoritate falli neſcia Eccleſiæ catholicæ in interpretandis divinis Scripturis, & diſcernendis divinorum dogmatum traditionibus, ipſisque dogmatis iſtis infallibili judicio proponendis, diximus §§. 63. IV. 91. & toto capite III.: quæ qui nondum in animum induxerit, ſane is ad ea prius rite & pura mente meditanda ſe recipere, nec niſi, cum de illis catholicæ religionis generalibus principiis probe convictus fuerit, ad hæc, quæ nunc

Digitized by Google

nunc verſamus, dogmata nobiscum examinanda redire debet.

478.

Confirmatio vulgo apud catholicam Eccleſiam dicitur ſacer ille ritus, quo baptizatis a ſummo Sacerdote, vel Epiſcopo, ſub certa verborum formula manus imponuntur, & frons chriſmate inungitur, cum prævia oratione, ut accipiant Spiritum ſanctum in ordine ad firmum robur fidei chriſtianæ profitendæ.

* *Confirmationis* nomen ab effectu petitum eſt, eo quod nempe ſecundum fidem Eccleſiæ catholicæ baptizati hoc ſacramento confirmentur & roborentur in fide per gratiam Spiritus ſancti eidem propriam, quam ex eo accipiant. Legitur hoc nomen in Concilio *Arauſicano I.* a. 441. (vel a. 442.) & *Arelatenſi III.* a. 455. ſicque ſua ætate vulgo appellatam fuiſſe teſtatur *Ven. Beda* Comment. in Pſal. 26.; qui obiit a. 735. Parum ab hoc differt nomen *Perfectio*, quod itidem legitur in Concilio *Eliberitano* a. 305. can. 38. & 77. Veteres olim vocabant *manus impoſitionem*, uti *S. Cyprianus* Epiſt. 73. ad Jubaj., *S. Hieronymus* adv. Lucif., *S. Auguſtinus* L. III. de Bapt. c. 16. *Signaculum* eadem appellatur a *S. Cornelio* Pontifice in Epiſt. ad Fabianum, a *S. Cypriano* Epiſt. cit., a *S. Ambroſio* L. de Myſt. c. 7., quæ nuncupatio vulgaris eſt apud græcos, qui hac forma utuntur: *Signaculum* σφραγις *Spiritus ſancti*. Taceo alia nomina, vel ſynonima, vel parum a prioribus diverſa.

Digitized by Google

§. 479.

Confirmatio Sacramentum eſt, quo & SS. Apoſtoli, & omnis poſt illos vera DEI Eccleſia credidere, baptizatis impoſitione manuum Epiſcopalium certo & indubitato effectu conferri Spiritum ſanctum in robur fidei chriſtianæ firmius tenendæ ac profitendæ. Factum iſtud mere interim hiſtoricum ſumma cum certitudine *oſtenditur* continua ſerie teſtium authenticorum, & quidem 1°.) EX SS. LITERIS. a) Act. VIII. 14. legitur: *cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum DEI, miſerunt ad eos* (jam a Philippo Diacono baptizatos v. 12.) *Petrum & Joannem; qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et rurſus Act. XIX. 5. de diſcipulis Epheſiis dicitur: *baptizati ſunt in nomine Domini JESU: & cum impoſuiſſet illis manus Paulus* (utique cum oratione), *venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Unde hujus accepti doni admonens eosdem Epheſios Apoſtolus in Epiſt. ad Epheſ. I. 13. ſcribit: *in quo* (JESU Chriſto) *& vos, cum audiſſetis verbum veritatis* (Evangelium ſalutis veſtræ) *credentes* (id eſt, poſtquam credidiſtis, & baptiſmum recipiſtis) *ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.*

b) Communem hunc ac generalem fuiſſe Apoſtolis morem baptizatis ſic dandi Spiritum ſanctum, patet *tum* ex eo, quod cit. loc. Act. XIX. S. Paulus diſcipulos Epheſios ad ſevenientes mox interrogavit v. 2. *Si Spiritum ſanctum acce-*

accepiſtis credentes? Et cum adverteret, ne quidem rite baptizatos fuiſſe, mox cum baptiſmo etiam impoſitionem manuum adminiſtrarit; *tum* ex variis aliis Apoſtolorum Epiſtolis ad diverſos fideles ſcriptis, quibus omnibus hanc communicationem Spiritus ſancti eisdem factam in memoriam revocant, velut rem publice notam & communem. Sic S. Paulus ipſe II. Cor. I. 21. ubi ſe excuſat, quod contra ſuum promiſſum non veniſſet iterum ad Corinthios, ait, id non levitate factum; didiciſſe enim ſe a Chriſto fidelitatem in promiſſis; quippe cujus omnes promiſſiones, quas Paulus eis annuntiaſſet, ratæ, immutabiles, & actu completæ ſint; eam autem firmitatem animi ſe, ſicuti Corinthios ſtabilitatem in fide, habere ait exinde, quod, *qui confirmat nos vobiscum in Chriſto, & qui unxit nos, DEUS* ſit; addens continuo, *qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Mox autem hujus rei effectum commendans in Corinthiis, nempe conſtantiam in fide, ait v. 23. *nam fide ſtatis.* Supponit ergo Paulus, notum eſſe Corinthiis, & ſe, poſt baptiſmum ab Anania acceptum, viſibili ſigno publice accepiſſe pignus Spiritus ſancti, & ipſos Corinthios, in fidei nimirum confirmationem ac ſtabilem prædicationem.

c) Rurſus ad Hebr. VI. 1. idem Apoſtolus, hortans Judæos, tempus eſſe, ut altiore doctrina a ſe imbuantur, ait: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem* (id eſt, quo Chriſtus in rudibus formari inchoatur) *ad perfectiora feramur, non rurſum jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad DEUM, baptiſmatum* (triplicis immerſionis) *doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſur-*

reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Ubi S. Paulus omnia quaſi in ſynopſi complectitur, quæ edoceri catechumeni & Neophyti in principio communiter ſolebant: inter quæ poſt baptiſmum *impoſitionem manuum* recenſet, qua videlicet baptizatis Spiritus ſanctus in robur fidei conferrebatur. Nam de hac impoſitione manuum illum loqui, verſus quartus mox ſequens evidenter evincit, in quo porro ait: *impoſſibile eſt enim, eos, qui ſemel ſunt illuminati* (baptizati), *guſtaverunt etiam donum cæleſte*, ET PARTICIPES FACTI SUNT SPIRITUS SANCTI, . . . *& prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.*

* *Reſpondent* vulgo hujus Sacramenti adverſarii, illam communicationem Spiritus ſancti, impoſitione manuum ab Apoſtolis factam, non fuiſſe collationem gratiæ ſanctificantis; quippe quam fideles jam in baptiſmo acceperant; ſed collationem gratiarum, quas gratis datas vulgo Theologi appellant: mox enim ſubdi Act. XIX., memorato adventu Spiritus ſancti, *& loquebantur linguis, & prophetabant*: idemque haud dubie etiam Act. VIII. ſubintelligendum eſſe, quia ſtatim ſequitur de ambitione Simonis Magi, pro pecunia optantis emere donum conferendi Spiritum ſanctum: quæ ambitio in eo non videtur habitura fuiſſe continuo locum; niſi ſigno viſibili, id eſt, dono linguarum, præſentia Spiritus ſancti incurriſſet in ejus oculos. *Verum reponimus*: etſi gratia ſanctificans jam conferretur in baptiſmo, altior utique ejus novusque gradus conferri ulterius potuit, a priore diverſus in hoc, quod baptiſmo quidem conferatur gratia generatim ad omnia officia hominis chriſtiani implenda ex æquo ſufficiens; in impoſitione manuum autem ſpecialis, & in robore quo-

Bayerische
Staatsbibliothek
München

dam majore fidei, & profeſſionis ejusdem conſtanti firmitate conſiſtens; in quem ipſum finem donum linguarum & prophetiæ utique inprimis quoque ſerviebat. At enim dona hæc gratis data ad ſubſtantiam effectus Spiritus ſancti non pertinuiſſe, ſed in illis Eccleſiæ initiis ſpeciali DEI providentia ac liberalitate ad faciliorem Evangelii propagationem adjecta fuiſſe, ex eo patet; quod ritum impoſitionis manuum, ab Apoſtolis acceptum, deinceps omnes illorum primi ſucceſſores in regimine Eccleſiarum conſervarint cum æque ſecura ac certa fide, per eam conferri gratiam Spiritus ſancti ad fideles in fide corroborandos; etſi dona illa gratis data nullo pacto amplius intervenirent: id quod mox patebit. Præterea Apoſtolis etiam collatus eſt Spiritus ſanctus una cum donis linguarum & miraculorum: attamen hæc non erant præcipuus effectus illius, ſed potius ille, quem Chriſtus promiſerat Act. I. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, - - & usque ad ultimum terræ.* Adde: nunquam in novo teſtamento Spiritus ſancti nomen ejus donis & effectibus meris tribui. Itaque

Probatur 2°.) SS. PATRUM teſtimoniis. *S. Irenæus* IV. 38. ait, *quibuscunque Apoſtoli imponebant manum, accipiebant Spiritum ſanctum in eſcam vitæ.* Enimvero *eſca vitæ* ſpiritualis proprie per ſe non ſunt dona gratis data, aut gratia linguarum. *Origenes* L. I. Periarch. c. 3. ſcribit: *In Actibus Apoſtolorum per impoſitionem manuum apoſtolicarum Spiritus ſanctus dabatur in baptiſmo*; id eſt, conjunctim poſt baptiſmum. *Tertullianus* L. de Bapt. c. 7. recenſito baptiſmi ritu & effectu ait: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſan-*

ſanctum. Et L. de reſurr. c. 8. omnia Sacramenta cum baptiſmo olim conjungi ſolita recenſens ſcribit: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur; caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur.* Ubi confirmationi conſecrationem, munimem, & illuminationem ſpiritus attribuit, per quem S. Spiritum intelligit; ut ex præcedente ejusdem textu manifeſtum eſt. Denique L. de Præſcript. c. 36. ſcribit: *Eccleſia Romana fideles aqua ſignat, ſancto Spiritu veſtit, Euchariſtia paſcit, ... & adverſus hanc inſtitutionem neminem recipit.* *S. Cornelius* Papa de Novatiano in Epiſt. ad Fabium Antioch. ſic ſcribit: *dum jamjamque moriturus creditur, in ipſo, in quo jacebat, lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit: . . ſed neque poſtquam liberatus eſt a morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent; neque ab Epiſcopo conſignatus eſt: hoc autem ſignaculo minime percepto; quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Ubi, applicatis ad hæc Tertulliani dictis apertum ſane eſt, nomine *ſignaculi* id ætatis confirmationem deſignari conſueviſſe; præſertim cum hæc conſignatio Epiſcopi, non meri presbyteri, munus aperte dicatur; cui etiam ceu proprius effectus tribuitur a S. Cornelio acceptio Spiritus ſancti. *S. Cyprianus* in Ep. 71. ad Jubajan., quod de Samaritanis Acta Apoſtolica memorant, recolens, ſcribit: *quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; ſed tantummodo, quod deerat, id a Joanne & Petro factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus: quod nunc quoque apud nos geritur,*

ut, qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manuum impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur. Quod per *præpoſitos Eccleſiæ* Epiſcopos intelligat, tum per ſe clarum eſt; tum quod addat *per noſtram &c.*, & baptiſmus ſæpe per presbyteros jam tunc conferretur.

Anonymus contra Cyprianum de Baptiſmo ſcriptor, quem ejusdem ævi, & Stephanum ipſum plerique putant, ſic habet: *Per manus impoſitionem Epiſcopi datur unicuique credenti Spiritus ſanctus; ſicut Apoſtoli circa Samaritanos poſt Philippi baptiſma manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum ſanctum in eos contulerunt: quod ut fieri poſſet, ipſi pro eis oraverunt.*

S. Firmilianus in Ep. ad S. Cyprianum, quæ eſt inter Cyprianicas 75. *Quando omnis poteſtas gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare.* Mox autem ait, ſe loqui de ea impoſitione manuum, quam S. Paulus adhibuit eis, quos baptizaverat.

S. Ambroſius (vel quisquis eſt auctor, certe antiquus) L. III. de Sacram c. 2. *Sequitur*, inquit, *ſpirituale ſignaculum: quia poſt fontem* (baptiſmi) *ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus conſilii &c., ſeptem quaſi virtutes ſpiritus iſtæ ſunt, quando conſignaris.*

S. Hie-

Digitized by Google

S. Hieronymus in Dial. poſtquam adverſarium Luciferianum ita loquentem induxit: *an neſcis, Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus ſanctus. Exigis, ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum: ſed etſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet; totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt &c. &c.*: orthodoxi nomine ipſe S. Doctor reſpondet: *Non abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus, ad invocationem S. Spiritus manus impoſiturus, excurrat.* Quo ſane teſtimonio uſus hujus Sacramenti ad exemplum Apoſtolorum, ad Samaritanos baptizatos Jeroſolymis excurrentium, in toto orbe catholico quarto ſeculo receptus apertiſſime comprobatur.

S. Auguſtinus L. XV. de Trinit. c. 26. *Orabant*, ait, (Apoſtoli) *ut* Spiritus ſanctus *veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant* (propria quidem auctoritate, uti Chriſtus). *Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Et in Tract. VI. in Jo. I. Epiſt. ſcribit: *Numquid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? Et cum videret, eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis fuit, ut diceret: non acceperunt iſti Spiritum ſanctum? Si ergo per hæc miracula modo teſtimonium præſentiæ Spiritus ſancti non fit; unde cognoſcit quisque accepiſſe ſe Spiritum ſanctum? Interroget cor ſuum. Si diligit fratrem; manet ſpiritus DEI in illo.* Ecce! ut proprium & ſtabilem effectum acceptionis

nis Spiritus ſancti per impoſitionem manuum negat Auguſtinus eſſe dona gratis data, ſed gratiam ſanctificantem eſſe affirmat. Idem S. Doctor L. III. de Baptiſmo c. 16. ait, *in ſola Eccleſia catholica per manus impoſitionem dari Spiritum ſanctum*; quia Spiritus ſanctus *ipſa eſt caritas*, & caritas DEI per ipſum diffunditur in cordibus noſtris, cum datus eſt nobis; *quam caritatem non habent, qui ab Eccleſiæ communione præciſi ſunt, ac per hoc, etiamſi ſciant omnia Sacramenta* (ex quo vides, quod S. Doctor non neget apud hæreticos eſſe Sacramentum hoc, ſed ſolum neget eſſe apud eos fructuoſum) . . *nihil eis prodeſt. Non autem habent caritatem Dei, qui Eccleſiæ non diligunt unitatem, ac per hoc recte intelligitur dici non accipi niſi in Eccleſia Catholica Spiritus ſanctus. Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modo datur Spiritus ſanctus; ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inſpirari* (ad robur fidei nimirum). . . . *Cum ergo ſit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit* (ecce! valorem *Sacramenti* in infideli ſubjecto); *aliud operatio ſpiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri ſolet; ſicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam niſi boni habere non poſſunt; ſicut eſt finis præcepti caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; quodlibet hæretici & ſchismatici accipiant, caritas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum eſt catholicæ unitatis & pacis; nec ejus in omnibus; quia nec ejus ſunt omnes.*

Præ-

Digitized by Google

Præter ipſam tamen eſſe illa caritas non poteſt; ſine qua cetera, etiamſi agnoſci & approbari poſſunt, prodeſſe tamen, & liberare non poſſunt. Longior hæc quidem, ſed decretoria & clariſſima oratio tanti Doctoris, integra adnotari merebatur.

S. Chryſoſtomus Hom. 18. in Acta Apoſt. c. VIII. & citata initio ex his verba ſic commentatur. *Philippus unus ex ſeptem diſcipulis erat, ſecundus a Stephano. Ideo & baptizans, Spiritum ſanctum non dabat: neque enim facultatem habebat: hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat. . . . Nam virtutem quidem acceperant faciendi ſigna, non autem dandi Spiritum ſanctum. Igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare: unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere. . . . Vides* (ad ea verba, *oraverunt pro eis*, inquit S. Doctor) *vides, quod non ſimpliciter hoc fit; ſed multa opus eſt virtute, ut detur Spiritus ſanctus. Non enim idem eſt aſſequi remiſſionem peccatorem, & accipere virtutem illam.* Ecce! ut ratione *miniſtri*, ratione *effectus*, & ratione ipſius *ſacramenti* & ſubſtantiæ iſtius, S. Doctor diſcernat confirmationem a baptiſmo, quem cum omnibus utique ſuis cerimoniis & propriis effectibus dare poterat Philippus, & actu dederat.

Denique *S. Innocentius I.* Epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum c. 3. ſic docet: *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quam Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut conſignent, vel Paracletum ſpiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolo-*

rum, quæ aſſerit, Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet; ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare; quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. *Eliberitanum* in Hiſpania circa a. 305. duos de hoc canones poſuit. Canon 38. ita habet: *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habuerit, - - baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum; ita, ut, ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum producat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit.* Canon 77. *Siquis diaconus, regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizavit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Hiſpalenſe II.* a. 619. cap. 7. enumerans ea, quæ presbyteris ſimplicibus adminiſtrare non licet, ait: *nec per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi, Paracletum ſpiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare.*

** Ex huc usque dictis id, quod ad *factum* ſolummodo ſpectans in propoſitione noſtra enuntiavimus, tam manifeſtum eſt, ut nullus ſectariorum quorumcunque contra id opponere usquam veriſimile aliquid habeat, vel habuerit unquam. Nam quod vulgo *objiciebant*, id erat; quod nempe *vel* impoſitio manus, qua Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, his peculiariter propria fuerit, & ad dona miraculoſa horumque communicationem in primordiis Eccleſiæ ſpectans; id quod a ſenſu

ſenſu totius ſequentis Eccleſiæ alienum eſſe, dicta Patrum allegata luce clarius evincunt; quem Eccleſiæ ſenſum hic unice interim affirmavimus, & propugnamus; *vel* quod impoſitio manuum, quoad cum unctione chriſmatis conjuncta eſſe ex mente catholicorum debet, non ſit niſi cerimonia baptiſmi; id quod falſum eſſe ex pluribus citatis SS. Doctorum dictis clariſſime patet; *vel* quod non ſit a Chriſto ipſo inſtituta, ſed ad ritus mera lege Eccleſiaſtica introductos pertineat; de quo iſthic quidem nihil pronuntiavimus; facile tamen ex modo dictis nunc concludemus ea, tum quæ pro dogmate catholico credenda: tum quæ ex omnium hodiernorum Doctorum catholicorum mente pro certo ſaltem habenda ſunt.

480.

Confirmatio, qua Epiſcopi impoſitione manuum in Eccleſia ſecundum Apoſtolorum exemplum (præc. probat. 1.) *ſolent conferre Spiritum ſanctum, verum Sacramentum eſt eo quidem ſenſu, quod per eam rite diſpoſitis virtute ipſius propria conferatur gratia Spiritus ſancti perficiens hominem chriſtianum in fide & caritate DEI.* Dogma hoc vere catholicum *probatur* ex Traditione, ac certa fide & perſuaſione tum ipſorum SS. Apoſtolorum, tum omnium, qui eis in officio Epiſcopali ſucceſſere, ac totius Eccleſiæ; cujus teſtimonia adduximus §. præc.; quem quidem ſenſum videmus initio Eccleſiæ etiam miraculis & ſignis ſenſibilibus ex conjunctione donorum gratis datorum fuiſſe divinitus approbatum, ad confirmandam nimirum ipſorum fidelium fidem de veritate hujus Sacramenti (§. præc.). Eundem ſenſum in Eccleſia univerſa catholica exinde per-

Digitized by Google

perpetuum fuiſſe ipſa *praxis publica* docet, quæ ex *Libris Ritualibus*, & omnibus illis ſcriptoribus clariſſima elucet, qui de ſacris Eccleſiæ ritibus & officiis Eccleſiaſticis ſcripſere. Sic *Sacramentarium Gregorii Magni* (quod tanto Doctori ac Pontifici vindicavit erudite Hugo Menardus Ord. S. Benedicti) in officio Sabbati ſancti, deſcripto omni ritu Baptiſmi, eaque unctione memorata, qua presbyteri baptizatos in vertice chriſmate liniunt, addit deinceps peculiarem deſcriptionem Confirmationis, recenſendo, quo pacto poſt abſolutam omnem baptiſmi cerimoniam *Pontifex redeat in Sacrarium*, ibique *expectet*, *ut*, *cum veſtiti fuerint infantes*, *confirmet eos*, tumque *tenente Archidiacono chriſma protenſa manu ſuper omnium capita* oret, *ut Deus emittat in eos ſeptiformem Spiritum ſanctum*; ac demum *tincto pollice in chriſmate faciat crucem in fronte ſingulorum.*

Ordo Romanus, ante ſeculum nonum conſcriptus, pæne iisdem verbis eundem ritum in Sabbato ſancto deſcribit. *Valafridus Strabo* L. I. de rebus Eccleſ. c. 26. *Amalarius* L. I. de Offic. Eccleſ. c. 27., *Rabanus Maurus* L. de inſtitutione Cleric. c. 30., *Alcuinus* in Epiſt. ad Oduinum Presbyterum, omnes *ſeculi noni ſcriptores*, fere eadem repetunt, quæ in ordine Romano de ritu adminiſtrandi Confirmationem præſcribuntur. *Eugenius IV.* in Decreto ad Arm. declarat: *ſecundum Sacramentum eſt Confirmatio*: - - *cujus effectus eſt*, *quia in eo Spiritus ſanctus datur ad robur fidei*, - - *ut videlicet chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen.* Conſentiunt denique quoad ſubſtantiam Sacramenti proprii Confirmationis ejusque effectum cum latinis ſcriptoribus & Ritualibus libris omnia *Euchologia Græcorum*, & cum

cum ſenſu totius Eccleſiæ catholicæ latinæ ſenſus totius græcæ Eccleſiæ; de quo a. 1575. *Jeremias* Patriarcha Conſtantinopolitanus Theologis Wittembergenſibus ſolenne teſtimonium ſcripto dedit; in quo acceptam ab eis Auguſtanam Confeſſionem per ſingula capita damnans, ac refutans reſponſ. 1. ait: *Sacramenta & ſacræ cerimoniæ, quæ in catholica chriſtianorum orthodoxorum Eccleſia obſervantur, ſeptem ſunt, nec plura, nec pauciora: baptiſmus, unctio divini chriſmatis &c.: alia utilia omnibus, ut baptiſmus, confirmatio, & communio: alia aliquibus &c. &c.* Idem diu ante edixerat *Simon Theſſalonicenſis* de Sacram. c. 43. Atque hæc communis Eccleſiæ fides de virtute & efficacia confirmationis, ceu unius ex ſeptem Sacramentis, a Chriſto per Apoſtolos acceptis, haud dubie ſufficiens argumentum erat, ut Concilium Tridentinum definiret Seſſ. VII. can. 1. *Siquis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otioſam cerimoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.* Et can. 2. *Siquis dixerit, injurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.*

* Hoc genere probationis ad dogma catholicum ſtabiliendum adhibito nemo offendi poteſt, qui, ut jam ſupra in ingreſſu hujus Capitis monuimus, ea probe perſpecta & familiaria habet, quæ in Tractatu *de Locis Theologicis* diximus *de Traditionibus* a §. 82. & de infallibilitate tum SS. Apoſtolorum in dogmatis quibuscunque ſeu ſcripto, ſeu viva voce proponendis (ibid. §§. 20. 22.), tum ipſius Eccleſiæ in diſcernendis traditio-

ditionibus divinis (ibid. §§. 85. 91.) & univerſæ in omnibus regulis fidei proponendis (ibid. §§. 95. 96.). Atqui videmus, ex teſtimoniis gemino præcedente paragrapho allegatis manifeſtum eſſe, tum ipſos Apoſtolos tradidiſſe Eccleſiæ, ſuisque in ea regenda ſucceſſoribus, non ſolum ritum externum ſacrum impoſitionis manuum, & invocationis, ſuper jam ſolenniter baptizatos adhibendum, ſed etiam certæ fidei ſecuritatem de effectu illius, id eſt, de gratia & ſpeciali robore Spiritus ſancti per illud conferendo jam baptizatis. Uti ergo SS. Apoſtoli errare non potuere in hoc dogmate tradendo; ſic nec univerſalis Eccleſia deinceps errare potuit in eodem transmittendo usque ad nos. Et licet nihil, ſeu in SS. litteris, ſeu vulgo in SS. Patribus, legamus de ipſa *immediata* inſtitutione hujus Sacramenti a Chriſto facta; tamen ex eo ipſo, quod Apoſtoli dogma hoc de effectu gratiæ Spiritus ſancti tam infallibili, huic ritui reſponſuro, proponere ipſo facto & exemplo proprio non potuiſſent; niſi a Chriſto Domino, qui S. Spiritum ipſiſmet toties ac tam ſolenniter promiſerant, etiam id poteſtatis accepiſſent, ut manuum ſuarum impoſitione eundem etiam aliis, prius jam baptizatis, conferre ac communicare pro gradu ſimplici cuivis chriſtiano conveniente poſſent; ita recte concludimus, eos actu hanc poteſtatem a Chriſto accepiſſe; quæ poteſtatis talis collatio perpetua utique ipſiſſima iſtius Sacramenti inſtitutio ex parte Chriſti erat.

** Dogma hoc in omni catholica Eccleſia tam receptum fuit usque ad poſtrema tria ſecula, ut perquam incertum ſit, an fuerint ante Calvinum & Lutherum,

Digitized by Google

rum, qui eidem refragarentur. Solus *Theodoretus* L. III. Hæret. Fab. accuſat *Novatianos* de negato baptizatis ſanctiſſimo chriſmate; de qua re tamen nullus reliquorum, qui de Novatiano errore in ſpecie, vel de hæreſibus univerſe ſcripſerunt, meminit. Nam *S. Cornelius* Papa in Ep. ad Fabianum ſolum arguit Novatum, quod, a morbo convaleſcens, ab Epiſcopo conſignatus non fuerit; non item, quod ex errore hoc Sacramentum ſimpliciter contemnens rejecerit. Econtra *S. Pacianus* Epiſt. ad Sympron. Novatianos, negantes, poteſtatem ligandi & ſolvendi ad ſucceſſores ab Apoſtolis tranſiiſſe, hoc argumento refutat: *ergo & baptizare ſolis Apoſtolis licet, & Spiritum ſanctum dare ſolis; quia totum hoc non aliis quam Apoſtolis imperatum eſt. Si ergo & lavacri & chriſmatis poteſtas, majorum longe chariſmatum, ad Epiſcopos inde deſcendit: & ligandi quoque jus adfuit & ſolvendi.* Ubi aperte ſupponit, Novatianos pro certo admittere, confirmandi poteſtatem in Epiſcopos tranſiiſſe. De *Albigenſibus* item ſolus Petrus Vallecernenſis Monachus & Alanus referunt, ejus hoc Sacramentum negaſſe; cum ceteri, qui eorum hiſtorias ſcripſere, de hoc illorum errore plane taceant. Accuſantur a non nullis ejusdem erroris *Valdenſes*, *Wiclefitæ*, & *Huſſitæ*; ſed iſti non circa Sacramentum hoc, ſed circa ejus miniſtrum, fere errabant ſolummodo; quem negabant eſſe ſolum Epiſcopum. *Valdenſes* etiam unctionem chriſmatis quidem, non impoſitionem manuum, a Sacramenti ratione rejiciebant; uti ex coætaneis ſcriptoribus Tournelyus probat de Sacram. Confirm. p. 194. edit. Venet. a. 1739. *Calvinus* ergo & *Lutherus*, ſi non primi negarunt, certe primi acrius ex inſtituto impu-

impugnarunt hoc dogma *de Confirmationis Sacramento;* docentes, illam eſſe meram & otioſam *Baptiſmi cerimoniam*, ſeu *catechiſmum* quemdam, quo baptizati, Epiſcopo interrogante, fidei ſuæ rationem reddere jubebantur; contra quos proin Tridentini Canones, ante allegati, præcipue decernunt: quorum objectiones priusquam proponamus; oportet promittere ea, quæ vel ad eſſentiam iſtius ritus Sacramentalis porro pertinere a Theologis catholicis creduntur, vel certe cum eo, ceu meræ cerimoniæ Eccleſiaſtica lege inſtitutæ, vulgo conjungi ſoleant.

*** Prius vero nec illud diſſimulandum eſt, quid de hoc inprimis *Sacramento Confirmationis*, atque item *de Extremæ Unctionis Sacramento* fere ex æquo, ſenſerint ipſi Scholæ Doctores quidam catholici circa inſtitutionem utriusque. Nimirum *Petrus Lombardus*, *Hugo a S. Victore*, & *S. Bonaventura*, tametſi pro certo haberent, etiam hæc duo vera eſſe Sacramenta novæ legis; tamen exiſtimarunt, Chriſtum non ipſum immediate per ſe ea inſtituiſſe, ſed ſolum Apoſtolis per S. Spiritum interius indidiſſe conſilium, ut pro generali ſibi a Chriſto conceſſa poteſtate ipſi inſtituerent hæc duo Sacramenta. *Alexander Alenſis* ſummæ parte 4. q. 9. membro 1. credidit, nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum Sacramentum Confirmationis; ſed Apoſtolos primis fidelibus dediſſe Spiritum ſanctum *ſine Sacramento* viſibili; ipſum vero *Sacramentum, quantum ad materiam elementarem* (unctionum) *& formam verborum, Spiritus ſancti inſtinctu fuiſſe inſtitutum in Concilio Meldenſi; cui etiam Spiritus ſanctus contulerit virtutem*

Digitized by Google

tutem ſanctificandi. Sed hæc opinio quoad partem alteram certo falſa habetur ab omnibus.

S. Thomas 3 p. q. 72. art. 1. ad 1. docet, quod Chriſtus inſtituerit Sacramentum Confirmationis, *non exhibendo, ſed promittendo*, ſecundum illud Joan. XVI. *Si non abiero, Paraclitus non veniet; ſi autem abiero, mittam eum ad vos:* & hoc ideo; *quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus ſancti, quæ non erat danda ante Chriſti aſcenſionem.* Tum vero nihilominus ibidem art. 2. ad 1. docet, Apoſtolos Spiritum ſanctum dediſſe aliquando ſine viſibili Sacramento; quando nempe vel ad impoſitionem manuum, vel etiam aliquando ad ſolam prædicationem Apoſtolorum, ex. gr. Act. X. 44. ad prædicationem S. Petri ſuper omnem Cornelii domum, conſpicua mox in fidelibus erant dona Spiritus ſancti; quando vero iſta ceſſarunt, uſos fuiſſe chriſmate: ubi tamen non negat initio vulgo Apoſtolos uſos fuiſſe impoſitione manuum; tunc nempe quando non præveniebantur a Spiritu ſancto adveniente mox ſub ipſa prædicatione Evangelii; uti l. cit. factum eſt.

Scotus in IV. diſt. 7. ad 1. exiſtimavit, ex SS. literis probari ſatis haud poſſe, a Chriſto inſtituta eſſe Confirmationis & Extremæ Unctionis Sacramenta, ſed confugiendum eſſe ad Eccleſiæ traditionem. Ibidem q. 1. docet, Apoſtolos initio ſola manus impoſitione & oratione dediſſe Spiritum ſanctum; poſtea vero adulta jam Eccleſia, cum ſigna externa apparere ceſſaverant, in locum viſibilis ſigni adhibere ſolam unctionem chriſmatis cœpiſſe. Cui ſententiæ Synodus Moguntina

an.

an. 1549. cap. 18. ſubſcripſit; atque inter Theologos *Eſtius* in IV. diſt. 7. paragr. 6.

Alii cum *Gregorio a Valentia* Tom. IV. in S. Thomam Diſp. V. q. 1. puncto 1. credidere, Apoſtolos nunquam dediſſe Spiritum ſanctum per ſolam manus impoſitionem, ſed per adjunctam ſemper eidem unctionem chriſmatis, ita ut unctio iſta eſſentialis in eo Sacramento ſit. Iidem porro non aliam manus impoſitionem, niſi quæ ipſi unctioni conjuncta jam eſt, eſſentialem eſſe credunt; eam vero præviam impoſitionem manuum, quæ præcedit unctionem, & quam Epiſcopus facit extendendo manus verſus confirmandos, & invocando Spiritum ſanctum, eſſe duntaxat cerimoniam, non neceſſariam ad ſubſtantiam Sacramenti. Atque hæc quidem opinio multis clariſſimis Theologis catholicis placuit, puta *Hugoni a S. Victore*, *Bellarmino*, Ill. *Petro de Marco*, *Iſamberto*, *Maldonato*, ac plerisque recentioribus hodie communis eſt; cui ſilentium S. Scripturæ de iſta unctione obſtare poſſe negant idcirco; quod, cum ea, quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, ſecretiſſima haberentur, ac fere ſola voce quaſi per manus traderentur, facile intelligatur, noluiſſe S. Lucam, neque elementum, neque verbum hujus Sacramenti, ſcripto prodere.

Rurſus alii cum *Petro Aureolo* Cardinale, qui floruit a. 1317., in IV. Diſt. 7. q. 1. & *Guillelmo Altiſiodorenſi*, referente *Sirmondo* Antirrhetici ſecundi cap. 7., & *Jacobo de Vitriaco* cap. 37. Hiſt. Occident., & ex recentioribus *Sanbovio* Tract. de Sacram. Confirm., unam & *ſolam impoſitionem manuum cum oratione* eſſentiam

ſentiam Sacramenti Confirmationis omni tempore abſolviſſe docuere; unctionem vero ſolum eſſe cerimoniam lege Eccleſiæ præſcriptam ad majorem expreſſionem effectus hujus Sacramenti. Hanc ſententiam imprimis ſummo ſtudio propugnavit *Jacobus Sirmondus* cit. loc. cap. 2. & ſeqq.; ubi tres diſtinguit ætates, in quibus unctionis confirmatoriæ uſus variaverit. *In prima ætate* usque ad quarti ſeculi initium & tempus Conſtantini M., cum vulgo ipſi Epiſcopi Baptiſmum & Confirmationem una cum Euchariſtia ſimul converſis fidelibus adminiſtrarent, unctionem unicam *in fronte* (nullam *in vertice*) ceu meram baptiſmalem cerimoniam præmiſſam fuiſſe impoſitioni manuum; utramque autem, tum unctionem, tum impoſitionem manuum ab unctione diverſam, cum oratione, ab Epiſcopo ſolo miniſtratam fuiſſe; quin Presbyteris meris, ſiquando eis baptiſmus committeretur, unctionem chriſmatis miniſtrare liceret.

In ſecunda ætate usque ad Innocentium I., qui obiit a. 417., cum jam Baptiſmi adminiſtratio paſſim presbyteris & diaconis relinqueretur, manus impoſitionem & unctionem non tantum re, ſed etiam tempore ſejunctam fuiſſe, ita, ut unctio ſeorſim una cum Baptiſmo perageretur a presbyteris & diaconis baptizantibus; manus vero tantum poſtea Epiſcopus confirmans ſine omni unctione imponeret. Creditur vero id inſtituiſſe *S. Silveſter I. Papa*, tempore Conſtantini M. ſedem Romanam tenens; cujus decretum hoc in Pontificail Romano refertur. Supponit vero Sirmondus, eam unctionem, presbyteris & diaconis baptizantibus a S. Sylveſtro

veſtro permiſſam, fuiſſe unctionem frontis eam ipſam, quæ priore prima ætate ab Epiſcopis, Baptiſmum ſimul ac Confirmationem adminiſtrantibus, inſtar meræ cerimoniæ baptiſmalis, adhibebatur. Interim & Sylveſtrini decreti & Pontificalis illius auctoritas ſubleſtæ fidei eſt.

In tertia denique *ætate*, nempe *a tempore Innocentii I. ad nos usque*, ait, morem antiquum in confirmatione reſumtum eſſe ex ejusdem Papæ decreto ſupra citato, ac manus impoſitionem & unctionem ſimul copulatam fuiſſe, eo tamen diſcrimine, quod recepta in uſu fuerit *duplex unctio* chriſmatis; *una in vertice*, cum quis baptizatur; *altera in fronte*, confirmationis Sacramento propria: cum olim unica, baptiſmalis nempe, eaque in fronte, fuiſſet.

Jam *quod primam ætatem attinet*; perquam veriſimile eſt, Epiſcopos, ſimul baptizantes & mox una confirmantes, non duas, ſed unam ſolum chriſmationem, eamque in fronte adhibuiſſe; præſertim quia illam unctionem verticalem, quæ nunc baptiſmo propria apud latinos eſt, Eccleſia græca nullo unquam tempore ad hunc diem usque uſurpavit: id quod ex græcorum Euchologiis tum antiquis, tum recentibus, & ex græcorum omnium ſcriptorum de hoc ritu ſilentio, conſtat.

Circa ſecundam ætatem vero probatione opus eſt, ut perſuadeat Sirmondus id, quod decretorium utique pro ejus ſententia eſſet, videlicet nullam in confirmatione omnino chriſmationem, ſed impoſitionem ſolam manuum Epiſcopos tunc adhibuiſſe. Probationem hanc illi

illi ſuppeditat Concilii Arauſicani I. a. 441. celebrati canon II., quem Sirmondus ex optimis & antiquiſſimis Codicibus manuſcriptis ſic legit: *Nullus miniſtrorum, qui baptizandi ſuſcipit officium ſine chriſmate usquam debet progredi; quia inter nos placuit ſemel* (*ſimul*, aliqui Codices habent pro *ſemel*) *chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate, quacunque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt: non ut præjudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.*

Senſus jam hujus Canonis ex mente Sirmondi hic eſt: in Baptiſmo ſemel in fronte chriſmationem fieri debere: quodſi caſu aliquo factum fuerit, ut baptizatus chriſmate inunctus omnino non fuerit; de hoc monendum eſſe Epiſcopum, qui Confirmationem adminiſtrare paret: quia *chriſmatis una benedictio*, ſeu unctio, *eſt*, ſive in Baptiſmo, ſive in Confirmatione; ita, ut, ſiquis in Baptiſmo chriſmatus fuerit, neceſſe non ſit eum iterum ab Epiſcopo chriſmari, *non præjudicans quidquam*, id eſt; quin poſſit ullam exinde damnum conſequi; *quia neceſſaria non habetur repetita chriſmatio*; ſed ſatis eſt, ſi ſemel unctus in baptiſmo deinceps in Confirmatione per ſolam manus impoſitionem ab Epiſcopo recipiat Spiritum ſanctum. Ubi ſupponit utique Sirmondus, ætate Concilii hujus Arauſicani unctionem verticis, ab Innocentio I. pro Baptiſmo præſcriptam, nondum in uſu apud Gallos fuiſſe, ſed ſolam frontis unctionem.

Porro hanc Sirmondi ſententiam acerrimis verbis impugnavit ſub ementito nomine *Petri Aurelii* Abbas *Sancyranus*, qui detracta particula *non*, ſic legit poſtremam Canonis prædicti partem: *Nam inter nos chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt: ut non præjudicans quidquam, ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Ex quo arguebat *Sancyranus*, unctionem frontis omnino neceſſariam & eſſentialem in hoc canone aſſeri in Confirmatione, perinde atque manuum impoſitionem. Verum, etſi Conciliorum antiquæ editiones omnes, quas *Merlinus*, *Crabbéus*, *Binius*, *Surius*, & *Antonius Auguſtinus* curaverunt, atque adeo & Codices Manuſcripti ſaltem plerique ab eisdem in procurandis illis editionibus adhibiti, Sancyrano adſtipulentur; nihilominus eruditiſſimus *Natalis Alexander* in Diſſert. de Sacram. Confirmat. contra Dallæum Calviniſtam ſimpliciter pronuntiat, lectionem Sirmondi omni pæne eruditorum generi præ adverſa probari, eo quod Manuſcripti Codices optimæ notæ ac venerandæ antiquitatis, nempe Lugdunenſis, Rhemenſis, Foſſatenſis, Tiliani &c. &c., eam confirment. Eandem confirmat *Morinus* Exercit. de Sacram. Confirm. cap. 11. ex Codice ſcripto anno Chriſti 1009.

Negat nihilominus Natalis Alexander, eum eſſe Canonis a Sirmondo lecti ſenſum, quem iſte illi attribuit, ſicque potius ipſe eundem intelligit: Placuit etiam nobis morem ſequi Romanæ Eccleſiæ ab Innocentio I. præſcriptum, & baptizatos chriſmare: Si tamen aliquo caſu omiſſa ſit in Baptismo chriſmatis unctio, ea de re commoneatur Epiſcopus, cum ad confirmandos Neophytos accedit; qui ſi duplicem adhibere chriſmatio-

mationem voluerit, unam, qua ſuppleatur baptiſmalis, alteram Confirmationis Sacramento propriam, id facere pro arbitrio poterit eodem utens chriſmate; quia chriſma, quod a presbyteris in baptiſmo, & quod ab Epiſcopis in Confirmatione adhibetur, una eademque benedictione conſecratum eſt, quin tamen illa omiſſio obſit myſterio (non ut præjudicans quidquam) *ſed ut chriſmatio illa repetita non neceſſaria habeatur*, ceu mera cerimonia baptiſmalis, chriſmatione Confirmatoria facile ſupplenda. Quem ſenſum Canonis ſi cum Natali Alexandro, ceu ſaltem æque veriſimilem, adoptes; patet, ex iſto Canone neutiquam probari, unctos in Gallia ætate Concilii iſtius Arauſicani non ſecunda vice in Confirmatione ab Epiſcopo fuiſſe, qui ſemel jam in adminiſtratione baptiſmi uncti fuerant a presbyteris, ac proinde, quod de ſecunda ætate Sirmondus propugnat (quam in Gallia ultra id Concilium Arauſicanum perduraſſe, ob nondum acceptam Innocontii I. Papæ ad Decentium epiſtolam, vel certe nondum acceptatam: ex eo ipſo Canone infert), videlicet unctionem aliquando in Sacramento Confirmationis omnino intermiſſam, nec omni tempore adhibitam fuiſſe, atque adeo nec eſſentialem eſſe poſſe, ex eo Canone Arauſicano, ceu documento ſaltem incerto, minime evincitur.

Atque idcirco *alii* Theologi utramque ſimul, manus impoſitionem videlicet, & chriſmationem in fronte, ad eſſentiam Sacramenti Confirmationis pertinere credidere. *Petrus Aurelius* ille in Orthodoxo ſuo adv. cap. 7. ſecundi Antirrhetici Sirmondi mediam quamdam inivit viam: nempe primis ſeculis manus impoſitionem

tionem & unctionem duas fuiſſe diſtinctas actiones in Sacramento Confirmationis; ſubinde tamen ab octavo ſeculo, & deinceps, nexu inſeparabili in unam conjunctam fuiſſe.

481.

Confirmatio Sacramentum eſt a Baptiſmo, & omni ejus cerimonia, diverſum. Patet hoc ex dictis §§. 479 ſeq. Omnia enim argumenta, *ex SS. literis*, & *SS. Patribus* allata, probant, jam ipſos Apoſtolos, omnesque deinceps eorum in regendis Eccleſiis ſucceſſores Epiſcopos, ſic diſcreviſſe hoc Sacramentum a Baptiſmo, ut & ritu impoſitionis manuum, & effectu, & proprio Miniſtro non niſi Apoſtolo, vel Epiſcopo, a Baptiſmo, etiam ſimplicibus presbyteris & diaconis integre delegari ſolito, ſecerneretur.

482.

Tametſi nec SS. literæ, nec traditio Patrum, de immediata inſtitutione hujus Sacramenti a Chriſto facta expreſſe teſtentur; tamen illud reipſa a Chriſto immediate inſtitutum fuiſſe tam eſt veriſimile, ut oppoſita ſententia omni poſitiva careat probabilitate. Quod *primum* attinet; fatentur id ultro Theologi catholici; cum nec SS. literæ, ac ne ipſi quidem Patres, usquam de inſtitutione iſta quidquam memorent; etſi rem ipſam veri Sacramenti ab Apoſtolis uſurpatam, & ab his acceptam, paſſim celebrent. Hæc ipſa ratio, accedente diſcordia ipſorum Doctorum catholicorum circa caput hoc, in cauſſa fuit, ut *Tridentinum* de *immediata* divina inſtitutione tum iſtius Sacramenti in ſpecie, tum omnium

omnium ſeptem Sacramentorum novæ legis univerſe, nihil definiret; contentum ſimpliciter in Seſſ. VII. can. 1. declarare, *omnia ſeptem novæ legis Sacramenta a JESU Chriſto Domino fuiſſe inſtituta, videlicet Baptiſmum, Confirmationem &c.* diſſimulans, an immediate, vel mediate id factum ſit.

Alteram vero *partem propoſitionis*, ad dogma proinde minime pertinentis, ſic *probo*. 1°.) Ex SS. Literis patet, Apoſtolos Act. VIII. ſic ſe geſſiſſe in impertienda baptizatis a Philippo Samaritanis Confirmatione, ut prorſus ex certa ſcientia futuri effectus, & plane ex alieno præſcripto, juſſu, ac certa divina promiſſione, non humano conſilio, & proprio novo placito & conſtituto, id egiſſe eos appareat: &, quod accedit, pari cum ſecuritate ſecuturi ſemper in bene diſpoſitis ſubjectis ejusdem effectus tradidere ritum Confirmationis cunctis Eccleſiis a ſe erectis perpetuo adhibendum; uti ex traditione communi omnium Eccleſiarum, ac conſecuto generali illius Sacramenti uſu, cum certa fide conjungendi eidem talis effectus, planiſſime patet (§§. 479. 480.). Atqui tam ſecuram fidem de effectu gratiæ Spiritus ſancti omni deinceps tempore in Eccleſia ſecuturo ex virtute ipſius ritus ſacri, non attendendo miniſtrorum probitatem, nec exhortando potius recepturos hunc ritum, ut ipſi invocarent adventum Spiritus ſancti ejusque gratiæ, Apoſtoli de nullo alio prorſus ritu, non ab ipſo Chriſto cum tali certa gratiæ promiſſione inſtituto, Eccleſiis tradidere, nec de hoc Sacramento tradituri fuiſſent; niſi perinde de iſto, ſicuti de reliquis Sacramentis, itidem divinam Chriſti promiſſionem, atque adeo inſtitutionem aliquam *ſaltem in confuſo*, habuiſ-

ſent. *Adde* illud inprimis quod Apoſtoli conſtanter ſe non niſi *miniſtros Chriſti & myſteriorum DEI diſpenſatores* cum S. Paulo I. Cor. IV. 1. profeſſi fuerint, nuſpiam vero auctores &. inſtitutores illorum.

2°.) *Tridentinum*, etſi de immediata Chriſti inſtitutione hujus Sacramenti nihil definite ſtatuat, tamen cit. Seſſ. VII. can. 1. ſimpliciter etiam Confirmationem definit cum ceteris Sacramentis ab ipſo Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam. Atqui ſimpliciter inſtituiſſe hoc Sacramentum Chriſtus Dominus ex vero dici nullo ſenſu poteſt; niſi Apoſtolis ipſe ſaltem confuſe dederit mandatum ritum aliquem ſacrum adhibendi ad conferendam aliis gratiam Spiritus ſancti, cum certo promiſſo de reſponſuro tali ritui ab ipſis deſignato ex parte DEI ſemper determinato gratiæ effectu. Sic profecto non Chriſtus ipſe inſtituiſſe dici poteſt ceteras *cerimonias ſacras Eccleſiaſticas*; etſi Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, acceperint poteſtatem eas lege humana Eccleſiaſtica inſtituendi; quia nimirum deeſt in illis mandatum Chriſti eas inſtituendi; & promiſſio reſponſuri ipſis ex parte DEI determinati gratiæ effectus. Unde & preces illis cerimoniis adjunctæ non a Chriſto, ejusque meritis per ſe, ſed a meritis ac dignitate totius Eccleſiæ, habent vim ſuam propriam *impetrandi*, non per ſe conferendi, gratias, quæ per eas petuntur.

* *Bellarminus*, *Vaſquez*, *Iſambertus*, & non nulli alii credidere, ad fidem pertinere, quod Chriſtus omnia ſeptem ſacramenta novæ legis, ac proinde etiam Confirmationem immediate inſtituerit. Sed contradixere iſtis alii, nimirum *Eſtius*, *Dominicus Soto*, *Tournely &c.* ex merito; ut ex huc usque dictis patet. Et vero teſtatur

ſtatur *Jodocus Ravenſtein* Lovanienſis Theologus, qui Tridentino interfuit, & in reformando canone primo de Confirmatione præcipuas habuit partes, Patres Tridentinos *ſtudioſe admodum & circumſpecte decreviſſe, quod omnia novæ legis Sacramenta inſtituta quidem ſint a Chriſto, non autem quod omnia ſint a Chriſto immediate inſtituta.* Videſis ejus Apologiam contra Kemnitium de Can. 1. Seſſ. VII.

** Ceterum *probatio*, quam pro ſecunda parte propoſitionis *ex SS. literis* attulimus, etiam *Acatholico* cuique ad id ſufficere debet, ut intelligat, Eccleſiæ Catholicæ, in Tridentino congregatæ, fundamentum in SS. literis ſuppetiiſſe ſimpliciter ſtatuendi, etiam Confirmationem a Chriſto inſtitutam fuiſſe. *Catholicus* porro, cui de infallibilitate Eccleſiæ in SS. Scripturis interpretandis conſtat, recte huic definitioni Eccleſiaſticæ de abſoluta Chriſti inſtitutione (immediata, vel mediata), acquieſcet; cum acatholico tamen rem habens, prius utique in eo elaborare debebit, ut ei Eccleſiæ auctoritatem perſuadeat, quam ut *argumento ex Tridentini auctoritate petito* iſtam rem decidere adverſus illum in animum inducat.

483.

Impoſitio manuum eſt ritus eſſentialis in Sacramento Confirmationis. Patet hoc ex dictis §§. 479. 480.

* At enim qualis eſt iſta impoſitio manuum ad eſſentiam hujus Sacramenti pertinens? *Duplex* enim in Confirmatione ſecundum ritum latinum diſtingui poteſt *manus impoſitio, una prævia*, ſejuncta ab unctione; cum nempe Epiſcopus extenſa verſus omnes confir-

 mandos

mandos manu, oratione invocat adventum S. Spiritus; *altera*, quæ fit in ipſa unctione, nec ab iſta diſtinguitur. Jam *prima non poteſt eſſe eſſentialis; quia* apud græcos omnino in more non eſt; *quia* paullo longius disjungitur ab unctione; & *quia* multi Epiſcopi ſolent adhuc ad unctionem chriſmatis admittere, tumque pro rite confirmatis habere eos, qui ſub ea adhuc erant abſentes. Sed *neque altera*: *quia* nomine impoſitionis manuum latini pæne omnes ſcriptores Eccleſiaſtici plane intelligunt ſpecialem & ab unctione diſtinctam actionem; item *quia* ſic etiam unctio verticalis Baptiſmi, ab extrema unctio infirmorum, poſſent dici impoſitio manuum; quod nuſpiam legitur.

484.

Impoſitio manuum aliqua eſſentialis eſt Sacramento Confirmationis (præc.); *ita tamen, ut veriſimiliter ſufficiat ea, quæ jam in ipſa unctione chriſmatis intervenit.*

Pars prima probatur ex dictis §§. 479. 480. *Pars altera* itidem *probatur* 1.) ex eo, quod hæc videatur eſſe mens communis Eccleſiæ latinæ & græcæ; *latinæ;* quia paſſim Epiſcopi etiam eos admittunt ad chriſmationem frontis, & pro rite confirmatis habent, qui poſt primam manuum impoſitionem primum adveniunt; id quod tum præcipue fieri ſolet, cum ingens numerus eſt confirmandorum ob raros Epiſcoporum in diſſitas civitates adventus: *græcæ;* quia ex nullo probabili documento conſtat, græcos inde a ſeculo XII. uti alia impoſitione manuum ad conferendum Spiritum ſanctum, quam ipſa chriſmatione frontis.

Proba-

Digitized by Google

Probatur 2'.) ex ſilentio *S. Cyrilli Jeroſolymitani*, qui in Catecheſi III., quæ tota eſt de Confirmatione, nullum verbum facit de alio ritu, quam de ſola chriſmatione. *Vobis*, inquit, *poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus: hoc autem eſt Spiritus ſanctus. . . . Et ſicut Chriſtus vere crucifixus & ſepultus eſt, atque reſuſcitatus, nos vero per Baptiſmum in ſimilitudine quadam una crucifigi, conſepeliri, ſimulque ſecum voluit reſurgere; ita fit & in hoc chriſmate. Ille ſpirituali oleo exultationis unctus eſt, hoc eſt, Spiritu ſancto; qui idcirco oleum exultationis vocatur; quia eſt auctor & cauſſa exultationis. Vos vero uncti eſtis unguento, facti participes & conſortes Chriſti. Et corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur; anima vero ſancto vivificoque Spiritu ſanctificatur.* Ubi ſane uti Baptiſmo ſpiritualem reſurrectionem, ita ſoli unctioni chriſmatis Spiritus ſancti participationem tribuit.

Probatur 3'.) ex Decreto Eugenii IV. Papæ ad Armenos. *Secundum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio; cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Tum citato loco Actorum VIII. ſic pergit: *loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio.*

Probatur 4'.) ex Innocentio III. cap. *cum veniſſet. De ſacra unctione;* ubi ait: *per frontis chriſmationem deſignatur manus impoſitio Apoſtolorum; quæ alio nomine dicitur Confirmatio.*

Probatur 5'.) ex *Synodo Moguntina* a. 1549. cap. 18. docente, *confirmationem ab initio ſola ma-*

manuum impoſitione exhibitam, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorundem traditione ſub chriſmatis unctione cœpiſſe conferri. Atque ab hujus Concilii decreto, uti & Doctorum ſcholæ doctrinis, ſupra §. 481. not. 3. relatis, haud dubie mos ille & ſecuritas Epiſcoporum germaniæ, imo & Galliæ (nam & de his Tournely idem non abnuit) in admittendis ad chriſmationem iis exorta eſt, qui poſt primam manuum impoſitionem primum advenere.

Denique *probatur* 6°.) *ex confeſſione fidei* totius *Eccleſiæ Orientalis*, a. 1662. a Nectario Jeroſolymitano & quatuor Sedibus Apoſtolicis approbata; cujus in Quæſt. 104. hæc leguntur: *Hæc vero unguenti inunctio, aut potius hæc unctionis ejus efficacia, ævo Apoſtolorum per impoſitionem manus fiebat, dicente ita Scriptura Act. VII. 7. &c. poſtmodum in unctione unguenti fieri cœpit, teſte Dionyſio Areopagita Eccleſ. Hierarch. cap. 2. & 4.* Et vero auctor ille quiscunque iſtius Hierarchiæ (ſeculo ſexto probabilius non antiquior) de ſola unctione item meminit, Confirmationis Sacramentum ibidem explicans. Quidquid porro de veritate mutationis poſt tempora Apoſtolorum circa ritum hujus Sacramenti ſit: ſufficit huic aſſerto probando ſenſus utriusque Eccleſiæ de eo, quod ipſa chriſmatio locum impoſitionis manuum impleat.

485.

Valde probabiliter etiam ipſa chriſmatio frontis ſecundum ſe eſſentialis eſt in eodem Sacramento. *Probatur* 1°.) EX SS. LITERIS, nimirum ex textu jam ſupra §. 479. citato ex II. Cor. I. 21. *qui confirmat nos* (Deus) *in Chriſto vobiscum*,

Digitized by Google

cum, *& qui unxit nos; qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quem locum, *etſi* probare ex ipſo textu non abſolute poſſimus, agere de unctione materiali potius quam ſpirituali; *tamen* certum eſt in eo *unctionem* ut ſymbolum effectus ſpiritualis aſſumi; *tum vero*, *quia* unctio chriſmatis certo ab ipſis jam Apoſtolis eſt tradita in hoc Sacramento (id quod traditio Scriptorum Eccleſiaſtica probat, atteſtans, inde a principio jam fuiſſe præſcriptam), recte & valde ſaltem probabiliter illum locum de eadem materiali unctione intelligimus; præſertim quod de hac textum illum, uti & alterum ex I. Joan. II. 20. *vos unctionem habetis a Spiritu ſancto*, intellexerint *SS. Cyrillus Jeroſolymitanus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Theodoretus*, *Primaſius*, aliique: ipſeque ille prior textus & nomen, & ritum, & effectum Sacramenti Confirmationis, diſtincte exprimat.

Probatur 2°.) EX TRADITIONE PATRUM inde a principio Eccleſiæ. *Tertulliani* textum clariſſimum ex Lib. de reſurrect. carnis c. 8. ſupra §. 479. probat. 2. citavi: *caro ungitur*, . . *caro ſignatur &c.* *Origenes* in VI. Epiſt ad Rom. ſcribit: *ſecundum typum Eccleſiæ traditum omnes baptizati ſumus in aquis iſtis viſibilibus, & in chriſmate viſibili.* *S. Cornelius Papa* in textu item ſupra loc. cit. allegato de Novato dicit: *ab Epiſcopo conſignatus non eſt: hoc ſignaculo non accepto, quo pacto S. Spiritum potuit accipere.* Conſignatio porro non niſi chriſmatione in fronte fit. *S. Cyprianus* Epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt*, ait, *eum qui baptizatus eſt, ut accepto Chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus DEI, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* *Concilium Laodicenum* can. 48. ſtatuit: *oportet eos, qui illuminantur,*

Digitized by Google

nantur, poſt baptiſma inungi ſupercœleſti Chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes. S. Cyrillum Jeroſolymitanum §. præc. audivimus. *S. Baſilius* Lib. de Spiritu S. cap. 27. præclare in rem noſtram ſcribit: *Conſecramus aquam baptiſmatis & oleum unctionis: ex quibus ſcriptis? Nonne a tacita ſecretaque traditione? Ipſam porro olei unctionem quis ſermo ſcriptus proditus docuit? Euſebius* Hiſt. L. III. c. 23. ex *Clemente Alexandrino* narrat hiſtoriam juvenis, quem S. Joannes Evangeliſta Epiſcopo commendaverat; a quo juvenis ille *baptizatus eſt, & ſignaculo Chriſti communitus.* Signaculum illud ex uſu græcorum conſtat eſſe chriſmationis Sacramentum; ac proin tempore Apoſtolorum illa unctio confirmatoria erat in uſu. *S. Innocentium I.* ſupra audivimus § 479. probat. 2. in fine. *S. Auguſtinus* in I. Epiſt. S. Joan. Tract. 3. *Unctio ſpiritualis,* inquit, *eſt ipſe Spiritus ſanctus; cujus Sacramentum eſt in unctione viſibili. . . Unctionis Sacramentum eſt, virtus ipſa inviſibilis: unctio inviſibilis Spiritus ſanctus.* Et L. II. contra lit. Petil. c. 104. *Sacramentum chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum Sacramentum eſt, ſicut & ipſe baptiſmus: ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis: . . diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum . . ab inviſibili unctione caritatis. S. Pacianus* in Serm. de Bapt. *Hæc autem* (nempe *ut plenis quis renaſcatur in Chriſto*) *compleri alias nequeunt, niſi lavacri, & chriſmatis, & antiſtitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur: utraque vero iſta manu & ore Antiſtitis impetramus: atque ita totus homo renaſcitur, & innovatur in Chriſto. S. Cyrillus Alex.* Comment. in Joël. *Uſus olei poſt ſacrum baptiſma in Chriſto juſtificatis confert ad conſummatiouem. S. Iſidorus Hiſpalenſis* L. IV. Orig.

Digitized by Google

Orig. cap. ult. *Sunt autem Sacramenta baptiſmus, & chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti. . . . Chriſma græce, latine unctio nominatur; ex cujus nomine & Chriſtus dicitur, & homo poſt baptiſmum ſanctificatur. Nam ſicut in baptiſmo peccatorum remiſſio datur; ita per unctionem ſanctificatio Spiritus adhibetur.* Vides hic, uti Patres unctioni chriſmatis effectum Spiritus ſancti tribuunt, eam cum Baptiſmo comparant, eam Sacramentum ſimpliciter æquo cenſu cum Baptiſmo & Euchariſtia, & inter hæc quidem medium, appellant.

* *Objicitur* 1°.) In omnibus aliis Sacramentis una eſt & ſimplex actio ſenſibilis, qua eſſentia Sacramenti una cum ſimplici forma verborum abſolvitur: ergo merito ſuſpecta eſt ſententia, quæ duas actiones, nempe impoſitionem manuum & unctionem, cui duplex verborum forma reſpondet, ad eſſentiam hujus Sacramenti pertinere tenet. Et vero ſi impoſitio manuum jam infundit Spiritum ſanctum; quid porro efficit unctio? Atqui tamen utrique etiam ſeorſim commemoratæ eundem effectum tribuunt Patres.

Reſp. Hoc argumentum veriſimilitudinem ejus ſententiæ perſuadeat, quæ tenet, impoſitione manuum & chriſmatione unam eandemque actionem in SS. Literis & SS. Patribus deſignari. Eidemque favet textus Act. VIII.; ubi Petrus & Joannes primo quidem *oraſſe* pro Samaritanis leguntur, ac deinde primum impoſitione manuum dediſſe Spiritum ſanctum: quæ *impoſitio manus*, ab oratione ſejuncta, eamque primum conſecuta, plane non videtur fuiſſe nuda manuum ſuper eos extenſio ſine locutione verbi (oratio enim jam præceſſerat)

rat) ſed unctioni frontis conjuncta cum formula conſignationem exprimente; quæ verborum formula, etſi in SS. Literis non expreſſa, facile traditione propagari potuit, uti plures aliæ. Quodſi tamen prævia *oratio* ad eſſentiam hujus Sacramenti pertineat; obſervant eam citra dubium ambæ Eccleſiæ, latina & græca; nec videtur abſolute neceſſaria eſſe præſentia omnium confirmandorum, dum ea ab Epiſcopo pronuntiatur; quia oratio etiam pro abſentibus fieri poteſt.

Interim argumentum hoc nec evincit omnino, quod intendit: Liberum enim Chriſto inſtituenti fuit, duas actiones ſeorſim pro hoc ſpeciatim Sacramento requirere; quo caſu non niſi ambabus conjunctim, nulli ſeorſum absque altera, effectus Sacramenti reſpondebit; nec aliter Patres & Scripturæ intelligendæ erunt.

** *Obj.* 2'.) *Græca Eccleſia* jam inde a primis Eccleſiæ chriſtianæ ſeculis nulla impoſitione manuum, ſed ſola chriſmatione utitur; quin unquam ei a latinis Patribus error circa Sacramentum Confirmationis objectus fuerit, vel quis prudens Theologus eidem objicere poſſit, eam hoc Sacramento carere. Et vero *Græci Patres* pæne omnes ſilent de omni impoſitione manuum in deſcriptione hujus Sacramenti, ſolamque unctionem commemorant. *Eugenius IV.* in Decreto citato ait, *loco illius manuum impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, dari in Eccleſia Confirmationem*; cujus deinde materiam aſſignat ſolam chriſmationem. *Synodus Moguntina* a. 1549. cap. 18. itidem docet, *initio ſola manuum impoſitione ab Apoſtolis, mox vero ex* ipſorum *Apoſtolorum traditione chriſmatis unctione cœpiſſe conferri.*

Reſp.

Reſp. Etiam *iſtud argumentum* confirmat ſententiam, quæ tenet, pro una eademque actione habendam eſſe eſſentialem manus impoſitionem & unctionem; eo quod conſenſus utriusque Eccleſiæ circa veritatem hujus opinionis ex eo ſaltem circa ſecula duodecima poſteriora manifeſte pateat; *grætæ* quidem, nullà alia actione quam unctione utentis; *latinæ*, græcorum confirmationem nunquam improbantis, quin & in Florentino per *Eugenium IV.* apertiſſime probantis. *Interim* tamen verum non eſt, Græcos Patres nusquam commemorare in hoc Sacramento manus impoſitionem. Nam commemorant, & celebrant illam *S. Irenæus* IV. 38., *S. Firmilianus* in Epiſt. ad Cyprian., *Origenes* L. I. Periarch. c. 3., ſupra §. 479. prob. 2. citati; item *Gennadius Conſtantinop.* ſec. V. Patriarcha in Comment. Epiſt. ad Hebr.; cujus fragmenta quædam nobis transmiſit *Oecumenius* in eodem ſuo commentario: *ad fidem accedentes*, inquit, *merito primum adhortamur, ut a mortiferis operibus reſipiſcant, - - credentes vero baptizentur; baptizati autem ſe ipſos ſubjiciant impoſitioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus .... vigilate. . . Neque enim licitum eſt, ut, ſi ſegniter vivas, rurſum baptizeris, & per manuum impoſitionem accipias Spiritum ſanctum.* Quæ eadem verba *Oecumenius* ſua ibidem facit.

Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum L. VII. c. 44. ſeqq. *poſtquam baptizaverit*, inquit, *ungat eum unguento chriſmatis, inquiens: Domine DEUS ingenite &c. .... Hæc eſt enim virtus impoſitionis manus in unoquoque, qui baptizatur.* Eandem commemorat *Eulogius* ſec. VI. Patriarcha Alexandrinus, citatus in Codice 280. Photiano

tiano, *Photius* ipſe in caput VI. Ep. ad Hebr., *Theophilactus* in eundem Apoſtoli locum. *Michaël Palæologus* Imperator in Ep. ad Gregorium X. *Sacramentum Confirmationis*, ait, *per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt, chriſmando renatos. Simeon Theſſalonicenſis*, circa a. 1410. clarus, in Lib. de Templo divino, *Chriſtus*, ait, *baptiſmatis lavacro nos regenerat, . . . per manuum vero impoſitionem unguenti gratiam impertitur.* Et in L. de ſeptem Sacramentis: *a Philippo baptizati, tanquam qui ſolum baptiſma ſuſcepiſſent, Petro ac Joanne imponentibus manus, Spiritum ſanctum accipiebant; quod ſane hoc Sacramentum eſt; ſiquidem impoſitio manuum unguentum præbebat, ut & in Apoſtolis factum eſt, ac per ipſos in multis aliis.*

Ubi tamen *notes velim*, Auctorem Conſtit. Apoſt. *Michaëlem* Imperatorem, *Simeonem*, impoſitionem manuum aperte cum unctionis actione in unam actionem confundere; ceteros græcos ſcriptores ſaltem nuspiam diſtincte ab ea diſcernere. Eodem potius ſenſu, licet non tam aperte, *Eulogium*, *Photium*, *Theophylactum*, impoſitionem manuum appellare, veriſimilis ſuſpicio eſt. *Euchologia græcorum* econtra, non recentiora ſolum, ſed & antiquiſſima, puta *Barberinum*, *Crypto-Ferratenſe* prope Romam, & quod *in Bibliotheca regia Pariſiis* extat, nongentorum annorum ætate veneranda, ſilent de impoſitione manuum, ſolamque memorant chriſmationem, etſi orationem fundendam ſuper Neophytis ante chriſmationem fere ſimilem cum latina Eccleſia præſcribant. Suſpicantur aliqui, eam orationem ex praxi ipſa cum manuum impoſitione more latinæ Eccleſiæ conjungi; etſi id ſileant Euchologia. Sed ſuſpicio fundamento hiſtorico carens nihil decidere poteſt.

Pari

Pari fundamento cum opinio *Moguntinæ Synodi* deſtituatur, etſi a magnis ſcholæ Doctoribus promota fuerit; itidem ad caput rei nihil conferre poteſt.

*** *Obj.* 3'.) De unctione chriſmatis altum *in Scriptura* ſilentium: locum enim Apoſtoli ex II. Cor. I. 21. non niſi de unctione interna ac ſpirituali intelligendum eſſe; ſicuti & illum ex I. Epiſt. Joannis; perquam veriſimile eſt. *Patres* quoque eam non ut partem neceſſariam, ſed ut cerimoniam Eccleſiæ præcepto adhibendam, quæ primis tribus ſeculis ferme ad ſolum baptiſmum pertinebat, commemorant.

Reſp. Argumentum ad ſummum probat, non eſſe omnino certam ſententiam, quam ut valde probabilem aſſeruimus, nec pertinere ad fidem. Aſt nihilominus interpretatio textus illius allata ipſa traditione Patrum valde probabilis efficitur; qui unctionem chriſmatis aperte a Baptiſmo diſtinguunt; ut peculiare Sacramentum confirmationis enumerant; Baptiſmo quoad effectum comparant; & ipſum proprium effectum Spiritus ſancti eidem adſcribunt. His adde ſenſum urtiusque Eccleſiæ §. 484. explicatum, qui pro chriſmatione ipſa profecto ex æquo ſaltem militat. Et vero græca Eccleſia nunquam obſervavit unctionem in vertice, quam latina Eccleſia in baptiſmo adhibet; cujus unctionis antiquitas & origo incerta eſt, & fortaſſis ſeculo quarto, aut omnino quinto, non major. Unctionem vero in fronte, ſolis Epiſcopis per ſe reſervatam, inde ab Apoſtolis oriens & occidens ut peculiare Sacramentum, a Baptiſmo diverſum, proprio pollens effectu, celebravit.

**** *Obj.* 4'.) Veteres Eccleſiaſtici Scriptores ſupra §. 479. probat. 2. citati accurate diſtinguunt utramque actionem impoſitionis manuum, & chriſmationis in fronte, tanquam duos diverſos ritus. Vide ſupra l. cit. *Tertulliani* textui ex L. de reſurr. c. 8. 'In L. de Bapt. c. 7. poſtquam prius dixit: *Exinde egreſſi de lavacro, perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant. . . In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit; quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* Similiter *S. Cyprianus* textu l. cit. a nobis recitato *manus impoſitionem* a *ſignaculo dominico* diſtinguit, & in altero §. 485. probat. 2. hic allegato ait, *ungi quoque neceſſe eſt &c. Apud veteres* quoque univerſe *impoſitio manuum ritus* eſt *peculiaris*, vulgo nihil cum unctione habens commune in ſola manus impoſitione conſiſtens, qua Sacerdos aut quilibet ſuperior alicui benedicebat, ac bene precabatur; qui & *Judæis* jam erat familiaris (Gen. XLVIII. 14.), & *a Chriſto* adhibitus; cum Matth. XIX. 13. pueris benediceret, ac in ſacro ordine conferendo *ab Apoſtolis* item adhibitus (ad Titum IV. 14. & V. 22.), atque ab alia quavis actione diſtinctus: quo ipſo ſolo ſenſu ſumitur a *Concilio Laodiceno* can. 5. & a *S. Auguſtino* L. III. de Bapt. c. 16. ſcribente, *quid eſt aliud manus impoſitio quam oratio ſupra hominem?* Clariſſime vero id patet ex *S. Gregorio M.*; cum L. XI. Ep. 67. ad Quirinum loquens de vario ritu, quo hæretici ad Eccleſiam recipiebantur, opponit manus impoſitionem, per quam occidens, unctioni chriſmatis, per quam oriens eos recipit: *ab antiqua*, inquit, *Patrum inſtitutione didicimus, ut*

qui

qui apud hæreſin in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad S. Eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei, ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitionem manus occidens, per unctionem vero S. Chriſmatis ad ingreſſum Sanctæ Eccleſiæ catholicæ Oriens reformat. Monophyſitas vero, & alios, ex ſola confeſſione recipit: quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit; cum vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei ſanctæ Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti. Idem S. Doctor utramque actionem probe diſtinguit in ſuo *Sacramentario* deſcribens ritum adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis; quod & obſervare ex æquo eſt in *Ordine Romano* cap. de Sabbato ſancto.

Reſp. Argumentum hoc citra dubium evincit *probabilitatem* veram ejus ſententiæ, quæ tenet, quod etiam impoſitio manus præevia cum oratione, & ſejuncta ab unctione chriſmatis, ad eſſentiam Sacramenti hujus pertineat; vel ſaltem olim pertinuerit (480. not. 3. in fine); id quod aſſertioni noſtræ §. 484. præmiſſæ non adverſatur; ſimulque probat illud, ſaltem tam facile id admitti non debere, ut etiam, qui impoſitioni illi manuum præviæ præſentes non adfuere, tamen ad chriſmationem adhuc admittantur. *Interim* ſenſus præſens utriusque Eccleſiæ de ſufficiente ad Sacramentum ſola unctione chriſmatis & impoſitione manus illa, quæ iſti per ſe conjuncta eſt, *alterutrum* nihilominus veriſimilimum reddit, videlicet *aut* mutationem iſtam actionis, ſalva Sacramenti ſubſtantia, ſeu in ſola græca, ſeu etiam in latina Eccleſia, fieri potuiſſe vi inſtitutionis Chriſti; *aut* certe jam inde ab Apoſtolorum temporibus non aliam impoſitionem manuum in hoc Sacramento

to eſſentialem fuiſſe, quam quæ ſit in ipſa unctione; & impoſitionem manuum huic Sacramento propriam id peculiare ab aliis habuiſſe, quod non nuda eſſet manus ſuper caput baptizati extenſio, ſed impoſitio ſeu applicatio proprie dicta per unctionem.

Certe a *ſeculo VIII.* paſſim impoſitionem manus Sacramento Confirmationis propriam expreſſe vocant ipſam chriſmatis unctionem *ſcriptores Eccleſiaſtici*, puta *Beda* in Pſalm. 26., *Auctor Capitularium Caroli M.* cap. 18., *Amalarius* L. I. de off. c. 27., *Haymo* homil. in fer. 2. Paſchæ, *Rabanus Maurus* L. I. de inſtit. Cleric. c. 28., *Ratramus* Corbejenſis L. IV. contra græcos c. 7., *Hugo a S. Victore* L. II de Sacram. fidei c. 10., *Rupertus* Abbas L. V. de divin. offic. c. 17.; atque in hanc denique ſententiam circa Græcam Eccleſiam conſpirant pæne omnes hodierni Theologi. Solus *Le Drouin* de re Sacram. L. III. c. 2. §. 2. vult ex eo, quod græci communem cum latinis adhibeant præviam orationem & invocationem adventus Spiritus ſancti, inferre, quod illam orationem perſolvant una cum extenſione manuum ſupra confirmandos; etſi eam, ex praxi ſatis notam, Euchologia non conceptis verbis præſcribant. Atque ex his jam ceſſabit admiratio de illis ſcholaſticorum opinionibus, quæ ſupra §. 480. a nobis ſunt relatæ. Ceterum ſi incertus reſpondendi modus, hic a nobis adhibitus, forſan diſpliceat; memineris, in rebus mere probabilibus ab eo fieri aliter haud oportere, qui errorem fugiens, plus aſſerere non vult, quam probare poſſit; id quod alibi bonis Angelis in more eſſe dixi (Tr. II. §. 165. XVII. not.).

Fateor tamen, conſiderata documentorum variabilitate, quæ de eſſentialibus *Sacramenti Confirmationis & Ordinis* in Eccleſia habemus, vehementer me inclinare in

in eam ſententiam magni nominis Theologorum; quæ tenet, Chriſtum in inſtituendis his Sacramentis contentum fuiſſe deſignare effectum, ex. gr. Spiritus ſancti robur, S. ordinis & poteſtatem & poteſtatis rite adminiſtrandæ gratiam; ritum autem ſenſibilem, quo is effectus a miniſtris Chriſti ſuis fidelibus conferendus eſſet, reliquiſſe Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus modo, quo videretur, optimo determinandum. Id quod ap divinam immediatam inſtitutionem certe ſufficit, & facile ex SS. literis hoc ſaltem factum eſſe a Chriſto probari poteſt; ſimulque modum facillimum ſuppeditat ſatisfaciendi cunctis Eccleſiæ catholicæ adverſariis; qui ea inſtabilitate documentorum ac probationum in præjudicium gravioris veritatis de indefectibilitate Eccleſiæ abutuntur.

***** Denique *nota*, nihil hac in re definitum eſſe *ſeu ab Eugenio IV.* in Decreto ad Armenos (quod chriſmationem ceu eſſentialem adſtruendo non excludit impoſitionem manuum, & alioquin univerſe pro dogmatico & decretorio non habetur) *ſeu a Tridentino.* Communiter tamen pro falſa & improbabili habetur Alexandri Alenſis ſententia ſupra §. 480. not. 3. relata.

****** *Chriſmatio confirmatoria fieri debet in fronte.* Ita *Innocentius I.* in Epiſt. ad Decent. c. 3 ſupra §. 479. probat. 2. ſub finem citata declaravit ex antiquiſſima Eccleſiæ praxi; de qua teſtis eſt *Tertullianus* L. III. contra Marcion. c. 22.; ubi *ſignaculum frontium* inter *Eccleſiarum Sacramenta* numerat; ſicut idem L. de Præſcript. c. 40. ait, *dæmonem*, ad imitationem ritus chriſtianorum, *ſignare etiam in fronte milites ſuos.* Conſentit in hoc *Eccleſia græca;* diſcrepat autem in eo, quod non tantum *frontem*, ſed *oculos* & *nares*, & *os*, & *au-*

& *aures*, & *pectus*, & alicubi etiam *manus* & *pedes* inungi jubeat. Sola autem unctio frontis eſſentialis haberi poteſt hoc ipſo, quod ceteras omnes latina Eccleſia omittat. *Frons* porro *inungitur*, *ceu ſedes pudoris*; ut jam nullus chriſtianus Chriſtum confiteri coram hominibus erubeſcat Ita *S. Auguſtinus* in Pſal. 141. Ex quo intelligitur propriam huic Sacramento gratiam eſſe robur profitendi publice fidem in Chriſtum (§. 441.). *Unctio in formam crucis fieri* debet ſaltem ex præſcripto Eccleſiæ; ſi non de neceſſitate ad valorem Sacramenti: quod poſterius ex eo probabiliter infertur; quod ſecus formula Sacramento eſſentialis (ſaltem ex ſententia plurimorum), *ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis &c.*, falſa redderetur, quæ id ipſum monet, crucem Chriſti erubeſcere chriſtianum non oportere.

******* *Chriſma* vi nominis (χρίω *ungo*) idem eſt ac *unguentum*. Unde *Innocentius I.* in Ep. ad Decent. etiam oleum infirmorum, ſolo conſtans oleo olivarum, chriſma vocat. Ex uſu autem Eccleſiæ chriſma ſignificat unguentum ex oleo olivarum (quod ſolum ſimpliciter & ſine additamento *oleum* appellari ſolet) & balſamo, vel aliis rebus odoriferis conflatum. Et *græci* quidem præter oleum ac balſamum triginta quinque ſpecies aromatum admiſcent chriſmati. Apud *latinos* ex oleo & balſamo conficiendum præſcribitur in ordine Romano, in Sacramentario S. Gregorii M., in omnibus Ritualibus. Unde *Eugenius IV.* in Decreto cit. ait: *chriſma confectum ex oleo & balſamo & ab Epiſcopo benedictum, eſſe materiam Sacramenti Confirmationis.*

Recte

Digitized by Google

Recte tamen *Tournelius*, *Ledruin*, & alii, *negant*, *balſamum ad valorem Sacramenti neceſſarium eſſe*: 1'.) *quia* nulla inter latinos mentio occurrit de balſami mixtione ante ſextum ſeculum, quo primum legitur in *Sacramentario S. Gregorii M.*: *Epiſtolam* enim *S. Fabiani Papæ* conſtat adulterinam eſſe; in qua memoratur, mixtionem illam a Chriſto inſtitutam fuiſſe: 2'.) *quia* veteres Patres Gregorio antiquiores ſæpiſſime ſolius olei mentionem faciunt; quod *Innocentius I.* etiam, ut modo dictum, Chriſma appellat: 3'.) *quia* Sacramentum materiæ omnes aliæ communes ſunt, & facile parabiles; quod de balſamo dici nequit; nec veriſimile eſt, Apoſtolos in tanta rerum egeſtate rem tanti pretii ubique ad hujus Sacramenti adminiſtrationem in promtu habuiſſe: 4'.) *quia* Innocentius III. cap. *Paſtoralis. de ſacramentis non iterandis*, ſic docet: ibi enim conſultus, an iteranda foret confirmatio ſolo oleo collata absque balſamo, reſpondet; *nihil eſſe iterandum; ſed caute ſupplendum id, quod incaute fuerat omiſſum*; id eſt, chriſmatis oleo balſamum in uſus deinceps futuros miſcendum eſſe: neque enim alius veriſimilis & intellectu facilis verborum Pontificis ſenſus eſſe poteſt.

Nec obſtat Eugenii IV. Decretum; in quo vulgo non ſolum neceſſaria ad valorem, ſed ſine diſcrimine, etiam quæ mere de præcepto Eccleſiæ ſunt, recenſeri conſtat, v. g. aquam debere vino calicis Euchariſtici admiſceri. *Denique* ne græci quidem Patres primorum quinque ſeculorum de ea mixtione verbum faciunt, excepto *auctore Hierarchiæ Eccleſiaſticæ*; qui tamen etiam

Digitized by Google

eo nomine ſeculo quinto poſterior creditur. *Benedictionem chriſmatis ab Epiſcopo factam* requirunt paſſim primorum ſeculorum ſcriptores, græci, & latini; puta *Tertullianus* de Bapt. c. 7., *S. Cyprianus* Ep. 70. *S. Baſilius* L. de Spiritu S. c. 27., *S. Cyrillus Jeroſol.* Catech. 3., *Innocentius I.* Ep. ad Decent., omnes Libri Ritualis latini & Euchologia græcorum; idemque præcipit *Eugenius IV.* in Decreto citato. Ex hoc tamen *minime ſequitur, eam eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti.* Nam parem neceſſitatem Patres æque de benedictione aquæ baptiſmalis, de aqua cum vino in ſacrificio miſcenda &c. adſtruunt; quin neceſſitas inde ad valorem conſequatur; quæ, niſi probetur, adſtruenda non eſt.

486.

Uti probabiliorem ſententiam diximus, quæ tenet, ſolam chriſmationem, &, quæ huic per ſe conjuncta eſt, impoſitionem manuum eſſentialem eſſe 484. 485.); *ita probabilius ſola verba chriſmationi conjuncta, videlicet* ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, *quæ Romana Eccleſia, vel* ſignaculum doni Spiritus ſancti, *quæ græca Eccleſia uſurpare ſolet, eſſentialia ſunt huic Sacramento.*

Ratio præcipua iterum mihi eſt *ſenſus Eccleſiæ*; græcæ & latinæ, tum ex dictis §§. 484. 485., tum ex ſequentibus ſatis manifeſtus. Nam 1'.) hujusmodi forma uſa eſt utraque Eccleſia inde a temporibus Apoſtolorum; uti vel ex nominibus *obſignatio*, *conſignatio*, *ſignaculum* &c. patet, quibus primi Patres, latini & græ-

græci, hoc Confirmationis Sacramentum vulgo exprimere conſuevere (§. 479. probat. 2.); imo quo & ab Apoſtolo tum ad Epheſ. I. 13., tum II. Cor. I. 21. (§. cit. probat. 1.), idem veriſimillime eſt appellatum; *ſignati eſtis*, *qui & ſignavit nos &c.*: id quod denique confirmant omnia *Ritualia* latinorum, & *Euchologia* græcorum, eandem, vel ſimilem formam in chriſmatione præſcribentia.

2'.) Sicut impoſitio manuum prævia, ita & oratio ei adjuncta, a tota *græca Eccleſia* pro eſſentiali non habetur.

3'.) *Eccleſia latina* adeo non diſſentit, ut potius ipſa parem ſenſum expreſſerit per Eugenium IV. in Decreto ad Armenos; in quo porro de forma ſic pergit Pontifex docere: *Forma autem eſt*, *ſigno te ſigno crucis*, *& confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris &c.*; quam declarationem ſaltem ut certiorem regulam ſequi præ omnibus ſcholæ ſententiis plerique Epiſcopi videntur, admittentes ad chriſmationem etiam eos, qui orationi præviæ non aſſuere.

4'.) Vulgo in aliis Sacramentis non niſi unica eſt formale verborum ad eſſentiam pertinens.

5'.) Ipſe modus, quo adminiſtratio hujus Sacramenti in Act. VIII. deſcribitur, innuit, orationem præviam tantum eſſe præparatoriam: *oraverunt pro ipſis* (Petrus & Joannes communi & juncta oratione); *tunc imponebant* (utique ſinguli ſingulis) *manus ſuper illos*, *& accipiebant Spiritum ſanctum.* Act. XIX. 5. cum S. Paulus itidem aliquos confirmaret, nihil de oratione memo-

memoratur; ſed ſimpliciter impoſitioni manuum adventus Spiritus ſancti adſcribitur.

* *Objiciunt* 1'.) SS. Patres, nominatim *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, & *Auguſtinus*, ut ex illorum verbis ſupra §. 479. probat. 2. citatis patet, docent, Spiritum ſanctum dari *per orationem* Epiſcoporum. 2'.) Orationem ejusmodi præſcribunt omnes libri Rituales latinæ & omnia Euchologia græcæ Eccleſiæ. 3'.) Ex verbis Jacob. V. 14. *Orent ſuper eum, ungaentes eum oleo*, infertur recte, formulam orationis in Sacramento Extremæ unctionis eſſentialem eſſe: ergo idem pro Sacramento Confirmationis inferendum ex verbis Act. VIII. *oraverunt ſuper illos.* 4'.) In Sacramentario S. Gregorii M. Romæ edito, item edito a Pamelio, & a Menardo ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Corbejenſis publicato, aliisque pluribus ejusdem Codicibus Manuſcriptis, nulla prorſus formula verborum præter orationem illam præviam reperitur; uti nec in veteri Ordine Romano ab Amalario relato L. I. de offic. Eccleſ. c. 27. in fine. 5'.) Formulæ a nobis aſſertæ nulla in SS. Literis, nulla in SS. Patribus mentio eſt.

Reſp. ad 1. Quia in SS. Literis Act. VIII. mentio fit de oratione ab Apoſtolis Confirmationis Sacramento præmiſſa, recte SS. Patres illi eam quoque & adhibuere ſemper, & commemorarunt, ceu lege Apoſtolica præſcriptam. At nuſpiam docent, eam eſſe eſſentialem, vel a Chriſto præſcriptam.

Ad 2. Eadem eſt reſponſio: item græci, licet eam ex præſcripto uſurpent, eſſentialem eſſe nullo modo credunt.

Ad 3.

Digitized by Google

Ad 3. Nego ex ſolis illis Scripturæ verbis Jac. V. ſatis quidquam probatum iri, niſi conſenſus Eccleſiæ publicus, longe diverſus ab eo, qui de verbis Act VIII. obtinet, nos convinceret. Interim verba Jac. V. *orent* &c., regulam agendi ſaltem exprimunt; verba Act. VIII. nudum Apoſtolorum factum, *oraverunt &c.*

Ad 4. Teſte Mabillonio in non nullis Liturgiis omittitur forma Conſecrationis, & teſte P. Martene L. I. de antiq. rit. c. 2. art. 3. in aliquibus Codicibus etiam forma Baptiſmi. Quæ nempe uſu quotidiano trita ac notiſſima ob ipſam brevitatem erant, cum primum ſcripto traderentur ritus Eccleſiæ, ſæpe omittebantur. Nec inveriſimile eſt, *S. Gregorium M.* in hoc imitatum fuiſſe *S. Innocentium I.*, qui diſciplinæ Arcani adhuc inhærens, ſeu legi de non evulgandis fidei noſtræ myſteriis, in Epiſt. ad Decent. c. 3., poſtquam de unctione in Confirmatione adhibenda diſſeruit, ſic circa formulam verborum concludit: *verba autem dicere non poſſum; ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Quæ ipſa verba innuunt aliam formulam, a ſola invocatione S. Spiritus diverſam, quæ in SS. Literis ab Apoſtolis adhibita ſat clare deſignatur. Ex his patet etiam reſponſio *ad* 5.

** Tam latina, quam græca Eccleſia, *orationem* ante chriſmationem præmittit, qua ſuper confirmandos invocatur S. Spiritus, nec differunt preces illæ quoad ſubſtantiam; etſi græci prævia impoſitione manuum careant, quam Romana Eccleſia præmittit. *Formula verborum* chriſmationi ipſimet conjungenda *non eadem* invenitur in diverſis Ritualibus latinis. *Ordo Romanus* editus

Digitized by Google

editus ſic habet: *Confirmo te in nomine Patris &c.* *Ordo Romanus* manuſcriptus iſto antiquior: *confirmo te, & conſigno te in nomine &c.* *Sacramentarium Toloſanum* antiquiſſimum, & præcedenti coætaneum ſic habet: *Signat te DEUS ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei ſuæ, in nomine &c.* In Bibliotheca Collegii Foxienſis extat Liber Ritualis inſcriptus *Ordo Romanæ Eccleſiæ* tempore Innocentii III. obſervari ſolitus, qui ſcriptus eſt a. 1365, habetque hanc formulam: *Signo te ſigno crucis. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.* In omnium antiquiſſimo *Codice Petaviano* legitur hæc formula: *Signum Chriſti in vitam æternam. Amen.* Hæc apud *Morinum* L. 8. de Pœnit. c. 16., *Menardum* in notis ad Sacram. S. Greg. M., & Martene T. I. de antiq. rit. L. I. cum pluribus aliis invenire eſt. Senſus tamen omnium idem eſt, qui ab Apoſtolo expreſſus II. Cor. I. 21. *qui confirmat nos vobiscum in Chriſto, & qui unxit nos DEUS, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Facile autem advertes, ab his non differre in ſubſtantia formulam græcorum.

*** Circa formulam eſſentialem Sacramenti Confirmationem perinde diſſentiunt Scholæ Doctores atque circa actionem impoſitionis manuum ac chriſmationis. Qui primam impoſitionem manus vel ſolam, vel una cum chriſmatione, neceſſariam ad valorem dicunt; etiam orationem illi conjunctam, vel ſolam, vel una cum formula *Signo te &c.*, neceſſariam eſſe tenent. Ex adverſo, qui ſolam chriſmationem abſolvere Sacramenti rem tenent, etiam ſolam formulam ei adjungi

ſoli-

Digitized by Google

ſitam eſſentialem dicunt. Nihil autem circa hoc unquam definivit Eccleſia; nec Decretum Eugenii dogmaticum eſt pro univerſali Eccleſia; quia non ex eo inſtituto, nec prævio examine, aut prius verſata controverſia rerum, quæ continet, conceptum; ac alioquin plura continet, quæ ad fidem non pertinent.

**** Ex eo, quod Græci in formula chriſmationi adjungi ſolita plane abſtineant ab *invocatione SS. Trinitatis*, certum videtur, iſtam invocationem etiam apud latinos ad eſſentiam non pertinere; licet contrarium non nulli Theologi defenderint. Nihilominus ex ipſa tam inſigni ſententiarum varietate facile intelliges, nihil ex iis, quæ controverſa ſunt, in Sacramenti iſtius adminiſtratione eſſe negligendum.

487.

Miniſter ordinarius & ex propria poteſtate adminiſtrans Sacramentum Confirmationis ex inſtitutione divina eſt ſolus Epiſcopus. Dogma catholicum *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS; ubi Act. VIII. ſoli Apoſtoli neophytis jam per alios baptizatis manus imponunt ad dandum Spiritum ſanctum; & univerſe a Chriſto propria poteſtas adminiſtrandi Sacramenta quæcunque ſolis Apoſtolis ceu Epiſcopis eſt data (468.); cum presbyteratus ipſe primum facto Apoſtolorum ab Epiſcopali ordine ſeparatus fuerit (Dem. cath. §§. 178. 179.).

Probatur 2°.) SS. PATRUM *latinorum* inprimis teſtimoniis, ſupra jam §. 179. probat. 2. allatis, puta SS. *Cornelii* Papæ, *Cypriani*, *Anonymi*

nymi contra S. Cyprianum: *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Innocentii I.*, imo & Patrum *Concilii Eliberitani* & *Hiſpalenſis II.* ibidem probat. 2. citatorum; item *Græcorum;* ex quibus *S. Chryſoſtomum* ſupra pariter §. 179. probat. 2. allegavimus: *Auctor Conſtitutionum S. Clementis* Romani L. III. c. 15. ſic inſtruit: *Deinde aut tu Epiſcope, aut Presbyter tuus, qui ſub poteſtate tua eſt, facta invocatione Patris & Filii &c. baptizabis; . . . atque ut honeſte, & a quibus decet, illibatum ſigillum imprimatur, ungat poſtea baptizatos Epiſcopus.* *Auctor* operis de Eccleſ. Hierarch. *S. Dionyſio* Areopagitæ adſcribi ſoliti, cap. 5. p. 1. proprietatem totius officii Sacerdotalis Epiſcopo competentem complectens, ita ſcribit: *Ut omnis hierarchia in Jeſum Chriſtum deſinit; ſic unaquæque in ſuum divinum Pontificem* (id eſt, uti univerſalis Eccleſiæ hierarchia in Jeſum Chriſtum per caput viſibile, nempe Romanum Pontificem, ita particularis cujusque Eccleſiæ Hierarchia deſinit in Epiſcopum illius); *vis autem omnis hierarchica per omnes hierarchiæ ſuæ ordines penetrat, & agit. Etſi enim etiam a presbyteris ſigna quædam veneratione digna perficiuntur; nunquam tamen Presbyter ſacram divinamque generationem* (id eſt, baptiſmum) *ſine diviniſſimo unguento peraget; neque divinæ communionis myſteria perficiet; niſi Communionis Sacramenta in divinum Altare impoſuerit; quin ne Presbyter quidem ipſe erit, niſi Pontificis conſecrationibus ad id delectus erit. Itaque divinus mos ſanctam hierarchicorum ordinum inſtitutionem divinique unguenti confectionem, atque ſanctam altaris conſecrationem, divinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit.*

Sim-

Simplex igitur presbyter ſine Pontifice non baptizat, nec confirmat, nec ſacrificat, ex duplici ratione; *quia* facultatem id agendi non habet niſi a Pontifice; & *quia* ſine unguento, aut altari conſecrato id non facit, & unguenti confectio ac altaris conſecratio ad Pontificem, non ad Presbyterum, ſpectat. Exiſtimatus iſte Dionyſius ex conſuetudine totius Orientis baptiſmum confirmationi jungit; quia hæc duo Sacramenta ſemper ſimul conferebantur. In hunc Dionyſianum locum commentans *S. Maximus* in Scholiis ſuis: *Nota*, inquit; *quia & ſanctificare & conſecrare unguentum non eſt Presbyterorum, quin nec Altare conſecrare; etiamſi in eo offerant, nec ordinare: hæc enim ſolus Pontifex perficit; ſine quibus Presbyter nec baptizabit, nec offeret; ſed in iis, quæ prius ab Epiſcopo conſecrata fuerint, ſacra munera exercebit. Ita vero oportet propoſita intelligi, quod omnia Sacerdotaliter perfecta ad Pontificem referuntur, ut qui ea per ſuos ordines operatur, quibus præbuit poteſtatem hæc agendi. Sed tamen potiſſimum & eximie Pontifici attributa eſt unguenti ſanctificatio, & Altaris conſecratio, & ſacratorum Clericorum ordinatio; ut iſta per ſe ipſum faciat, non autem per aliorum miniſteria.*

Ubi adverte, putatitium Dionyſium quidem æque ac S. Maximum, ex more apud græcos ſeculo ſeptimo certe jam obtinente, adſtruere, Presbyteros adminiſtrare Sacramentum Confirmationis; ſed ſimul maxima emphaſi pronuntiare, illos non proprio ſuo officio, jure, ac poteſtate, ſed ex delegatione Epiſcoporum, ceu miniſtros iſtorum, & cum dependentia quadam ab iſtis, uti baptizare, ſic & confirmare, atque etiam ſacrificare, eo ipſo, quod in his omnibus

Sacramentis ab Epiſcopis neceſſaria ad ea adminiſtranda accipere debeant, nempe chriſma & altare a ſolis Epiſcopis conſecrandum. Quæ ſane rurſus eam ſententiam clariſſime evincunt; ſecundum quam docui in Dem. Cath. §§. 185. 178. not., videlicet totum Parochi officium omnemque poteſtatem tantum eſſe delegatam ab Epiſcopo.

His accedunt 3'.) Concilium *Florentinum* & *Tridentinum*. In illo Eugenius IV. in Decreto ad Armenos ſic habet: *Confirmationis ordinarius miniſter eſt Epiſcopus*: *Tridentinum* vero Seſſ. VII. Can. 3. ſic definit: *Siquis dixerit, Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

488.

Delegari tamen Presbyteris ſimplicibus poteſtas confirmandi poteſt, nullo certe divino jure obſtante. Neque enim obſtat 1'.) jus divinum ſcriptum: quia in Actis VIII. id unum legimus, ab Apoſtolis id Sacramentum iis, qui fuerant baptizatis a Philippo *diacono*, collatum eſſe; ex quo nulla conſecutio eſt, ejus conferendi poteſtatem presbyteris delegari non poſſe; maxime quod eo tempore veriſimilius nulli adhuc meri presbyteri exiſterent, qui non ſimul eſſent Epiſcopi.

2'.) Nec obſtat divinum jus, traditione vivæ vocis ad nos transmiſſum. Nam Patres ſupra citati, etſi *propriam* poteſtatem confirmandi vendicent Epiſcopis, non tamen idcirco negant, eam *delegatione* communicari presbyteris ſimpli-

ſimplicibus poſſe; quin imo contrarium innuunt. *S. Innocentius I.* epiſt. ad Decent. appellat. *conſuetudinem Eccleſiæ*; & ſic pariter vocat *S. Hieronymus* in Dial. adv. Lucif; *morem Eccleſiæ* dicit *S. Auguſtinus* L. XV. de Trinit. c. 26. Hoc certe ſenſu, & fortaſſis græcorum morem jam tunc uſitatum perſpectum habens, ait *S. Hieronymus* Epiſt. 85. ad Evang.: *quid facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* poteſtate videlicet ſaltem delegata. Et *S. Chryſoſtomus* (veriſimiliter item ad Græcæ Eccleſiæ morem reflectens; de quo mox infra) hom. 11. in Epiſt. I. ad Timoth.: *ſola ordinatione* (Epiſcopi) *majores ſunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.*

3'.) Certum eſt, græcos officium confirmandi a multis retro ſeculis ſimplicibus presbyteris, non improbante latina Eccleſia, delegaſſe. Hujus moris teſtes habemus illorum ubique communi *Euchologia* nongentis annis antiquiora; quæ uno continuo ritu Sacerdotem ut miniſtrum baptiſmi & confirmationis repræſentant, atque inſtruunt; prout Goarius pridem exhibuit. Id ipſum ex *Photii* Patriarchæ Encyclica ſecunda ad Patriarchas omnes orientis miſſa clariſſimum eſt; in qua de latinis magna acerbitate conquerens; quod Bulgaros, ad Chriſtum recens converſos, & a græcis presbyteris confirmatos, iterato per Epiſcopos inunxerint eo nomine; quod Presbyteris non liceret baptizatos confirmare; morem contrarium, ceu nulla lege, a nullis Patribus, a nulla Synodo prohibitum, & minus adhuc ab ullo ex Patriarchis & Epiſcopis orientis, ad quos ſcribit, improbandum, ceu denique notorie legitimum, propugnat. Id quod profecto ſine extrema, ne dicam, impu-

dentia, ſed imprudentia facere non poſſet; niſi certus eſſet, eum morem minime novum, ſed paſſim receptum apud illos ſua ætate fuiſſe.

Teſtantur de antiquitate hujus moris apud orientales inſuper *auctor Commentariorum in S. Pauli Epiſtolas*, vulgo *Ambroſiaſter* ob nomen fictitium appellatus, in c. 4. Epiſt. ad Epheſ. ſcribens: *apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*; & *Auctor quæſt. in vetus & novum teſtam.* (inter opera S. Auguſtini) quæſt. 101.: *in Alexandria & per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſecrat Presbyter*, ſubintelligе *chriſma;* Euchariſtiam enim ubivis terrarum Sacerdotes conſecrare ſolent. *Inde eſt*, quod contra morem Patrum Latinorum *Græci Patres*, de Sacramento Confirmationis tractantes, de miniſtro vel prorſus ſileant, vel ejus officium ſub generali nomine *Sacerdotis* exprimant univerſi, nullo excepto. *Inde eſt*, quod, cum ſucceſſu ſeculorum multiplicatis fidelibus mos ille mutaretur, ut jam non ſolis diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & Epiphaniæ baptiſma, & una cum confirmationis Sacramentum ab Epiſcopis ipſis conferretur, ſed baptiſma etiam ſolenniter poſſet a ſimplicibus presbyteris quovis tempore adminiſtrari; quod, inquam, in *latina* quidem *Eccleſia* confirmatio a baptiſmo tempore ſepararetur, & ſolis Epiſcopis opportuno tempore conferenda jure antiquo reſervaretur; in *græca* vero & *orientali* majore ſcrupulo, ne videlicet pueri, morte immatura abrepti, tanti myſterii expertes eſſent, conſentientibus totius Orientis Epiſcopis Presbyteri confirmandi officium obtinuerint, & ad hunc diem retinuerint. *Inde eſt* denique, quod græci chriſmationem verticis, a latinis ſacerdotibus in baptiſmate adhiberi ſolitam, nunquam

quam adoptarint; quia græcis Sacerdotibus ipſa chriſmatio frontis, cujus illa verticalis utcunque vicem apud latinos gerit, permiſſa fuit. Jam vero nihil hac in re a græcis contra jus vel inſtitutionem divinam peccatum fuiſſe, ex ipſa latinæ Eccleſiæ tacita ſaltem approbatione patet; quæ nunquam, quoties de pace cum illa tractavit, nempe in Lugdunenſi II.; & Florentino Concilio œcumenico, circa ritus proprios aliquid illi objecit; ſed cum omnibus illis græcos iterato ad unionem recepit. Imo vero, cum *Eugenius IV.* inter alias quæſtiones quæſtione ordine ſexta id ipſum græcis objiceret, quod *non Pontifices, ſed Sacerdotes* apud ipſos *ſacro chriſmate inungerent*, in Actis ita ſubditur: *hæc a latinis objecta Mitylenenſis Epiſcopus canonice legitimeque diſſolvit.* Sed & poſtea temporа *Leo X.*, *Clemens VII.* & *Urbanus VIII.* Pontifices iterato declararunt; græcis propter ritus, quos habent a noſtris diverſos, nullam moleſtiam inferendam, plenamque libertatem relinquendam eſſe.

4'.) Conſtat vero jam ſeculo ſexto etiam in latina Eccleſia aliquando meris presbyteris permiſſum confirmandi officium fuiſſe. Prætereo quidem *Arauſicani I.*, *Toletani I.* & *Barcinonenſis II.* conciliorum canones, ceu incerta rei alioquin ſat conteſtatæ documenta. *S. Gregorius M.* Sardiniæ Presbyteris deſinente ſeculo VI. aut ineunte VII. eam gratiam fecit L. III. Epiſt. 26.; poſtquam initio quidem morem jam in ea inſula a presbyteris introductum corripuerat; ſed mentem ob ſcandalum ex ea correptione exortum brevi mactaverat. *Nos quidem*, inquit priorem ſeveritatem ſuam excuſans, *ſecundum uſum veterem noſtræ Eccleſiæ fecimus:*

ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur; ubi Epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus. Profecto *S. Gregorius M.*, Apocriſiarius antehac Sedis Romanæ in urbe Conſtantinopoli, moris græcorum probe conſcius erat; ſecus rem novam in Eccleſia latina tam facile non conceſſiſſet; niſi dicere malis, jam ante S. Gregorium ſimile quid in pluribus paullo ante nominatis Hiſpaniæ & Galliæ diœceſibus obtinuiſſe. Et vero haud dubie ad hoc Gregorii factum alludens *Eugenius IV.* in Decret. Armen., cum *Epiſcopum ordinarium confirmationis miniſtrum eſſe* dixiſſet, paucis interjectis addidit: *legimus tamen, aliquando per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Sacramentum.* Quo ipſo ſenſu etiam *Tridentinum* ſolum definiit, Epiſcopum eſſe *ordinarium* Confirmationis miniſtrum: ubi enim aliquis ordinarius eſt; non ſequitur, alium extra ordinem adhiberi non poſſe.

5'.) Extant denique iſtius rei certa inter latinos exempla poſtremis ſeculis; quia teſte Wadingo in Annal Fratrum Min. in cœnobio Hiſpalenſi extat exemplar authenticum privilegii iſtius a. 1521. die 25. Aprilis ab *Hadriano VI.* ſacerdotibus regularibus ex Ordine S. Franciſci conceſſi; ut in Indiis, ubi non erant Epiſcopi, chriſmate ab Epiſcopo conſecrato Neophytos poſſent confirmare. Pari privilegio Patres Societatis a Gregorio XIII. fuiſſe ornatos a Ludovica Fonſeca S. J. ſibi a. 1593. ſancte affirmatum fuiſſe, refert Arcudius in Concord. L. II. de Conf. c. 15.

* His

* His præmiſſis facile eſt reſpondere his, quæ hoc in argumento vulgo objici conſueverant. *Objiciebant* autem 1'.) *ex SS. Literis* exemplum Ananiæ, de quo, licet eſſet merus presbyter, Act. IX. 10. legitur: *introivit in domum: & imponens ei* (Saulò cœco) *manus dixit: Saule frater! Dominus miſit me Jeſus, - - ut videas, & implearis Spiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquammæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.*

Reſp. Evidens eſt, illam impoſitionem manuum fuiſſe mere curatricem cœcitatis; quia ſecus confirmatio baptiſmum præceſſiſſet. Ananias ergo, ceu jam divinitus edoctus de vocatione Sauli ad Apoſtolatum, ſolum ait: Dominus me miſit, ut videas per me, & per baptiſmum diſponaris ad Spiritus ſancti plenitudinem deinceps, ſeu per manum Apoſtolicam, ſeu immediato deſcenſu Spiritus ſancti in te, modo, quo ceteris Apoſtolis contigit, accipiendam: de quo ultra certi nil conſtat.

Objiciebant 2'.) *ex Patribus. S. Hieronymus* in dial. adv. Lucif. *legem Eccleſiæ* vocat *conſuetudinem, ut baptizatis manus imponant Epiſcopi, ad honorem potius Sacerdotii, quam neceſſitate,* introductam. Præter Hieronymum græci omnes ſilent de miniſtro Epiſcopo.

Reſp. S. Hieronymus recte dicit, non ex natura rei, nec lege immutabili id facere Epiſcopum; ſed ut Epiſcopatui ſuus honor & diſcrimen dignitatis ſupra presbyteros ſervaretur.

Objiciebant 3'.) *ex Conciliis. Barcinonenſe II.* can. 2. *confirmandi Neophytos, Arauſicanum I.* can. 1. *hæreticos in mortis diſcrimine poſitos. ſi deſit Epiſcopus, cum chriſmate conſignandi, ſi catholici eſſe deſiderant,* poteſtatem presbyteris tribuunt.

Reſp. Barcinonenſe ſolum præcipit, *ne quid pretii accipiatur, cum chriſma presbyteris diœceſanis datur pro Neophytis* (ſubintellige, ab Epiſcopo venturo) *confirmandis.* De *Arauſicano* (idem eſt de *Epaunenſi* idem ſtatuente) incertum eſt, an de vera confirmatione, an potius de cerimonia mera, illius vicem utcunque ſupplente, ſermo ſit. Hoc ad ſummum concludes, *delegatam* pro neceſſitatis caſu presbyteris eam poteſtatem ab Epiſcopis in ea diœceſi fuiſſe.

* * Contra dicta §. 488. porro *objiciebant* Hugo a S. Victore, Durandus, Gabriel, & ex recentioribus Theologis Eſtius, Sancyranus Abbas ſub nomine Petri Aurelii, Sanbovius, aliique contra ſentientes, exemplum *Nicolai I.* Papæ, confirmatos a presbyteris Photianis Bulgaros denuo baptizari per Epiſcopos jubentis.

Reſp. Res ita habet. Anno 861. Bulgari, a Michaële Imperatore bello, fame, & aliis belli miſeriis preſſi, Chriſto ſe nomen dare, & Romano imperio ſubeſſe velle, per legatos ſignificarunt. Incertum, latini, an græci, primas partes in eorum converſione ſibi vendicarint; utriusque gentis ſcriptoribus hunc ſuæ nationi honorem vendicantibus. Veriſimilius mutuæ in hoc negotio græcorum ac latinorum partes fuere. Hoc certum ex Anaſtaſio Bibliothecario in Præfat. ad Synodum VIII., Bulgarorum regem Bogorim, qui in baptiſmo nomen Michaëlis Imperatoris accepit, tum a

Ludo-

Digitized by Google

Ludovico Germanico rege Epiſcopum & presbyteros expetiiſſe, tum a Nicolao I. Pontifice Romano ſubmiſſos Epiſcopos accepiſſe, omnemque ſuam provinciam ſedi Romanæ ſingulari devotione ſubjectam velle declaraſſe. Cum porro eadem tempeſtate *Photius*, detruſo nefarie *S. Ignatio* legitimo Conſtantinopolis Patriarcha, eam ſedem per vim invaſiſſet, Epiſcopi latini, ſive occidentalis Eccleſiæ diſciplinam ſecuti, ſive etiam ſpeciali juſſu Nicolai I. (quod poſterius quidem ſola Photii Encyclica ſecunda ſuperius citata, incertum, vere, an falſo, affirmat) quoscunque a græcis & Photianis presbyteris confirmatos invenere, denuo inunxere. Interim merito dubites an Nicolai I. juſſu id factum fuerit; quodſi tamen eo volente factum ita eſt; non ideo id factum; quod Nicolaus I. univerſe græcorum presbyterorum confirmationes, delegatione ab Epiſcopis ſuis facta in propriis iſtorum diœceſibus ſuſceptas, improbaret, aut invalidas agnoſceret; ſed quia ea tempeſtate a Photio intruſo, & jam ſedis Romanæ ſententia excommunicato, ea delegatio fieri presbyteris regione Bulgarorum, non Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſed Sedi Romanæ jam ſubjecta, nequaquam potuit; de quo infra dicemus.

Interim ex ſimplici tali facto, ſeu legitimum, ſeu non legitimum fuerit, de jure ipſo decerni non poteſt. Nunquam deinceps ſedes Romana ipſam græcorum conſuetudinem, qua presbyteris confirmatio adminiſtranda ab Epiſcopis conceditur, ut invalidam, aut legi divinæ adverſam, improbavit; ſed ſolum latinæ Eccleſiæ conſuetudinem contrariam, qua id meris presbyteris vulgo negatur, contra Photii calumnias defendit; ut ex *Nicolai I.* Epiſtola ad *Hincmarum* & ceteros Galliæ Epiſcopos (quæ in Annalibus Bertinianis ad annum 867.

 & apud

& apud Flodoardum in hiſtoria Rhemenſis Eccleſiæ L. III. c. 7. refertur) & ex *Ratramni Corbejenſis Monachi* reſponſionibus ad objectiones græcorum; juſſu *Nicolai I.* & Galliæ Præſulum conſcriptis, conſtat. Sic *Innocentius III.*, cum eo tempore, quo urbs Conſtantinopolis a latino exercitu expugnata teneretur, latini græcis permixti viverent, ſolum latinis presbyteris in Epiſt. ad Lucium legatum ſuum interdixit, ne confirmarent. *Innocentius IV.* quidem ab Epiſcopo Tuſculano, legato ſedis Apoſtolicæ in regno Cypri, græco ritui ſubjecto, conſultus de ritibus græcorum, reſcripſit, *ſolos Epiſcopos conſignare poſſe in frontibus baptizatos*; verum nec publicatum in regno Cypri unquam fuit hoc reſcriptum, nec executioni mandatum; quia id Papa quidem de *propria* ſolis Epiſcopis poteſtate reſcripſerat, volens græcos Cyprios ad Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, ſi fieri poſſet, adducere; ſed re deinceps maturius deliberata reſciſſum decretum eſt; prout ex ipſo exitu & ſecuta deinde contraria *Eugenii IV.* in Florentino Concilio declaratione luce clarius patet. Pariter *Clemens VIII.* Papa in Inſtructione ſuper ritibus græcorum ſolum græcos presbyteros in Italia ſub latinis Epiſcopis degentes a munere confirmandi removit, & confirmatos ab illis juſſit ſub ea conditione iterum confirmari, ſi a propriis ſuis Epiſcopis non fuiſſent ad id delegati.

*** *Quærunt* vero Theologi, an poteſtas confirmandi pars ordinis Epiſcopalis, an jurisdictionis ſit. Difficultas occurrit, quodvis ex his duobus dixeris: *ſi primum*: presbytero concedi non poterit: *ſi alterum*; ergo electus, & a Pontifice Romano confirmatus Epiſcopus, licet nondum conſecratus, proprio jure confirmare proprios diœceſanos poterit; nunquam vero

valide

valide alios extra ſuum diœceſin, niſi ex delegatione alterius Epiſcopi diœceſani.

Reſp. Poteſtas confirmandi, ceu poteſtas conferendi Sacramentum Chriſti, nulli laico, imo nec diacono communicanda, eo ipſo, quod ſit poteſtas fungendi *miniſterio* ipſius *Chriſti* in Sacramento divino conferendo (ordo enim diaconatus ſolum poteſtas eſt fungendi *miniſterio Eccleſiæ* per dicta in Dem. Cath. §. 187. not.), evidenter pars ordinis totius Epiſcopalis eſt, non jurisdictionis (Dem. Cath. §§. 168. 31.). *Quæri* ergo *ſolum poteſt*; utrum hæc pars ordinis Epiſcopalis totius conferatur jam presbyteris una cum ordine presbyterii; vel an ſit pars ſpecialis, & diſtincta ab ordine presbyterii. *Si primum* dixeris; ſequi videtur quemvis presbyterum, uti conſecrare, ſic & confirmare ſaltem *valide* poſſe; quod ſenſit Richardus Radulphus, vulgo Archiepiſcopus Armacanus, Scotus, Durandus, & alii plures: *ſi alterum* dicas: videtur, eam mero presbytero conferri non poſſe; quia jam ordine, id eſt, poteſtate ordinis, ſuperior presbytero, ac proin Epiſcopus evadet.

Sed his facile eſt *reſpondere*: nam ſi delegata ſolum, non propria poteſtas ſaltem *valide* confirmandi, conceditur; non pars ordinis, qui *ſtabilis per ſe*, ac proin *propria*, poteſtas ex natura ſua eſt, confertur; ſed actio ſolum & exercitium ordinis certis & juſtis rerum adjunctis id exigentibus committitur, poteſtate mere delegata: imo ſi etiam *ordinaria poteſtas*, ſed mere delegata ſicuti *jurisdictio ordinaria*, & tamen *mere delegata* eſſe poteſt per dicta in Dem. Cath. §. 185. II. & III.), quæ quovis tempore iterum pro arbitrio delegantis eripi poſſit, concedatur, ordinem, id eſt, gradum

dum ſtabilem altiorem propriæ poteſtatis non conficiet; nec proin presbyter, eadem inſtructus, in ordine ſuperiore idcirco conſiſtet (Dem. cath. §. 168.). Quin addamus etiam quid amplius: ſi etiam propria confirmanda poteſtas presbytero ultra poteſtatem conſecrandi & abſolvendi, ſine poteſtate tamen ordinandi, conferri poſſet; talis presbyter ordine quidem ſuperior eſſet aliis ſimplicibus presbyteris, ſed adhuc inferior Epoſcopo; qui id proprium adhuc ſupra id haberet, quod ordinare & presbyteros, & Epiſcopos, & presbyteris conferre quamlibet poteſtatim confirmandi poſſet.

Interim ne exemplo quidem græcorum ſatis probari poteſt, unquam factum in Eccleſia fuiſſe, ut presbyteris ſine ordine Epiſcopatus poteſtas propria confirmandi collata, aut hæc unquam ab Epiſcopatu ſeparata fuerit. Et vero ſi fieri poſſet; *quæri* etiam *ultra poſſet;* an cum, vel ſine Sacramento, hæc nova pars ſacri ordinis conferenda eſſet: de quo fortaſſis alibi redibit ſermo.

Illud vero ex modo dictis clariſſimum eſt, *invalide merum presbyterum confirmare*; *ſi nec delegatam ullam ad id poteſtatem ab Epiſcopo reipſa habeat*: quia utique poteſtas valide conferendi unum Sacramentum a poteſtate conferendi aliud Sacramentum ſeparabilis ex natura ſua eſt; & quod in latina Eccleſia huc uſque vulgo ſeparata fuerit; ipſa obſervantia perpetua docet: potuiſſe autem Eccleſiam latinam illam confirmandi poteſtatem ab ordine mero presbyterii ſeparare, ex eo clariſſime patet, quod ipſe ordo presbyterii ab ordine Epiſcopatus, quoad ex SS. literis conſtat, non jure aliquo divino, vel lege Chriſti, ſed facto & conſtitu-

to

Digitized by Google

to Apoſtolorum ſeparatus fuerit (Dem. Cath. §§. 185. 178. not.) Porro *Valdenſes*, *Wicleffitæ*, *Lutherani*, *Calviniſtæ* quod presbyteros omnes miniſtros ordinarios Confirmationis dixerint, mirum non eſt; quippe qui nullum ordinis diſcrimen inter illos & Epiſcopum agnoſcebant.

**** *Quærunt* porro an quilibet in ſua diœceſi Epiſcopus poſſit ſimplicibus presbyteris proprio judicio delegare miniſterium confirmandi.

Reſp. In latina Eccleſia *licite* id fieri non poteſt: quia lex generalis, diuturna obſervantia jam ſtabilita id prohibet; in qua ſolus Romanus Pontifex juſta ex cauſſa diſpenſare poteſt (Dem. Cath § 279. ſeqq.). Sed an non fieri id *valide* ſaltem poteſt; etſi illicite?

Reſp. Non: Sicut enim propria poteſtas eſſe poteſt ſine omni poteſtate eam delegandi; ita poteſtas eandem propriam poteſtatem delegandi non ulterius ſe extendit; quam voluit princeps ſupremus, qui & poteſtatem propriam aliquid valide agendi, & poteſtatem delegandi illam, largitus eſt: atqui præſumi non poteſt (niſi in extraordinario caſu; ubi ſalus publica contrarium exigit) quod ſupremus princeps, qui in noſtra caſu eſt JESUS Chriſtus dominus, velit concedere poteſtatem delegandi miniſterium ſuum in conferendis valide Sacramentis in caſibus illicitis; in quibus nullius alterius boni communis ratio id poſtulat. Atqui nulla communis boni ratio poſtulat, ut *contra legem Eccleſiæ* actu obligantem valide delegare poſſit Epiſcopus poteſtatem confirmandi. Atque ex his *concludes de confirmatione Presbyterorum Photianorum extra territorium* ſui Patriarchæ, actu ſuſpenſi, & excommunicati, *collata*.

*****

Digitized by Google

***** *Quærunt* denique: an valide etiam confirmet Epiſcopus hæreticus, uti certum eſt, eum valide baptizare..

Reſponſio communis eſt, valide eum confirmare. Atqui tamen, *inquiunt*, hæretici ad Eccleſiam reverſi omni tempore de novo confirmabantur tam in oriente, quam in occidente: ubique enim vel manus impoſitione ſola, vel etiam unctione chriſmatis cum formula conſueta Sacramenti confirmationis, recipiebantur, & conciliabantur Eccleſiæ.

Reſp. S. *Stephanus I.* Seculo III. ita reſcripſit de baptizatis apud hæreticos: *ſiquis a quacunque hæreſi venerit ad nos; nihil innovetur, niſi quod traditum eſt; ut manus illis imponantur in pœnitentiam.* *Siricius* Papa ſeculo V. in Epiſt. 1. c. 1. ſic ſtatuit: *Baptizatos ab Arianos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociamus; quod etiam totus Oriens occidensque cuſtodit.* *S. Innocentius I.* itidem Sec. V. jam ante Siricium Epiſt. 2. c. 8. decernit: *Venientes a Novatianis, vel Montenſibus, per manus tantum impoſitionem ſuſcipiantur.* Et Ep. 18. *Arianos baptizatos in hæreſi in Eccleſia ſuſcipi*, ait, *per manus impoſitionem ſub imagine pœnitentiæ.* *S. Leo M.* itidem Sec. V. Epiſt. 135. ad Ravennat. Leonem c. 2. ſcribit: *ſi ab hæreticis baptizatum fuiſſe quempiam conſtiterit; hoc tantum, quod deſinit, ei conferantur; ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem S. Spiritus conſequatur.* Et a *Ruſtico Narbonenſi* conſultus, quid de iis agendum, qui ex Africa venerant, ignari, in qua ſecta baptizati eſſent, reſcribit: *baptizandi non ſunt, quolibet modo formam baptiſmatis acce-*

acceperint; ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus Sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, copulandi ſunt. S. Gregorius M. Sec. VI. L. XI. Epiſt. 67. ſcribit, *hæreticos Arianos unctione chriſmatis in oriente, in occidente impoſitione manus recipi;* aliquos etiam hæreticos *ſola fidei confeſſione: quia ſanctum baptisma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit; cum* alterutro ex illis modo *Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti.* Vide textum integrum ſupra §. 485. not. 4.

Notandum porro, ex S. *Cypriani* Ep. 71. ad Quintum, uti & ex *Vigilii* Papæ Epiſtola 2. ad Eutherium, conſtare, etiam baptizatos in vera Eccleſia, ſi ad hæreſin tranſierint, reverſos rurſus ad Eccleſiam manus impoſitione cum pœnitentia recipi conſueviſſe; de quibus tamen conſtabat, jam fuiſſe rite confirmatos; ſiquidem primis ſaltem tribus ſeculis Confirmatio mox una cum Baptiſmo adminiſtrari ſolebat.

Probat præterea S. *Auguſtinus* L. II. contra lit. Petil. & pluribus aliis locis ipſe, confirmationem etiam apud hæreticos valere, & tamen L. III. eos manus impoſitione recipiendos eſſe ait. Ex quibus infero: cum in Eccleſia occidentali Sacramentum Confirmationis nunquam ſine chriſmatione conferri conſueverit, atque chriſmatio in hoc Sacramento a latinis Patribus ſemper pro eſſentiali habita fuerit, ut ex §. 485. probat. 2da patet; impoſitionem iſtam manuum, qua ſola, ſine chriſmatione, ſemper hæretici in Eccleſia latina olim recipiebantur, meram eccleſiæ cerimoniam fuiſſe, pro certo habendum eſt; qua illi ſub certo modo pœnitentiæ

tiæ in unionem catholicam recipiebantur. Et vero S. Auguſtinus Loc. cit. de ea ipſa manus impoſitione reconciliatrice hæreticorum ſcribens, ait: *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus, repeti non poteſt. Quid enim eſt aliud niſi oratio ſuper hominem?* Gratiam autem Spiritus Sancti eisdem hæreticis ſimul precabatur Epiſcopus; quia in foro externo non credebatur illa eis fuiſſe in hæreſi collata; etſi fortaſſis in foro interno innoxie erraſſent.

Quodſi *objicias*: *Concilium Arauſicanum I.* a. 441. can. 1. *Epaonenſe* a. 517. cap. 16. cui *Avitus Viennenſis* ipſe præficit. *Arelatenſe II* a. 455. concedunt presbyteris, ut hæreticis converſis ad fidem in articulo mortis, *ſi deſinit Epiſcopi, unctione chriſmatis ſubveniant*: ergo in occidentali etiam Eccleſia unctione chriſmatis, id eſt, vero Confirmationis Sacramento repetito, reconciliabantur Eccleſiæ hæretici.

Reſp.: quidquid maximi nominis Theologis quibusque, ad hæc iſtorum conciliorum ſtatuta reſpondentibus, viſum fuerit, ajo; hic non agi de hæreticis antea jam per hæreticos Epiſcopos confirmatis (vix enim id ætatis erant Epiſcopi hæretici notorii in Gallia) ſed de hæreticis, quales vulgo tunc reperiebantur in Galliis, tantum baptizatis; quibus ob hæreſin ipſam communio Sacramentorum, atque adeo Confirmatio, antea negabatur; in converſione autem reſtituebatur ita, ut ob neceſſitatem mortis etiam presbyteris confirmandi poteſtas delegaretur.

Eo

Eo autem in caſu, quo conſtabat hæreticum ex. gr. peregre venientem jam in hæreſi confirmatum fuiſſe, non fuiſſe moris in Eccleſia Gallicana converſos illos chriſmate inungere, patet ex Epiſt. 24. *Alcimi Aviti* Epiſcopi Vienenſis, qui interrogatus a *Stephano Lugdunenſi*, quo ritu quidam Donatiſta in Eccleſiam admitti deberet, ſec. VI. ineunte reſcripſit: *Manus impoſitionem perſonæ, de qua ſcribitis, adhibete: ... quam conſtat cum miniſterio baptiſmatis etiam chriſmate conſignatam.*

Atque hæc *de Eccleſiæ latinæ diſciplina* hac in parte ſufficiant reſponſa, ceu ad præſentem ſcopum ſat manifeſta; quin opus ſit cunctis in hoc argumento ſolitis vitilitigiis ſe immittere. Aſt *alia erat Orientalis Eccleſiæ in recipientis hæreticis diſciplina.*

Concilium Nicænum can. 8. jubet *Novitianos* redeuntes ad Eccleſiam recipi per manus impoſitionem. *Concilium Conſtantinopolitanum* I. can. 7. ſtatuit: *eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, Arianos, Macedonianos, Novatianos, & Apollinariſtas &c. recipimus ſignatos, ſive unctos, primum ſancto chriſmate frontem, oculos, nares, os, & aures; & eos ſignantes dicimus: ſignaculum doni Spiritus Sancti.* Putant quidam, *Nicænum* loqui de confirmatoria manus impoſitione; quia Novatiani confirmationem rejecere: ſed iſtius erroris teſtis ſat aptus non eſt ſolus *Theodoretus* quinti ſeculi ſcriptor. Credam potius, *Nicænos Patres*, ceu ex occidente & oriente congregatos, communem adhuc utriusque Eccleſiæ ſervari voluiſſe diſciplinam de recipiendis hæreticis ſola reconciliatrice manuum impoſitione; quæ ſine chriſma-

chriſmatione pro Sacramento confirmationis haberi non poteſt. Certe *Siricius* Papa ſupra citatus Nicænum Synodum citat, ejusque ſtatuta præſcribit tenenda.

Ex adverſo *Patres Conſtantinopolitani*, ex ſolo oriente congregati, novam diſciplinam, orientis Eccleſiæ propriam, induxere; quam, etſi non improbarit, tamen nec probavit unquam latina Eccleſia; eo quod pro mera cerimonia Eccleſiaſtica illam hæreticorum chriſmationem ab ipſis græcis haberi compertum eſſet; uti ex *S. Gregorii M.* verbis antea citatis clarum videtur. Noverant enim latini, Græcos ipſos Sacramenta, ab hæreticis licet collata, pro validis habere, atque ipſosmet docere, Confirmationis Sacramentum iterari non poſſe.

489.

Subjectum capax Sacramenti Confirmationis eſt omnis & ſolus homo baptizatus. Probatur 1°.) EX SS. LITERIS, in quibus Act. VIII. non niſi jam baptizatis Samaritanis, & Act. XIX. non niſi jam baptizatis Epheſiis, per Apoſtolos confirmatio impertita fuit (479. probat. 1.): 2°.) EX PRAXI ECCLESIÆ PERPETUA, ceu optimæ interpretis Scripturarum: 3°.) EX RATIONE & natura hujus Sacramenti, quod idcirco *confirmatio*, & *perfectio*, appellatur (478.); quia non vitam primam ſpiritualem, quod baptiſmo proprium, ſed vitæ ſpiritualis robur per gratiam firmæ fidei & fortitudinis in profitenda fide tribuit (479. not. 1.): 4°.) *omnes baptizatos*, etiam infantes, etiam rationis uſu deſtitutos, capaces eſſe; item *praxis univerſalis Eccleſiæ*, olim qui-

Digitized by Google

quidem in primis ſeculis etiam latinæ & græcæ, hodiedum infantes confirmantis, aperte docet; & *ratio* ipſa; quia gratiæ habituali infantia, aut ſolus defectus rationis, obſtare non poteſt (Tract. de gratia §. 308. not.).

490.

Sacramentum Confirmationis non eſt medium ſalutis abſolute neceſſarium. Salus enim, id eſt, DEI gratia ſeu amicitia, & gloria, ſeu hæreditas, per ſolum baptiſmum obtineri, & ope Sacramenti Euchariſtiæ conſervari poteſt. Ipſe enim Chriſtus Dominus dixit Marc. VI, 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: & de ſolo Sacramento Euchariſtiæ poſt baptiſmum dixit Joan. VI. *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis* (id eſt, non conſervabitis jam in baptiſmo acceptam) *vitam in vobis. Deinde* ex baptiſmo jam regeneramur vita ſpirituali; ita, ut *nihil damnationis ſit in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu* (ad Rom. VIII. 1. & ſupra §. 458.), & evadimus medium expeditum & idoneum ad finem ultimum ope gratiæ ſanctificantis &c. (456. 457.): ergo alio abſolute non indigemus; niſi quod ad eam vitam conſervandam eſt neceſſarium. atqui tale eſt ſola Euchariſtia; idemque ſufficiens; quia Chriſtus idem ait Joan. VI. 52. dicit: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Accedit* praxis Eccleſiæ Romanæ, quæ infantes baptizatos jam a multis ſeculis non confirmat ſtatim poſt baptiſmum; ſed annos diſcretionis expectat; quin dubitet de ſalute ante morientium, quam confirmentur.

* *De neceſſitate præcepti* Theologum moralem tradere oportet, quæ ad regulam morum in hoc argumento pertinent. De *charactere* hujus *Sacramenti*, æque ac baptiſmi, tunc dicemus; quando ea tractabimus, quæ pluribus, vel omnibus, Sacramentis communia ſunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

DE SS. EUCHARISTIA.

491.

T*extus SS. Scripturæ ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum* pertinentes.

1°.) Joan. VI. poſtquam enarratur mira-
culum quinque panum multiplicatorum, &
Chriſtus proponit Judæis neceſſitatem fidei,
qua credant in ipſum ut DEI Filium, ad
hoc, ut vitam æternam haberent, id eſt,
gratiam DEI in hac vita, & gloriam in fu-
tura; pergit porro a v. 50. explicare, ſe
item eſſe panem de cœlo deſcendentem, ad
hoc, ut, qui per fidem in ſe jam vitam ſpi-
ritualem conſecuti ſint, non amplius morian-
tur: *Hic eſt panis*, inquit, *de cœlo deſcen-* 50
dens; ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non mo-
riatur. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo de- 51
ſcendi. Siquis manducaverit ex hoc pane; vi- 52
vet in æternum; & panis, quem ego dabo, ca-
ro mea eſt pro mundi vita. His verbis cum
declaraſſet Jeſus, ſe carnem ſuam daturum
ceu panem in alimentum vitæ æternæ to-
tius mundi; *litigabant Judæi* (v. 53.) *ad* 53
invicem, dicentes: quomodo poteſt hic nobis car-
nem ſuam dare ad manducandum? Dixit er- 54
go eis JESUS: Amen amen dico vobis: niſi
manducaveritis carnem Filii hominis, & biberi-
tis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vo-
bis. Qui manducat meam carnem, & bibit 55

meum ſanguinem; habet vitam æternam: & ego
56 *reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim*
mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt
57 *potus: qui manducat meam carnem, & bibit*
meum ſanguinem; in me manet, & ego in illo.
58 *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo pro-*
pter Patrem: & qui manducat me, & ipſe
59 *vivet propter me. Hic eſt panis, qui de cælo*
deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres ve-
60 *ſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat*
hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in
61 *ſynagoga docens in Capharnaum. Multi ergo*
audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: durus
eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?
62 *Sciens autem JESUS quod ſemetipſum; quia*
murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis:
63 *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium*
64 *hominis aſcendentem, ubi erat prius? Spiritus*
eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam:
verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus &
65 *vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non*
credunt. Sciebat enim JESUS ab initio,
qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſ-
67 *ſet eum. . . . Ex hoc multi diſcipulorum*
ejus abierunt retro; & jam non cum illo am-
68 *bulabant. Dixit ergo JESUS ad duodecim:*
69 *numquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo*
ei Simon Petrus: Domine! ad quem ibimus?
70 *verba vitæ æternæ habes. Et nos cognovimus,*
& credimus; quia tu es Chriſtus Filius DEI.
71 *Reſpondit eis Jeſus: nonne ego vos duodecim*
72 *elegi: & ex vobis unus diabolus eſt. Dicebat*
autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim
erat traditurus eum; cum eſſet unus ex duode-
cim. Græcus textus originalis nullibi cum
momento aliquo a Vulgata quoad iſta recedit,

2.) Matth.

Digitized by Google

2°.) Matth. XXVI. Paſchate ultimo cum Apoſtolis duodecim jam celebrato per eſum agni paſchalis, *cœnantibus eis* (v. 26.) *accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit; & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti; qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum; cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

3°.) Marc. XIV. 22. *Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: ſumite! hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti; qui pro multis effundetur* (græcus textus habet ἐκχυνόμενον, *effunditur*). *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum; cum illud bibam novum in regno Dei.*

4°.) Luc. XXII. 14. *Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo. Et ait illis: deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis; quia ex hoc non manducabo illud; donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis; donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic eſt calix novum teſtamentum*

in ſanguine meo, qui pro vobis ſundetur (in græco iterum habetur ἐκχυνόμενον, *effunditur*).

5°.) I. Corinth. XI. 23. *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur* (græcus habet κλώμενον, quod pro vobis *frangitur*): *hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne; judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

492.

Chriſtus Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, ſub ratione cibi & potus ſumendi, & ipſe ſuis Apoſtolis in cœna ultima exhibuit, & celebrandum perpetuo deinceps etiam poſt ſuam mortem præcepit. Nondum in hac propoſitione enuntio realem præſentiam SS. corporis & ſanguinis Chriſti; ſed voce *Sacramenti* utor in generali ſignificatione ſymboli, ſeu ſigni ſacri ad placitum inſtituti (443); ut proinde nihil hic aſſeram; niſi in quo vel ipſi Sacramentarii omnes, & aſſeclæ Calvini, cum catholicis conſentiant. Itaque dogma hoc vere catholicum, id eſt,

eſt, ab univerſis chriſtianorum Eccleſiis ex æquo receptum, *probatur quoad primam partem* EX SS. LITERIS conceptis verbis JESU Chriſti a tribus Evangeliſtis & a S. Paulo Apoſtolo relatis, *accepto pane*, dicentis: *accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum.* Et Similiter *accepto calice* dicentis: *bibite ex eo omnes: hic eſt enim ſanguis meus;* vel: *hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo.*

Pars altera probatur 1°.) itidem EX SS. LITERIS: quia Chriſtus apud S. Lucam & S. Paulum mox addit præceptum: *hoc facite in meam commemorationem;* atque ut perpetuitas Sacramenti a Chriſto conſtituta appareat; addit continuo S. Paulus I. Cor. XI. 26. : *quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis; donec veniat*, videlicet ſub finem mundi ad judicium. Præmittit autem Paulus veluti in præfatione; quod ipſe ſpeciatim *acceperit a Domino*, & idcirco etiam *tradat* Corinthiis, ac per eos utique omnibus fidelibus. Et vero totam Corinthiorum Eccleſiam celebraſſe jam tum hoc Sacramentum patet ex v. 20. ejusdem loci; ubi Paulus eos hoc modo corripit: *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt dominicam cœnam manducare &c.* Conſtabat autem illa Eccleſia Judæis & gentilibus ad fidem jam converſis, ut ex toto Epiſtolæ textu notorium eſt. Non ergo pro ſolis Judæis, cerimoniis ejusmodi jam aſſuetis, ſed pro univerſis gentibus inſtitutum hoc Sacramentum a Chriſto fuit; qui et Matth. XXVIII. 20. Apoſtolis univerſe præcepit, *docete omnes gentes, - - docentes omnia ſervare, quacunque mandavi vobis.*

Digitized by Google

Probatur 2°.) EX USU univerſæ Chriſti ECCLESIÆ perpetuo, de quo ex decurſu abunde

* Notemus probe, in dogmate hic aſſerto convenire omnes Chriſtianos, catholicos, & acatholicos; quotquot hodie nomine iſto adhuc cenſentur; in quocunque jam conſiſtat tota vis Sacramenti iſtius: etſi in quæſtione de reali præſentia Chriſti ſub hoc Sacramento abeant in diverſa. Nihil hic, ſi verba rite ponderes, uſquam aſſeritur; in quo jam controverſia aliqua inter illos exiſtat.

493.

Chriſtus Dominus hoc Sacramentum SS. Corporis & Sanguinis ſui ſingulariter inſtituit in memnoſynon mortis ſuæ, & illius amoris, qua illam pro ſalute hominum ſponte ſubiret. Nam Luc. XXII. 15. præmiſerat: *deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum; antequam patiar.* Nihil porro ſingulare habebat hoc paſcha ab aliis, quæ Chriſtus item cum ſuis Apoſtolis jam prioribus annis celebraverat, præter inſtitutionem hujus Sacramenti, in quo, *antequam pateretur*, relinquebat moriturus Apoſtolis Sacramentum hoc SS. Corporis ſui in perpetuum ceu memnoſynon amoris ſui, dicens: *hoc eſt corpus meum*, QUOD PRO VOBIS TRADETUR, *hic eſt ſanguis meus*, QUI EFFUNDETUR *pro multis in remiſſionem peccatorum* (Matth.): *hoc facite in meam commemorationem* (Luc. & I. Cor. XI.); id quod porro explicat S. Paulus, addens continuo: *quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

494.

494.

Chriſtus Dominus Joan. VI. v. 52. ſeqq. promiſit inſtitutionem hujus Sacramenti SS. Corporis & Sanguinis ſui.

Probatur 1'.) EX IPSO TEXTU S. JOANNIS comparato cum verbis inſtitutionis, apud ceteros tres Evangeliſtas & in S. Pauli I. Epiſt. ad Cor. XI. relatis. Nam a) Chriſtus Joan. VI. 52. dicit: *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Dixit hæc utique probe ſciens, & jam conſtitutum apud ſe habens, quid paullo ante mortem eſſet acturus. Ipſa vero in cœna ultima ait apud Lucam: *deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiscum; antequam patiar.* Tum vero *panem* in menſa appoſitum accipit, frangit, & *dat Apoſtolis, dicens: accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.*

b) Cum Joan. VI. 53. ſcandalum Judæi ex tali promiſſo Chriſti acciperent, dicentes: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Confirmat, & explicat promiſſum ſuum, ſe non tantum carnem manducandam, ſed & ſanguinem ſuum bibendum, daturum: *Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Profecto, niſi dicta hæc deſignent ex mente Chriſti Sacramentum SS. Corporis & Sanguinis ſui, quod erat inſtituturus; quo poſito ſenſus omnium verborum proprius & maxime naturalis eſt; ſequitur, ea continere allegoriam obſcuriſſimam. Quorſum enim diſtinctio illa cibi et potus, corporis & ſanguinis? De ſpirituali, inquiunt, manducatione per fidem loquitur Chriſtus; qua nimirum quisque non niſi per

per fidem in Chriſtum incarnatum, & pro hominibus moriturum, vitam ſpiritualem habere poſſit. Atqui ad hoc ſufficiebat ſiſtere in ſola manducatione panis iſtius, & reſponſio Chriſti ad propoſitionem Judæorum, qui allegabant *panem de cœlo in deſerto* a ſuis Patribus manducatum, completa jam futura erat; cum diceret eis v. 32.: *non Moſes dedit vobis panem de cœlo* (neque enim de cœlo empyreo is delapſus fuerat), *ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*.... (v. 41.) *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* At JESUS murmurantes Judæos (v. 42.) idcirco, quod dixiſſet: *quia de cœlo deſcendi*, hortatur verſibus ſequentibus ad docilem credulitatem; præponens, etiam majora ſe facturum iis, qui per fidem ad ſe acceſſuri eſſet (v. 44.) *ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die; .. amen dico vobis: qui credit in me habet vitam æternam*: & cum manna in deſerto manducantes Patres ipſorum mortui tamen eſſent, v. 51. pronuntiat, ſe ipſum illis futurum panem vere cœleſtem, ex quo *ſiquis manducaverit, victurum in æternum.* Huc usque ſatis tenet comparatio panis per fidem manducandi cum pane in deſerto a Patribus manducato. Sed quorſum ea, quæ ſequuntur porro: *panis, quem ego* DABO (prius jam dixerat de ſe, *Pater meus* DAT *vobis de cœlo panem verum*, &, EGO SUM ille *panis vitæ* v. 32. & 35.) *caro mea eſt*: & cum hoc dicto amplius offenderentur Judæi, quorſum addit hæc obſcuriora prioribus: *amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem &c.* In participatione de virtute & meritis DEI Hominis per fidem nulla eſt diſtinctio cibi & potus, nec alia actione participamus de carne, alia de ſanguine illius. Cur ergo addit Chriſtus, & quo ſenſu: *caro mea*

Digitized by Google

mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.? Nihil in præpoſitione Judæorum de potu, ſolam de manna in deſerto, memoratur.

Denique male diceret Chriſtus, *panis, quem ego dabo*; ut opponeret id, quod ipſe daturus eſſet, illi quod jam Patres Judæorum accepiſſent, ceu quid longe magis eximium: *non ſicut Patres veſtri &c.*: quia per fidem de Chriſti morte, ac proin de corpore ac ſanguine, jam quoque Patres Judæorum participaverant, dicente S. Paulo I. Cor. X. 3.: *omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverant, & eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpirituale conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.*

c) Quod v. 56. Chriſtus dixit, *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, item v. 54. *niſi manducaveritis &c., niſi biberitis &c.*, evidenter a Chriſto dici longe magis proprie potuit de Sacramento SS. Corporis & Sanguinis; & actu totum de hoc verum eſt; & Chriſtus ſciebat, ita futurum: ergo id de hoc reipſa dixit.

d) Judæi æque, ac diſcipuli JESU, iſthæc dicta intellexere de alia manducatione carnis & potatione ſanguinis, quam quæ fit per fidem, ac ceu de re inſolita, planeque nova, ac ſtupenda (v. 53.: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* v. 61. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*). Et quid reſpondet utriſque JESUS? Primis v. 54. *Amen amen dico vobis: niſi manducaveritis &c., niſi biberitis &c.*, alteris v. 62.: *hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?* Hoc ſane erat confirmare

mare eos in ſua opinione, allegando, etiam majora ipſos de ſe viſuros. Tum vero corrigit non ſubſtantiam, ſed ſolum cruditatem opinionis, qua putabant illi, Chriſtum loqui de manducatione corporis, & potatione ſanguinis ſui, inpropria carnali & ſanguinea ſpecie, dicens v. 64. : *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*: id eſt, non de carne mortua & in ſpecie ſenſibili propria ſumenda vobis hæc loquor, quæ ſine ſpiritu ad nihil prodeſſet, nec vitam promiſſam vobis dare poſſet: ſed de carne ſub ſpecie ſacramentali ſumenda, ac ſpiritui meo divino conjuncta, qui utique vivifica virtute pollet. Enimvero omnia hæc Chriſti dicta, inſtitutioni SS. Euchariſtiæ reali applicata illuſtrem & propriiſſimum intellectum habent; ſecus non item.

e) Si ſalvo toto contextu illius Loci Joan. VI. 52. & ſeqq. hæc verba Chriſti, *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*, licet ſumere in ſenſu metaphorico de unica ſpirituali manducatione per fidem; nemo jam Chriſtianus mihi probabit, non item ea Chriſti verba Joan. III. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, poſſe intelligi de ſola interna & metaphorica ablutione & purgatione mentis, non de reali & externa per aquam elementarem; & quidquid contra literalem noſtram priorum verborum interpretationem objecerint adverſarii, ſolvendum ego dabo in hoc præcepto baptiſmi.

f) Niſi Joan. VI. 52. ſeqq. ſermo eſſet de Sacramento SS. Corporis Chriſti, ſequeretur *primo* S. Joannem nihil penitus ſcripſiſſe de hoc Sacramento; quia nuſquam alias in ſuo Evangelio

Digitized by Google

gelio & aliis ſcriptis illud attingit: *ſecundo* Chriſtum nuſpiam expoſuiſſe fructum proprium hujus Sacramenti; quia ceteri Evangeliſtæ & S. Paulus de eo nihil memorent; Joannis VI. v. 52. 57. 58. clariſſime exprimitur: *tertio* Chriſtum nullum de ſumendo ab omnibus hoc Sacramento expreſſum dediſſe mandatum; ſiquidem illa verba Jo. VI. 54. *niſi manducaveritis &c.*, ad hoc non pertineant: quia verba illa ſola, *accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem*, a ceteris SS. Scriptoribus conſignata literis, ad illos ſolos dicta ſunt, qui erant in cœna præſentes.

Probatur 1°.) EX SS. PATRIBUS ET CONCILIIS ea Chriſti verba Jo. VI. 52. & ſeqq. de Sacramento SS. Euchariſtiæ ſummo conſenſu intelligentibus.

Nam EX GRÆCIS *S. Irenæus* IV. 4., *Origenes* hom. 16. in Numer., *S. Baſilius* L. I. de Bapt. c. 3., *S. Cyrillus Jeroſ.* catech. 4., *S. Chryſoſtomus* hom. 45. in Joan., *S. Epiphanius* hæreſ. 55., *S. Cyrillus Alex.* in Joan., *Theodoretus* L. IV. Hiſt. c. 4., *Damaſcenus* L. IV. orth. fid.; EX LATINIS *S. Cyprianus* de Orat. Dom., *S. Ambroſius* L. de initiand. c. 8., *S. Hilarius* L. 8. de Trinit., *S. Auguſtinus* Serm. 2. de verb. Apoſt. & in Joan. VI., *S. Leo M.* hom. 6. de jejunio menſis ſeptimi.

EX CONCILIIS *Alexandrinum* Præſide S. Cyrillo celebratum a. 430. in Epiſtola ad Neſtor., approbata ab Epheſino œcumenico III. Concilio; *Nicænum* II. ſeu generale VII. a. 787. Act. 6 in lectione Epiphanii diaconi. *Tridentinum* denique tum Seſſ. XIII. cap. 2., tum Seſſ. XXI.

c. 1.,

c. 1., verba Chriſti Joan. VI. relata ad comprobandam SS. Euchariſtiæ veritatem allegant. Nullus denique Patrum eſt, nullus antiquorum ſcriptorum, qui rejiciat, aut neget hanc interpretationem dictorum Chriſti Jo. VI. 52. ſeqq., etſi ſubinde Patres, pro more ſuo, etiam aliam interpretationem de manducatione carnis Chriſti per fidem afferant; maxime cum primis ſeculis in ſuis publicis ſermonibus præſentibus etiam catechumenis Myſterii ſummi Euchariſtiæ veritatem aperire nondum expediret; uti clare momet *S. Auguſtinus* in Tract. 11. in Joan. illud exponens, *JESUS non ſe credebat eis: ubi tales*, dicit, *eſſe omnes catechumenos*, quibus *JESUS non ſe credat*; quem ſi *interrogemus, manducas carnem Filii hominis, & bibis ejus ſanguinem? neſcit, quid dicimus: quia JESUS non ſe credidit ei.*

* *Reponunt* vulgo Novatores, qui ex cap. VI. Joan. verentur, nimis apertum argumentum petendum fore de reali Chriſti præſentia; *reponunt*, inquam, 1'.) Chriſtum ipſum v. 64. monere, ſpirituali ſenſu, non literali, intelligenda eſſe verba ſua: 2'.) eundem dicere aperte ibidem: *caro non prodeſt quidquam:* ergo non loqui de Sacramento SS. Corporis ſui: 3'.) quosdam Theologos Catholicos fuiſſe, nempe *Thomam Valdenſem, Petrum de Alliaco, Joannem de Raguſio, Gabrielem Biel, Cajetanum, Janſenium Gandavenſem;* qui itidem caput VI. Joan. totum de ſola manducatione ſpirituali per fidem intelligendum putarint: 4'.) ipſius denique Tridentini Concilii Patres dubios hac in re hæſiſſe teſte Pallavicino in Hiſt. Trid. L. XVII. c. 11.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad 1. Chriſtus ſolum monet, ſpirituali aliquo ſenſu verba ſua intelligenda eſſe, nimirum non tam carnali, in quo intelligebant Capharnaitæ Judæi, nec de carne mere mortua: atqui ſpiritualis eſt etiam ſacramentalis modus ſumendi SS. Corpus Chriſti ut conjunctum cum ſpiritu vivifico. Unde recte quidem adverſarii ad ſolam ſumtionem per fidem reſtringerent hunc ſpiritualem ſenſum, ſi Chriſtus nullum *Sacramentum* corporis & ſanguinis ſui omnino inſtituiſſet. At poſtquam id ex confeſſione ipſorum inſtituit, inepte negatur id iſthic promiſiſſe.

Ad 2. Nec ipſi adverſarii dicent, *carnem* Chriſti nihil nobis prodeſſe: quorſum enim ipſimet tantopere extollunt, & tam reverenter ſumere hortantur per fidem in Sacramento SS. Corporis Chriſti. Chriſtus ergo non niſi de carne ſua eo ſenſu carnali manducanda, & univerſe de cogitationibus carnalibus, hoc dixit; quo ſenſu vox *caro* ſæpe occurrit in SS. literis; ex. gr. Matth. XVI. 17. *Caro & ſanguis non revelavit tibi ſed Pater meus.*

Ad 3. Theologi illi catholici parum prudentes in eam mentem inducti ſunt; quod tempore ſuo *Wicleffus* & *Huſſius* illo Joannis VI. capite abuterentur ad pertinaciter propugnandam communionem ſub utraque ſpecie ex illis Chriſti verbis, *niſi manducaveritis carnem &c.*, *& biberitis ſanguinem* (v. 54.); exiſtimantes, ſic arma eripi hoſtibus: at enim non privatis poſteriorum temporum expoſitionibus, ſed conſentiente ſolummodo omnium SS. Patrum in primis præcipue ſe-

Digitized by Google

culis interpretatione ſtari cum certitudine in figendo vero divinorum Chriſti verborum ſenſu poteſt.

Ad 4. In *Tridentino*, contendentibus multis, ut definiretur decreto aliquo, Joan. VI. Sacramentum Euchariſtiæ a Chriſto promitti, oppoſuere alii tum alias inrerpretationes SS. Patrum (ſed non contrarias noſtræ), tum ſenſa illorum Theologorum: idcirco Concilium, re iſta indeciſa relicta, id eſt, ſolum non expreſſe definita, ſtatuit Seſſ. XXI. c. 1.: *utcunque juxta varias SS. Patrum interpretationes intelligatur*, non poſſe colligi communionem ſub utraque ſpecie jure divino ibidem præſcribi. Quo pacto pepercit Tridentinum illorum quidem Theologorum honori; ſed nihilominus interpretationem communem Patrum in ſuo valore proprio reliquit, ſecundum quam jam prius Seſſ. XIII. cap. 2.; fructum SS. Euchariſtiæ ſpiritualem vitam eſſe, ex eodem Joan. VI. capite probat.

** Hactenus vel ipſi *Sacramentarii*, ſi ſincere agere vellent; nobiſcum conſentientes eſſe deberent; ſiquidem illi nuſpiam, niſi in cit. cap. VI. Joan., apertum præceptum a Chriſto datum exhibere poſſunt; quo id, quod illi volunt, utcunque in ſpeciem probari poſſe videatur; videlicet ſub utraque ſpecie, panis, & vini, ab omnibus hoc Sacramentum eſſe ſumendum. Sed & ipſis ad probandum ſuum, quod tenent, dogma, nempe, quod in ſpeciali Sacramento Euchariſtiæ corpus & ſanguis Chriſti ſaltem ſpirituali modo, ceu in figura, per vivam fidem ſumendum nobis a Chriſto relictum ſit, apprime ſervire caput illud Jo. VI. poſſet; ceu in quo loco talis *ſaltem* communicatio ſpiritualis

cor-

Digitized by Google

corporis & ſanguinis ipſius dilucidiſſime ab eo promiſſa fuerit.

Profecto diverſum hic præceptum a præcepto baptiſmi exprimitur (*niſi manducaveritis &c.*, *niſi renati fueritis ex aqua &c.*) atqui diverſum non erit, niſi intelligendum ſit de Sacramento Euchariſtiæ: quia vel maxime in baptiſmo per fidem participamus de morte Chriſti, id eſt de Corpore & Sanguine illius. Sed exhorrent illi id genus Chriſti promiſſionis ſenſum Jo. VI. admittere; metuentes, ne, hoc ſemel admiſſo, ex illis maxime verbis Chriſti v. 54. *niſi manducaveritis &c.*, *niſi biberitis &c.*, item ex illis v. 56. *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, plus, quam ipſis unquam admittere placeret, ſatis aperte, ceu ex obvio verborum ſignificatu ad rationem Sacramenti, ibidem promiſſi applicato, de ipſa natura hujus ejusdem Sacramenti cum catholicis inferre cogantur, nimirum ipſam realem Chriſti in eo præſentiam.

**)* Ut vero ordine progrediamur, notandum per *Sacramentarios* eam chriſtianorum ſectam intelligi, qui realem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ præſentiam negant, docentque, in pane & vino rite conſecrato non niſi merum ſymbolum & figuram SS. Corporis & Sanguinis Chriſti, non reali, ſed ſpirituali modo per fidem, manducandi & bibendi, ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum, & relictum fuiſſe, quo ſymbolum ſi cum viva fiducia in Chriſti meritis ſumamus; Chriſti gratiæ ea ipſa mediante fide participes evadamus.

Primus erroris iſtius auctor occurrit *Joannes Scotus Erigena*, (*Simoniani* enim, *Menandriani*, & *Manichæi*, quos *S. Ignatius* in Epiſt. ad Smirn. refert Euchariſtiam rejeciſſe, longe alio ex capite totum hoc Sacramentum ſimpliciter reſpuerunt; quia nimirum credebant, Chriſtum non verum, ſed mere phantaſticum corpus habuiſſe per dicta §. 388. not. 1.; ac proinde nec in Euchariſtia veram ejus carnem confiteri poterant) qui obiiſſe creditur a. 884. Scripſit is librum de Euchariſtia, qui amplius non extat; in quo referente contemporaneo teſte Hincmaro Rhem. L. de prædeſt. c. 31. docuit: *Sacramenta Altaris non eſſe verum corpus & ſanguinem Domini, ſed tantum memoriam veri corporis & ſanguinis ejus.*

Scotus nullum, quoad viveret, inſaniæ ſuæ hæredem diſcipulum nactus eſt, & in tenebris jacuiſſet error; niſi *ſeculo undecimo* hauſtum ex Scoti libro venenum latius ſparſiſſet *Berengarius* patria Turonenſis, & Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus; qui idcirco primus Sacramentariorum parens vulgo habet. Ex tertia fidei formula, cui ipſe ſubſcripſit a. 1079. in Romana Synodo, colligimus, in eo poſitum fuiſſe ejus errorem, quod diceret: *Euchariſtiam non eſſe verum ac ſubſtantiale corpus Chriſti, ſed ejus duntaxat figuram & imaginem.*

Damnatus fuit Berengarius multis in Conciliis, in *Romano* a. 1050. a Leone IX., *Vercellenſi*, & *Pariſienſi*, eodem anno; in *Turonenſi* a. 1055., in altero *Romano* a. 1059. a Nicolao II. Papa, in *Rothomagenſi* a. 1073., *Pictavienſi* a. 1075., & in alio *gemino Romano* ſub Gregorio VII. a. 1078. & 79.; ubi ſubſcripſit formulæ fidei catholicæ. Incerta exinde aliquamdiu illius fide

fides & pœnitentia fuit, ut ex ejus tractatu Manuſcripto patet, quem Mabillonius ſe legiſſe teſtatur in Analect. Tom. 2.: ad ſanam tamen mentem poſtea denuo illum rediiſſe, fideique catholicæ ad extremum usque inhæſiſſe, multis argumentis probat idem Mabillonius. Obiit a. 1088.

Petrus de Bruis cum ſuis aſſeclis eodem *ſeculo undecimo*, atque etiam duodecimo, non tam Berengarii errorem continuavit, quam totum repudiavit Euchariſtiæ Sacramentum. *Seculo* demum *decimo ſexto* ab a. 1524. novi Sacramentariorum veluti inſtauratores fuere *Andreas Caroloſtadius* apud Francones natus; Wittemberga idcirco adnitente Luthero eo ipſo anno expulſus; *Hulderieus Zwinglius* Helvetus Tigurinorum præco; *Oecolampadius* Winſpergæ in Germania, *Martinus Bucerus* Seleſtadii itidem in Germania natus ordinis Prædicatorum Apoſtata, ac denique *Joannes Calvinus* Gallus, Noviodnni in Picardia natus, Genevenſium poſtea Papa; a quo & nomen in Gallia ſecta Sacramentariorum deinceps accepit. Calvinus, miris artificiis ſubinde errorem diſſimulans, aliquando a ſectariis totus recedere, & Euchariſtiam non nudam & vacuam figuram eſſe SS. Corporis Chriſti, ſed virtute ac efficacia plenam confiteri videtur; imo, ipſam Corporis Chriſti ſubſtantiam una cum ſymbolis nobis in ea porrigi, interdum aſſerit. Fallit tamen nequiſſime, & reipſa non aliam quam figuratam Chriſti præſentiam, per fidem nimirum, qua mediante juſtificationem in eo Sacramento, ſicuti in baptiſmo, operetur, admittit; manente, ut ait, ſubſtantia panis & vini.

Digitized by Google

Quapropter ad id genus dolos præcludendos *Tridentinum* docet, *vere*, id eſt, non per figuram & improprie; *realiter*, non tantum objective per fidem; ac *ſubſtantialiter*, præſentem in SS. Euchariſtia Chriſtum eſſe, non tantum per virtutem in mentem recipientium diffuſam a Chriſto; ſed ſublata ſubſtantia panis, hujus vices implendo in omni ſtatu ſenſibili panis conſtanter efficiendo. *Sociniani* denique pæne circa idem tempus totum SS. Euchariſtiæ Sacramentum ad ſterile & vacuum ſignum, omnis virtutis expers, reduxere; niſi quam a fide ſola obtineret.

**** Ut vero tum Calvini aſſeclis omne æquivocationis effugium præcludatur; tum probatio dogmatis ipſius catholici de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia inprimis ex ipſis verbis Chriſti eo fiatl luculentior; omnium maxime proderit, ſi quam diſtinctiſſimam notionem *realis præſentiæ rei cujuscunque in ſuo ſigno*, ſeu naturali, ſeu ad placitum, præfigamus (*Sacramentum* enim omne in genere ſigni eſt), ſimulque diſcrimen clare inter *præſentiam realem in ſigno ſacro*, ſeu *ſacramentalem*, & inter *præſentiam realem in propria naturali ſpecie*, determinemus.

495.

1'.) *Signum* in genere in Log. §. 69. diximus eſſe, quod per ideam ſui ſemel excitatam ſimul excitat in mente ideam rei alterius; idque vel ob nexum naturalem a poſteriori, vel a priori, vel etiam a concomitanti; quo caſu *ſignum naturale* dicitur; vel ob nexum mere arbitrio humano, vel divino, conſtitutum; quo caſu *ſignum ad placitum* appellatur.

2'.)

Digitized by Google

2°.) Porro *realis rei præſentia reſpectu hominis alicujus*, ex. gr. mei ipſius (ſecundum dicta in Theol. Nat. §. 795. & in Tract. I. Theol. Chriſt. Theoret. §. 129. ſeq.), in eo conſiſtit, quod ita res mihi coëxiſtat, ut in me ſit aliquid, cujus ratio exiſtentiæ inſit in eadem re. Et quidem ſi producat effectus naturæ ſuæ proprios, *in ſpecie naturali præſens eſſe* dicitur. Eſt autem hæc *res mihi præſens immediate*, ſi eſt ratio immediata; *mediate præſens*, ſi eſt ratio ſeu cauſſa ſolum mediata exiſtentiæ illius effectus in me. Nimirum, quod non agit, perinde ſe habet, ac ſi non exiſtat; & quod *in me* non agit, perinde ſe habet, ac ſi *mihi* non coëxiſtat; ac proin vere ac realiter *mihi* præſens non eſt.

3°.) Ex his jam *præſentiam realem immediatam rei ſignificatæ in ſigno ſuo reſpectu noſtri* diſtincto conceptu definire licet, quod videlicet ſit actio propria immediata rei ſignificatæ, qua hæc ſigni ſui, ſeu naturalis, ſeu ad placitum, tum ideam, tum exiſtentiam in nobis ipſamet actuo determinat; atque ita ſe ipſam nobis ſignificat. Sic ex. gr. ex voce præſentem ſibi re ipſa Petrum ejus familiaris amicus agnoſcit velut in ſigno; & tunc *de ſuppoſito ſe ſignificante* ſemper proprie dicitur ex. gr.: *hoc* (ſuppoſitum) *eſt Petrus*: quia actiones ſunt ſuppoſitorum (Tract. de Incarn. §. 331.). Ex adverſo *res ſignificata in ſuo ſignum realiter præſens non eſt*, ſi ſignum ejus aliunde exiſtit. Sic in imagine ſua reipſa Petrus præſens non eſt; atque ideo de imagine non niſi improprie dici poteſt: *hic eſt Petrus.* Valent iſta ex æquo de ſignis ad placitum, ſicuti de naturalibus ſignis. Sic ſi ex. gr. Petrus inter plures perſonatos homines affuturus conſtituat amico familiari ſignum

hoc: nota ſis; qui ſtrophiolum manu ter circumaget, is ego ero; erit circumactio ſtrophioli ſignum ad placitum; & de hoc iterum dici ex vero & proprie poterit: *hic eſt Petrus*; ſive *quod ſubſtat huic perſonæ; Petrus eſt*; vel, *qui circumagit ſtrophiolum, Petrus eſt*. Ex adverſo Petro licet intra ciſtam occulte latente, nullo tamen ſigno vel actione ſe ipſum ſignificante, ex vero proprio in ſenſu dicere non poſſum, digitum in ciſtam intentans: *hoc, vel, hic eſt Petrus*.

4'.) Porro *omnes actiones ſuppoſiti ſenſibilis, per quas afficit ſenſus humanos, rationem ſigni habent, per quod ſuppoſitum ſenſibile realem ſui præſentiam nobis ſignificat*. Sui enim ideam excitando ſimul excitant ideam ſui principii effectricis, hoc eſt, ſuppoſiti ſenſibilis. Summam vero omnium actionum, per quas afficiendo ſenſus humanos ſenſibile ſe reddit ſuppoſitum quodvis, vel perſona, *ſtatum ſenſibilem ſuppoſiti*, vel *perſonæ*, appellamus.

5'.) Unde *quoties de re ſimpliciter ſenſibili in ſenſu proprio, ac ſimul eam ſenſibus demonſtrando dicimus*, hoc eſt illud, ex. gr. hoc eſt aurum, *ſtatum ſenſibilem propria actione productum habere debet*. Secus enim demonſtrari ceu ſenſibus noſtris realiter præſens vere & proprie dicendo, *hoc eſt aurum*, non poſſet (hic n. 3.). Atque non niſi in hoc caſu, non de *crumena* continente, ſed de pecunia contenta, non de *dolio*, ſed de liquido contento, non de *involucro*, ſed de libro contento, proprie & vere dicimus: *hoc eſt aurum, hoc eſt vinum, hoc eſt Breviarium*; quia omnia iſta *contenta* ſtatu quodam ſenſibili proprio ſaltem mediate præſentiam

ſuam

Digitized by Google

ſuam realem in ſuo *continente* ſignificant, pondere nimirum, & aliis: neque enim continentia talia vel ex natura ſua, vel ex placito, ſe ſolis ſigna ſunt horum determinate contentorum; ac proinde ne improprie quidem, ex: gr. de crumena, dici poteſt, *hæc crumena eſt aurum*, intelligendo, *ſignificat aurum*; quia ne quidem crumena per ſe aurum determinate ex uſu ſuo vulgari ſignificat; ſed dici in recto ſolum ex vero poteſt: *hæc crumena continet aurum*; non item, *eſt ſignum auri*, quia, ut dixi, auri per ſe ſignum non eſt.

496.

I. *Itaque ad hoc, ut Chriſtus totus ſub ſtatu ſenſibili panis & vini ceu in Sacramento ſuo, vel ſigno ad placitum, vere, proprie, realiter, ac ſecundum ſubſtantiam ſuam* (ſubſtantialiter) *immediate præſens dici ex vero poſſit; opus omnino eſt, ut ipſe actione ſua reali propria & immediata ſtatum ſenſibilem panis & vini, quæ pro ſigno ſuæ præſentiæ ipſe conſtituerit, efficiat, nec niſi in hac hypotheſi vere & proprie dici poteſt: hiceſt JESUS Chriſtus, hoc eſt corpus Chriſti vivum, & animatum.*

II. *Si ſolum lateret Chriſtus præſentia mere locali ſine propria ſenſibili actione (ſive compenetratus, ſive coarctatus intra tam anguſtum ſpatium) ſub involucro panis & vini, manente ſimultanea reali præſentia panis & vini; ex vero & proprie dici non poſſet: hic eſt Chriſtus, hoc eſt corpus Chriſti vivum & animatum; ſed tantum: in hoc loco eſt Chriſtus &c.* Dicendo enim, *hoc eſt*, demonſtraretur id, quod ſolum realiter nobis eſſet præſens cum ſtatu ſenſibili proprio, nempe panis & vinum; de quo falſo

ſo diceretur, quod ſit Chriſtus, vel corpus Chriſti.

III. *A fortiori proprie ex vero dici non poſſet de Sacramento hoc, hic eſt Chriſtus, hoc eſt corpus Chriſti vivum; ſi ſolus adeſſet locali & reali præſentia ſub ſtatu ſuo ſenſibili panis, & ſolum vinum; Chriſtus autem nec locali præſentia, nec ullo ſtatu ſenſibili realis propriæ præſentiæ, adeſſet: etſi inviſibili actione, non in ſenſus, ſed ſolum in animis recipientium hoc Sacramentum operaretur quascunque gratias.* Ratio eſt eadem, quæ in Coroll. præc.

IV. *Ex adverſo, etſi non locali præſentia, ſed ſola reali, adeſſet Chriſtus, & efficeret immediata ſua actione totum ſtatum ſenſibililem panis & vini, remote omni reali præſentia panis & vini; ex vero & proprie diceretur: hic eſt Chriſtus, hoc eſt corpus Chriſti; eaque præſentia Chriſti vera, realis, ſubſtantialis, ſimulque vere* Sacramentalis, *hoc eſt, in Sacramento ceu ſigno ad placitum, a ſe ipſo inſtituto, foret* (præc. n. 3.).

* Evidentia ſunt, quæcunque his corollariis complexus ſum, & lucem me hercle diffundunt in omne hoc ſummum fidei myſterium.

497.

JESUS Chriſtus Sacramentum SS. Corporis & Sanguinis ſui ſub ſtatu ſenſibili panis & vini ſumendum ſic exhibuit ipſe Apoſtolis ſuis, & ab his celebrandum deinceps inſtituit (492. 445.), *ut verum ipſius Corpus & Sanguis ſub illo ſtatu ſenſi-*

ſenſibili panis & vini vere, realiter, & ſubſtantialiter præſens adſit. Dogma catholicum *probatur* EX VERBIS IPSIUS JESU CHRISTI.

a.) Nam Chriſtus Dominus ſecundum tres Evangeliſtas & S. Paulum I. Cor. XI, (491. n. 2. 3. 4.) in cœna ultima inſtituens hoc Sacramentum (492.) præſentibus Apoſtolis acceptum panem dedit, & dixit: *accipite, & manducate* (non dixit, *panem hunc*, ſed ſimpliciter, *manducate*): *hoc eſt enim corpus meum.* Similiter & *acceptum calicem dedit, dicens; bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus.* Itaque per hæc verba Chriſtus ſignum SS. Corporis & Sanguinis ſui in ſtatu ſenſibili panis & vini exhibuit, non utique naturale, ſed ſignum ad placitum (492.). Porro proprie dicere non potuit, hoc ſigno eis exhibito, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, niſi vere & realiter in eo præſens Apoſtolis dederit Corpus & Sanguinem ſuum (495. 496.). Ergo, ſi proprio hæc ſenſu locutus eſt Chriſtus, præſens realiter corpus & ſanguinem ſuum ſub ſtatu ſenſibili panis & vini manducandum & bibendum Chriſtus dedit; & quia idem Sacramentum inſtituit perpetuo deinceps celebrandum etiam poſt mortem ſuam (492.); vere id Sacramentum *inſtituit* cum reali ſemper præſentia SS. Corporis & Sanguinis ſui celebrandum (445.).

b) Joan. VI. Chriſtus, promittens inſtitutionem hujus Sacramenti (494.), v. 52. ait: *panis, quem ego dabo, caro mea eſt*: & v. 56. *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Atqui neutrum in ſenſu proprio dicere potuit, niſi in hoc cibo, *panis* ſpeciem, ſeu omnem ſtatum ſenſibilem habente, & in hoc potu, vere, reali-

realiter, & ſecundum ſubſtantiam præſens futurum eſſet corpus & ſanguis Chriſti (495. 496.). Nam ſi ſpirituali ſolum manducatione & potatione participandum ſub ſignis veri materialis pani & vini daturus eſſet corpus & ſanguinem ſuum; nec panis ejusmodi proprie Chriſti caro eſſe, nec caro Chriſti vere cibus, nec ſanguis vere potus ille (materialis utique), dici ab eo potuiſſet.

* *At enim,* inquiunt *Sacramentarii,* hoc ipſum eſt, quod præcipuo quodammodo negamus, Chriſtum rem tam exoticam proprio ſenſu affirmaſſe.

Reſpondeo: non inficior, multa a ſcriptoribus ſacris, aliqua etiam ab ipſo Chriſto, improprie fuiſſe dicta. At non dicetis, o boni! aut vulgo improprie potius, quam proprie, verba SS. literarum & ipſius Chriſti accipienda, ac intelligenda eſſe; aut nullam eſſe a DEO regulam certam, ſeu criterium, nobis ſuppeditatum; ex quo tuto omnes vulgo, docti quidem & indocti, diſcernere poſſimus; quid proprie, quid improprie in Verbo DEI dictum fuerit, & a nobis ſit intelligendum. Iſtam regulam, iſtud criterium, vulgo univerſo hominum Chriſtianorum accommodatum, a vobis pro lite præſente accommodatum requirimus; utque ex eo cum certitudine probetis, hæc Chriſti verba determinate improprie potius, quam proprie, accipienda eſſe. Non hic linguæ autographæ expreſſio aut proprietas, non contextus ſermonis Chriſti, non alia Scripturæ dicta analoga, decretoriæ criſi uſquam ſufficientia, ad dubium hoc decidendum ſuppetunt; ut mox ex objectionum ſimilium clara ſolutione patebit.

Nulla

Digitized by Google

Nulla ratio, nullus ſenſus communis, nulla experientia ſenſuum, nec humana ulla auctoritas, cujus authentia vulgo hominum Chriſtianorum ſatis perſpecta ſit, uſpiam pro criterio ſeſe offert; ex quo *communiter* & *ſatis certo* ſtatuere idem Chriſtianorum vulgus poſſit, Sacramentariis potius, quam catholicæ Eccleſiæ fidem a ſe habendam eſſe in judicanda vera natura hujus Sacramenti, & ſignificatione verborum Chriſti. Hoccine vero Sacramentum inſtituere voluerit Chriſtus; quin criterium facile & certum relinqueret, quid in eo inſtituerit? Pomumne diſcordiæ projicere in medium intenderit Chriſtus, inſtituendo hoc Sacramentum dicens: *hoc eſt corpus meum?* Non reliquerit medium modumque ſecurum decidendi litem circa hoc memnoſynon ſui in nos amoris?

Probe id notes velim: fateri adverſarios, ſi *proprie* intelligenda forent verba Salvatoris, concludendam ex eis fore realem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento: negare illos id vero, tenereque, prorſus improprie intelligenda eſſe. Si rationem iſtius exceptionis exquiras, quæ communi omnis interpretationis regulæ adverſatur (cum utique ſecundum omnes DEI verba per ſe proprio in ſenſu intelligenda ſint): quam putas denique reponunt?

Reipſa, & ſincere ſi loqui velint, non aliam, quam *ſenſus proprii repugnantiam*, quam ipſi putant, evidentem; in ſpeciem vero illam etiam addunt rationem, quam ipſimet non credunt; videlicet hanc fuiſſe veterum Eccleſiæ Patrum ſententiam, improprie illa Chriſti verba intelligenda eſſe. Quod modo dixi,

quam

quam ſit verum, ex adverſariorum omnibus argumentis jam mox obſervare licebit.

** *Opponunt* ergo 1°.) Ex ipſa propoſitione Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, patet, non illum locutum eſſe proprie. Nam per pronomen *hoc* Chriſtus aliquid demonſtrabat jam tunc actu præſens, cum eam vocem primam pronuntiaret. Atqui tunc nondum præſens erat SS. Corpus ipſius; quia ſecundum Theologos catholicos id primum verbis illis ipſis Chriſti præſens reddebatur; nec verbis illis, niſi jam finita tota propoſitione, reſpondebat effectus: proinde ſolus adhuc panis tunc præſens erat. Jam vero de pane in ſenſu proprio dicere nullo modo ex vero Chriſtus potuit, *hoc eſt corpus meum*: ergo improprio id in ſenſu dixit.

Reſp. Adverſarii hic ſententia quadam mere ſcholaſtica Theologorum catholicorum, valde quidem communi, abutuntur; quæ docet, Chriſtum non jam prius, quam hæc verba diceret, ſed per hæc ipſa verba mutaſſe panem in SS. Corpus ſuum, ac proinde hoc nondum in principio, ſed finitis primum his verbis, affuiſſe.

Hac in hypoteſi *reſpondere* iidem *Theologi Catholici* huic objectioni *ſolent*: per pronomen *hoc* demonſtrari quidem corpus Chriſti, ſed ita, ut in momento propoſitionis inchoatæ illud tantum ſignificet ſub ratione confuſa ſubſtantiæ præſentis, in inſtanti vero propoſitionis completæ clare ac determinate: quippe *pronomi-*

nomina in eo differre a *nominibus*; quod *hæc* ſemper ac per ſe rem determinatam ſignificent, ex. gr. *panis*, *corpus*: *illa* vero ſolitarie pro ſubjecto poſita nihil determinatum demonſtrent; donec a prædicato ad ſignificationem determinatam ac diſtinctam determinentur.

Addunt exemplum aliud: ex. gr. ſi Chriſtus per hæc verba, *hoc eſt vinum*, aquam convertiſſet in vinum in nuptiis Canæ Galilææ, idem reſponſum dandum ab adverſariis fore. *Verum*, ut, quod res eſt, fatear; non ſatis explicari myſterium hoc reſponſo, mihi quidem ſemper eſt viſum.

Concedo, per pronomen *hoc*, ſe ſolo pro ſubjecto poſitum, non *diſtincte*, ſed *confuſe* ſolum adhuc ſignificari rem, quæ demonſtratur: ſed non ſignificari *rem determinatam* ſaltem confuſe, nimirum eam, quæ ceu præſens actu ſubſtat his impreſſionibus in ſenſus, id equidem *nego*. Eſt vero quid longe diverſum, *non diſtincte rem præſentem ſignificari*, & *non ſignificari rem præſentem*, ac proinde in ſe *determinatam*, omnino.

Profecto ſi digitum intendens in præſentem Petrum adhuc ignotum, dico: *hic*; jam profecto ſignifico me de hoc determinato oculis præſente objecto aliquid affirmare, vel negare, velle; etſi non niſi confuſe Petrum deſignem: ſecus dicendum foret, me dicendo, *hic eſt Petrus*, non de determinato ſubjecto id affirmare. Imo demonſtrando *hoc* quod oculis ſubjicitur, & digito deſignatur, hoc ipſo *præſens* aliquid deſigno; nihil autem, niſi quod *determinatum* eſt, præſens eſſe, ac proinde nec ceu præſens demonſtrari, poteſt.

Hoc

Hoc ipſo ex argumento merito negare videntur Sacramentarii, Chriſtum ex vero dicere potuiſſe in Cana Galilæa, *hoc eſt vinum*; niſi jam priusquam id diceret, aquam in vinum mutaſſet. Enimvero *propoſitiones practicæ* in SS. literis aliter ſonant, ex. gr. *fiat lux, producat terra herbam virentem &c.* Gen. I. Et tentator Matth. IV. dixit: *dic* UT FIANT *lapides iſti panes.*

Itaque longe expeditius equidem cum *Innocentio* III. ſummo Pontifice Lib. IV. Myſt. Miſſæ. cap. 6. ante ſcholarum exortas lites ſcribente *reſpondeo: Chriſtus virtute divina confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Vide dicenda inferius §. 506. His autem poſitis ceſſat omnis objectio: pronomen enim *hoc* Corpus Chriſti jam præſens veriſſime, confuſe tamen, ſignificabat. Unde & illud fruſtra *objiciunt Sacramentarii*: illud eſt tantum præſens, quod Chriſtus accepit, benedixit, fregit, deditque diſcipulis, dicens: *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*: atqui, quod accepit &c., panis erat: ergo panis tantum eſt præſens. *Nam* Omnipotentiæ ſuæ actione Chriſtus id, quod primo in manus acceperat, continuo mutavit in corpus ſuum, ac tum primum dixit: *accipite, & manducate,*

*** *Opponunt* 2°.) in multis aliis Scripturæ textibus verbum *eſt* uſurpari pro *ſignificat*: ergo & in his verbis Chriſti: *hoc eſt corpus meum.* Sic Exod. XII. 11. de agno paſchali dicitur: *eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini*, hoc eſt, ſignificat tranſitum Domini.

Digitized by Google

mini. Ezech. XXXVII. 11. de oſſibus aridis dicitur: *oſſa hæc univerſa domus Iſraël eſt.* Joan. X 7. Chriſtus dicit. *ego ſum oſtium.* Jo. XV *Ego ſum vitis vera* I. Cor. X. 4. *Petra erat Chriſtus &c. &c.*

Reſp. In omnibus his aliisque ſimilibus locis obvium eſt, advertere figuratum ſenſum. At unde Apoſtoli hunc in verbis inſtitutionis Sacramenti hujus colligerent? Promiſerat Chriſtus Joan. VI., ceu rem aliquam grandem, inſolitam, & quæ ex ipſo modo proponendi a Chriſto adhibito cunctis audientibus incredibilis videbatur, daturum ſe carnem ſuam *manducandam* ſub ſpecie panis ceu *verum cibum* (Jo. VI. 52. *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*), & *bibendum ſanguinem* ceu verum potum.

Nunc cum præmiſſa ad divinum Patrem gratiarum actione, benedictione, & cum ſumma religione offert Sacramentum panis dicens: *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*; quo pacto rem levem, merum panem naturalem, ſibi in ſignum illius carnis ſuæ ut cibum offerri ſuſpicarentur. Penſet hoc apud ſe, cui ſincerus animus eſt. Idem eſt, ſi dicant, in verbis, *hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine*, geminam figuram eſſe: neque enim iſtæ figuræ ſenſum mentis ita effugiunt, nec reali præſentiæ adverſantur. Sed quid tricamur inepte. Oſtendemus brevi, non ſic intellexiſſe Apoſtolos, nec, ſic intelligenda Chriſti verba eſſe, edocuiſſe poſteros ſuos.

Et quæ denique hæc conſecutio: verbum *ſum* aliquando in SS. literis ſumitur pro ſignifico: ergo iſthic ita quoque ſumitur. Et talis argutia decidat in tam gravi controverſia fidei? Hæccine illud criterium veritatis

ritatis eſt, quo uno nos Chriſtus inſtruxerit ad decernendum de tam grandi dogmate?

**** *Opponunt* 3'.) ex græco textu patere, per nomen *corpus* Chriſti naturale & verum, ſed figuratum ſolummodo & ſacramentale; *tum* quia in græco textu I. Cor. XI. 24. legitur Chriſtus dixiſſe, *hoc eſt corpus meum; quod pro vobis frangitur*; τȣτό μȣ ἐςὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον: atqui verum Chriſti Corpus in illa cœna non frangebatur, ſed figura illius, nempe panis: *tum quia*, ubi Vulgata legit, *quod pro vobis tradetur*; & de ſanguine, *qui effundetur*; in græco habetur, *quod pro vobis datur, qui effunditur*: atqui corpus verum Chriſti non tunc in cœna, ſed in cruce pro nobis datum in mortem, ſanguis non tunc, ſed poſtea primum fuſus eſt. Ergo ſolum de pane ac vino ut figura Corporis & ſanguinis Chriſti hæc dicebantur.

Reſp. Nugas agi: nunquid figura corporis Chriſti pro nobis *datur*, & figura ſanguinis Chriſti pro nobis *funditur* a Chriſto in remiſſionem peccatorum, & non verum corpus, & verus ſanguis? Certum eſt, verbum *frangitur*, quo S. Paulus Chriſto tribuit, idem ſignificare, quod apud S. Lucam ſignificat verbum *datur*, nempe *hoc eſt corpus meum, quod vobis ceu panis datur, aut frangitur in ſpecie panis. Frange panem eſurienti*, Iſai. LVIII. 7. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt*, I. Cor. X. 16. legere eſt in eadem prorſus ſignificatione. *Adde*: ſi Chriſtus fregit jam benedictione prævia conſecratas ſpecies panis; vere dixit, corpus ſuum frangi a ſe pro Apoſto-

lis

Digitized by Google

lis in ſpeciebus panis. Dein ſive cum S. Luca legas, *quod pro vobis datur,* & *qui funditur,* ſive cum Matthæo, *qui effundetur,* & cum Vulgata I. Cor. XI. *qui pro vobis tradetur;* ſanus eſt ſenſus, & tempus præſens indicabit præſentem incruentam in cœna, tempus futurum proxime ſecuturam cruentam oblationem in cruce.

***** *Opponunt* 4°.) Chriſtus poſt conſecrationem calicis jam factam adhuc Matth. XXVI. 29. ajebat: *non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum; cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei.* Ergo eo ipſo indicavit, in calice conſecrato fuiſſe adhuc verum vinum.

Reſp. Patet ex S. Luca (491. n. 4.), Chriſtum iſta de calice paſchali dixiſſe, antequam inſtitueret SS. Sacramentum; eaque a SS. Matthæo & Marco ſerius & loco non ſuo referri. Exploſis itaque facillime præcipuis Sacramentariorum ex Scriptura argumentis, jam quas nos catholici habeamus ſufficientiſſimas rationes dogmatis de reali Chriſti præſentia in hoc Sacramento, videamus.

498.

Verba Chriſti de Sacramento SS. Corporis & Sanguinis ſui in ſenſu proprio, & proin de reali iſtius præſentia, intelligenda eſſe ulterius *probatur* 1°.) EX IPSIS ADJUNCTIS INSTITUTIONIS HUJUS SACRAMENTI. Nam 1°.) Chriſtus nullo indicio prodidit, ſe improprie loqui; ſed potius tum exaggeratione promiſſi jam Joan. VI. de hoc Sacramento dati ingeſſit ſenſum proprium verborum ſuorum in inſtitutione actuali uſurpatorum. 2°.) *Dogma fidei* arduum in hoc

Sacramento propoſuit, uti vel ex actis Joan. VI. patet; *Sacramentum* certo perpetuum inſtituit; *præceptum* dedit illud celebrandi perpetuo; in eo velut *teſtamentum* condidit. Atqui in his omnibus maxime opus eſt & decet profecto proprio verborum ſenſu uti. 3'.) Nullus Evangeliſtarum, nec S. Paulus, ullo verbo vel indicio ſenſum figuratum innuit; nec ullæ ſuppetunt circumſtantiæ aliæ, ex quibus is colligatur. Ergo niſi aliud criterium ſuppeditarit, ex quo lis iſta cum certitudine decidatur; ipſe pomum diſcordiæ per hujus Sacramenti inſtitutionem in Eccleſia ſua projecit.

Probatur 2'.) EX SS. PATRUM TRADITIONE. *S. Ignatius M.* Epiſt. ad Smirn. de Saturnianis aliisque ſuæ ætatis hæreticis veram Chriſto carnem abjudicantibus ſcribit: *ab Euchariſtia abſtinent, eo quod Euchariſtiam non confitentur eſſe carnem Salvatoris noſtri JESU Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt. S. Juſtinus M.* Apol. 2: *Quemadmodum per verbum DEI caro factus J. Chriſtus Salvator noſter carnem & ſanguinem noſtræ ſalutis cauſa habuit: ad eundem modum etiam eam . . . alimoniam* (Euchariſticam), *unde caro & ſanguis noſter per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.*

S. Irenæus L. V. c. 2. *quomodo carnem negant eſſe capacem vitæ æternæ, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur ut ejus membrum?*

Tertullianus L. de reſurrect. carnis c. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima DEO ſaginetur.* L. IV. contra Marcion. c. 4. *Acce-*

Acceptum panem corpus ſuum fecit, dicendo: hoc eſt corpus meum.

S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcil. ait: *epoto ſanguine Domini . . . mœſtum pectus divinæ indulgentiæ lœtitia reſolvi.* Et Epiſt. 54. ad Cornel. vult, ut imminente perſecutione fidei Chriſti fidelibus *Chriſti ſanguis non denegetur, ex poculo Domini bibendus.*

S. Hilarius Pictav. L. VIII. de Trin. Arianos *interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Chriſtus in nobis ſit; an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo dominico ſumimus; quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt? Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum. Ipſe enim ait: caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. . . . De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. . . . Et hæc accepta, atque hauſta, id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.*

S. Cyrillus Jeroſ. catech. 4. *Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet de pane, hoc eſt corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? & eodem quoque confirmante, & dicente, hic eſt ſanguis meus; quis dubitet, & dicat, non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum; . . & non erit dignus, cui credamus, quod* VINUM IN SANGUINEM TRANSMUTAVERIT? . . . *Ne ergo conſideres Euchariſtiam tanquam panem nudum & vinum nudum; . . . hoc ſciens, &* PRO CERTISSIMO HABENS, PANEM HUNC, QUI VIDETUR A NOBIS, NON ESSE PANEM; TAMETSI GUSTUS PANEM ESSE SENTIAT; SED ESSE COR-

PUS CHRISTI; ET VINUM, QUOD A NOBIS CONSPICITUR, TAMETSI SENSUI GUSTUS VINUM ESSE VIDEATUR, NON TAMEN VINUM, SED SANGUINEM ESSE CHRISTI. In catecheſi hoc dictum eſt, nec clarius dici poterat. Addit: *ne ex guſtu rem judices; quin potius habeas ex fide certiſſimum, ita ut nulla dubitatio ſubeat, eſſe tibi donata corpus & ſanguinem. Sic enim*, inquit porro, *efficimur Chriſtiferi, id eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes; cum corpus ejus & ſanguinem in membra noſtra recipimus.*

S. Gregorius Nyſſenus Orat. catech. c. 37. *Corpus Chriſti, cum fuerit intra corpus noſtrum, ut fermentum, totum ad ſe transmutat: ſed fieri non poteſt, ut ſit aliter intra corpus noſtrum, niſi per eſum & potionem miſceatur viſceribus.* Addit, *idem unum corpus Chriſti multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribui:* item, *DEI verbo ſanctificatum panem in DEI Verbi corpus ſtatim transmutari; ſicut dictum eſt a Verbo: hoc eſt corpus meum.*

S. Ephrem Syrus Lib. de non ſcrutanda Dei natura. *Participa immaculatum Corpus & Sanguinem Domini tui fide pleniſſima; certus, quod Agnum ipſum integre comedas. . . Hoc omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod nobis fecit unigenitus filius, Chriſtus Salvator noſter: ignem quippe & ſpiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus videlicet ſuum & ſanguinem.*

S. Ambroſius de initiand. c. 9. de SS. Euchariſtia ſcribens ait: *Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore; cum præter naturam ſit ipſe Dominus JESUS partus ex Virgine?*

Vera

Digitized by Google

Vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: vere ergo illius carnis Sacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus: hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. . . Et tu dicis: hoc verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod ſermo ſonat, affectus ſentiat.

S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 61. ad Antioch. populum ſic Chriſtum loquentem inducit: *parentes aliis ſæpe filios tradunt alendos: ego autem non ita; ſed carnibus meis alo, & me ipſum vobis appono: . . . vobis ipſam carnem & ſanguinem meum trado. Corporis ipſius participes efficimur, ſanguinem ejus deguſtamus.* Et hom. 83. in Matth. *Quomodo,* ait, *turbati non fuere Apoſtoli, cum hoc audiiſſent? Quia multa jam & magna de hoc ante diſſeruerat Chriſtus. . . . Credamus itaque ubique DEO, nec repugnemus ei; etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdiſſimum eſſe videatur, quod dicit. . . Nam verba ejus fallere non poſſunt; ſenſus vero noſter decipi facillime poteſt. Quoniam ergo ille dixit: hoc eſt corpus meum: nulla teneamur ambiguitate: ſed credamus, & oculis intellectus id aſpiciamus. . . O quot modo dicunt: vellem formam ejus, & ſpeciem ejus . . . videre: ecce! ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis: ipſe ſe ipſum tibi tradit; non ut videas ſolum; verum etiam ut tangas, & in te habeas.*

S. Auguſtinus Conc. 1. in Pſal. 53. explicans illa verba I. Reg. XXI. 13., quæ LXX. ita legunt: *portabat ſe ipſum David manibus ſuis*, ait: *quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum literam, non invenimus: in Chriſto autem in-*

invenimus: ferebatur enim quodammodo Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: hoc eſt corpus meum. Idem Epiſt. 118. nunc 54. ſcribit: *placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os chriſtiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Et in Enarrat. in Pſal. 98. : *ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit; - - & non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando.*

S. Baſilius M. in Miſſa divina apud Goar. ſcribit: *ſileat omnis caro humana, & ſtet cum metu & tremore, & nihil terrenum in ſe cogitet: Rex enim regnantium & Dominus dominantium progreditur, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus: eum autem præcedunt chori Angelorum, Cherubim, & Saraphim, oculos tegentes, & hymnum proclamantes &c.*

S. Hieronymus Ep. ad Heliod. *Abſit a me,* ait, *ut de iis quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.*

S. Cyrillus Alex. in Epiſt. Synod. ad Neſtor. de SS. Euchariſtia ſcribit: *non illam ut carnem communem ſumimus, ſed tanquam vere vivificam, ipſiusque Verbi propriam. - - - Neutiquam illam carnem hominis cujuspiam noſtræ conditionis carnem eſſe exiſtimamus; ſed vere illius propriam, qui noſtri cauſſa filius quoque hominis eſt factus.*

S. Leo M. Serm. 6. de jejunio menſis Sept. *Dicente Domino*, niſi manducaveritis &c., *ſic*

ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti ambigatis: hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur; & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, a quibus contra id, quod accipitur, diſputatur.

S. Joannes Damaſcenus L. IV. de fide orthod. c. 13. *Nec vero panis & vinum Chriſti corporis & ſanguinis figura ſunt; abſit; ſed ipſum Domini corpus Deitate dotatum.*

S. Rhemigius in I. Cor. X. ſcribit: *licet panis videatur; in virtute corpus Chriſti eſt.*

Jam *ex his Patrum dictis ſic concludo: primo* omnia iſthæc Patrum dicta, uti & alia innumera ſimilia, abſurda & inſipientiſſime hyperbolica ſunt circa dogma fidei; ſi non niſi figuratus eſt ſenſus verborum Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, ſique is per hæc non aliud inſtituit, niſi panem & vinum ceu figuras corporis & ſanguinis ſui memnoſinas.

Secundo ſcandalo plena ſunt; quia rude vulgus in errorem abſurdum neceſſitate induxit conſtans & in uſum jam deductum id genus idioma Eccleſiæ totius de hoc Sacramento.

Tertio idololatriam apertam docuere, cum adorandum propoſuere cunctis fidelibus hoc merum panis & vini Sacramentum.

Quarto ſcientes falſum dixere; ſi non niſi figuram ineſſe Chriſti hoc in Sacramento ipſi credidere.

Digitized by Google

Quinto nunquam verum ſenſum, ſed ſemper falſum, de verbis Chriſti circa hoc Sacramentum ingeſſere fidelibus. Jam vero hæc tanta abſurda cum cogitari de Patribus univerſe non poſſint; certum eſt, ſerio, in ſenſu proprio, non hyperbolice, ſed ex certa fide de reali Chriſti in Euchariſtia præſentia, hæc SS. Patres dixiſſe; ac proinde omnes credidere pro certo, in ſenſu proprio verba Chriſti eſſe intelligenda.

* *Opponunt Sacramentarii:* Patres ipſi ſæpius Euchariſtiam dicunt *ſignum, figuram, typum* Corporis & Sanguinis Chriſti. Sic *Tertullianus* L. IV. contra Marcion. c. 40. ait: *Panem corpus ſuum fecit dicendo: hoc eſt corpus meum: id eſt figura corporis mei. S. Auguſtinus* L. contra Adimant. c. 12. *Chriſtus non dubitavit dicere: hoc eſt corpus meum: cum ſignum daret corporis ſui.* Et in Enarrat. in Pſ. 3. *Chriſtus in ultima cœna diſcipulis ſuis figuram Corporis & Sanguinis ſui dedit. Facundas Hermianenſis* in Defenſ. trium Capit. *Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus Corpus ejus, & ſanguinem, dicimus; non quod proprie Corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis; ſed quod in ſe Sacramentum Corporis ejus & ſanguinis contineat.* Denique ipſe *S. Cyrillus Jeroſ.* catech. 5. Euchariſtiam *antitipum* corporis & ſanguinis Chriſti vocat.

Reſp. Ineptiſſima objectio hæc eſt. Numquid enim de hoc controverſia nobis eſt; an in Euchariſtia *figuræ, ſigni, typi,* id eſt, *Sacramenti,* ratio interveniat? Probent autem Sacramentarii, ſcriptores nobis ob-

objectos alterutrum docuiſſe, videlicet Chriſtum improprie locutum eſſe, cum dixit: *hoc eſt corpus meum*; aut Euchariſtiam nudam ſolum figuram eſſe, & non realis præſentiæ figurati plenam. De *ſpeciebus* ergo *panis* dixere eſſe figuram & ſignum, quæ ſunt ipſum *Sacramentum*; non de re ſubſtante his ſpeciebus; quam potius iidem ſcriptores eſſe Corpus verum Chriſti iisdem locis ſupponunt, & alias etiam clare affirmant.

Tertulliani ſenſus, vocum quadam transpoſitione, familiariſſima huic ſcriptori, obſcurus eſt; eo quod ea pars propoſitionis *figura corporis mei* non prædicatum reipſa, ſed ſubjectum propoſitionis ex mente ſcriptoris afficiat, ac ſenſus revera ſit: *hoc, quod olim figura corporis mei fuit, nunc eſt corpus meum.* Sic idem ſcriptor lib. contra Prax. c. 29. *Chriſtus*, inquit, *mortuus eſt, id eſt, unctus*. Lib. 4. contra Marcion: c. 11. *Aperiam in parobolam os meum, id eſt, ſimilitudinem*: hom. 55. in Matth. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, fidem & confeſſionem*: in quibus omnibus propoſitionibus illud, quod ſequitur *id eſt*, ſemper afficit priora verba cum transpoſitione aliqua.

Hunc reipſa eſſe Tertulliani ſenſum, patet ex ſcopo ſcriptionis l. cit.; qui Tertulliano is eſt, ut oſtendat, Chriſtum impleſſe omnes figuras veteris teſtamenti, ac proinde non fuiſſe adverſarium creatoris & auctoris veteris teſtamenti, quod ſomniabat *Marcion*, item ut oſtendat ſimul, Chriſtum veram habuiſſe carnem; quam pariter negabat hæreſiarcha ille; quia (ut ſuperius dictis mox addit) *figura non fuiſſet* (olim

in

in veteri teſtamento panis) *niſi veritatis eſſet corpus: vacua enim res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.*

S. Auguſtini in L. contra Adamant. ſimilis eſt ſcopus, nempe probare, Chriſtum non adverſari auctori veteris teſtamenti; cumque id probaret *Adamantus* ex eo, quod veteris teſtamenti DEUS eſum ſanguinis prohibuerit, eo quod anima carnis eſſet in ſanguine; cui animæ proinde eſu tali noceretur; & ex adverſo Chriſtus docuerit, occidi quidem poſſe ab homine corpus, animæ vero inde noceri non poſſe: *reſpondet S. Doctor: primo* in Deuteronomio agi de anima belluarum; Chriſtum vero loqui de anima hominum: *ſecundo* ſanguinem ibi ſumi pro anima; quia ſignum eſt animæ: ſicut & Chriſtus ſignum Corporis ſui, id eſt, Sacramentum, ſpecies panis, corpus ſuum dixit. Alter Auguſtini textus objectus explicatione non indiget.

Sed *objiciunt* ex eodem S. Doctore adhuc alium locum ex Enarrat. in Pſal. 98.; ubi Chriſtum ſic loquentem inducit: *non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendavi: ſpiritualiter intellectum vivificabit vos: Etſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrare; oportet tamen inviſibiliter intelligi. Verum* negat hic recte Auguſtinus capharnaiticum Chriſti carnem, in propria ſpecie præſentem, comedendi modum; non negat Sacramentalem, ſeu eam in ſigno realiter præſentem comedendi modum.

Facundus

Digitized by Google

Facundus denique de ſpecie panis ſacramentali re-ipſa loquitur in loco citato. Similia fere, id eſt, obſcure ſubinde dicta, vel non ex propoſito explicandi myſterium SS. Euchariſtiæ, ſed incidenter prolata, ex *S. Irenæo*, ex *Origene*, & aliis, opponunt Sacramentarii, pridem a catholicis abunde ex comparatione contextus, vel aliorum clariorum textuum ejusdem ſcriptoris, refutata.

Probatur 3°.) EX SENSU UNIVERSALIS ECCLESIÆ ET LONGISSIMA QUINDECIM SECULORUM PRÆSCRIPTIONE. Nimirum priusquam Berengarius aliquis ſeculo undecimo realis præſentiæ dogma convellere inciperet, ne unus quidem ejusdem ſeculi undecimi ſcriptor, qualecunque inter eruditos nomen ſortitus, oſtendi poteſt, qui Berengario in errore viam præiverit; ſed ſummo omnium *Occidentis Eccleſiarum* conſenſu, nemineque orientalium reclamante, ſæpe habitis Romæ, Vercellis, apud Turones, & in diverſis aliis locis, Epiſcoporum conventibus Berengarii doctrina proſcripta eſt. Unam fuiſſe omnium chriſtianorum Eccleſiarum de reali Chriſti præſentia doctrinam, Berengarianæ e diametro adverſam, omnes teſtantur, qui eodem ſeculo contra Berengarium ſcripſere: quos omnes contra fidem publicam mentitos eſſe, nemo prudens dixerit. Pariter *ſeculo decimo ſexto* incipientibus novis Sacramentariis, Carloſtadio, Zwinglio, Calvino, ſiquis ambigeret, ea ætate totam latinam Eccleſiam dogma realis præſentiæ tenuiſſe, ipſos iſtos principes novorum Sacramentariorum teſtes ſibi adverſos haberet; qui iſto inprimis nomine crimen idololatriæ toti Romanæ, ſeu latinæ, Eccleſiæ impingentes, ſeſe ab

Digitized by Google

ab ea ſepararunt. *De orientali Eccleſia* teſtes habemus ſimilis cum latina fidei omnes ſcriptores illius, & conſtantem hodie illius fidem, cum latinorum dogmate prorſus conſentientem; cujus teſtimonium ſolenne fuit profeſſio fidei a Jeremia Patriarcha ipſis petentibus Auguſtanæ Confeſſionis conſortibus a. 1570. communicata. Idem oſtendunt omnes *Liturgiæ* Eccleſiarum orientalium, & documenta invicta a Clariſſimo *Renodotio* in Libro, cui titulus *Apologie pour les catholiques*, contra Juriæum Calviniſtam producta de fide ſingularum; quibus irrefragabili modo mendacii convincitur fraudulenta fidei profeſſio ſub nomine orientalis Eccleſiæ Batavo apud Turias legato pro pecuniis venumdata a Cyrillo Lucari, ſedis Conſtantinopolitanæ fraudulento invaſore; quam una cum auctore ſuo, a ſede brevi dejecto, & laqueo ſuffocato, anathemate mox proſcripſit ejus ſucceſſor Cyrillus Berœnſis in Synodo viginti trium Epiſcoporum a. 1635.: cui ſubſcripſe a. 1642. viginti quinque Epiſcopi in nova Synodo, a Parthenio altero Cyrilli ſucceſſore celebrata; quorum judiciis ſubſcripſere omnes tres reliqui Orientis Patriarchæ.

** Non omiſit quidem temeritas quorumdam ex Sacramentariis jactare hoc ſcomma ementitum in *Paſchaſium Radbertum*, Corbejenſis Abbatiæ Monachum, quod in libro ſuo a. 831. edito *de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia*, & a. 844. ad Carolum Calvum directo, primus doctrinam de illa invexerit, atque idcirco a *Rabano Mauro* Fuldenſi Monacho ac poſtea Archiepiſcopo Moguntino, a *Ratramno* alio Corbejenſi Monacho ac poſtea Abbate Orbacenſi, & a *Joanne Scoto* ſtatim ſcriptis libris refutatus fuerit.

Addunt:

Addunt: ignorantiam ſeculi IXni & Xmi promoviſſe divulgationem novitatis; donec ſeculo XImo *Berengarius* detexerit errorem. Fuit, qui jam *ſeculo ſeptimo*, nempe a. 636., ab *Anaſtaſio Sinaita* eam realis præſentiæ Chriſti doctrinam de novo evulgatam ſomniaret. *Verum* mendacia hæc ſunt nimis audacia in publica luce hiſtoricæ veritatis.

Anaſtaſius Sinai montis Monachus in libro, cui titulus *fidei dux*, cap. 23. refutat Eutychianos incorrupticolas, qui corpus videlicet Chriſti inde a principio unionis hypoſtaticæ nulli corruptioni fuiſſe obnoxium docebant; eoque fine pro principio ab Eutychianis ipſis communiter admiſſo veram ac realem corporis Chriſti præſentiam (non ejus figuram tantum) in SS. Euchariſtia præſtituit; quin haberet deinceps ullum, qui tali dogmati contradiceret uſque ad Scotum. Enimvero non habet Blandellus Anaſtaſii accuſator, non habent Sacramentarii univerſi ullum fundamentum Anaſtaſio novitatem doctrinæ hoc in capite impingendi, niſi quod verbis nimie claris, & clarioribus, quam ulli alii ante ipſum, ipſorum errori ſub conceptu formali contradixerit.

Reſpondens enim *Gajanita* Eutychianus apud ipſum dicit: *abſit, ut dicamus, SS. Euchariſtiam eſſe tantum figuram Corporis Chriſti, aut nudum panem: ſed ipſum Corpus & Sanguinem Chriſti Filii DEI incarnati, & ex SS. Deipara & ſemper Virgine Maria nati, vere accipimus.* Ineptius nihil fingi poteſt, quam novitatem inauditam pro principio diſputationis communiter in Eccleſia & ab ipſis hoſtibus Eccleſiæ, quos refutas, admiſſo præſtituere. Et tamen in Synodo generali VII.

li VII. ſeu Nicæna II. *Epiphanius Diaconus* cum Patribus illis univerſis Anaſtaſio aſſenſit.

Paſchaſius Radbertus conceptis verbis in libro ſuo affirmat: *neminem adhuc in aperto* fuiſſe ſua ætate, *qui* realis Chriſti præſentiæ dogmati *contradiceret, quod totus orbis crederet, & confiteretur; quamvis quidam de ignorantia errarent;* indeque concludit, *nefarium ſcelus eſſe non credere, quod veritas ipſa teſtatur, & ubique omnes univerſaliter verum eſſe fatentur.*

Certum pariter ex ſcriptis *Rabani* & *Ratramni* eſt, neutrum iſtorum a *Paſchaſio* diſſenſiſſe, ſed conveniſſe prorſus eidem circa ſubſtantiam dogmatis de reali præſentia Chriſti in Sacramento Altaris. Controverſia his ſolum cum Paſchaſio fuit *circa tria capita*, cum dogmate illo connexa: *primo* an idem omnino corpus eſſet in Euchariſtia, quod ex B. V. Maria natum, & cruci affixum fuit; in quo aſſerto contradixere *Paſchaſio* duo prædicti ſcriptores, & quidam alii, dicentes: corpus Chriſti naturale habuiſſe molem & extenſionem, incremento, decremento, & mutationi obnoxium; in Sacramento autemglorioſum ineſſe, molis & mutationis expers; illud ex carne Mariæ, hoc ex pane factum eſſe &c.

Secundo an ſit in Euchariſtia velum aliquod, ſignum, figura &c., qua corpus Chriſti obtegitur; an vero ipſæ ſpecies externæ ſint ipſummet corpus Chriſti; quod idcirco dicatur videri, tangi, dentibus atteri: hanc quæſtionem movit *Ratramnus*, & aſſeruit contra adverſarios ab eo haud nominatos; quin eam *Paſchaſius* negaverit; qui & ipſe conceptis verbis docuit, Euchariſtiam ſimul eſſe *figuram* & *veritatem*: cum ergo fieri nequeat, ut ſub eodem reſpectu idem ſit ſuimet ipſius

Digitized by Google

ipſius figura & veritas; patet, *Paſchaſium* in Euchariſtia ſpecies externas panis & vini, id eſt, horum ſtatum ſenſibilem, a veritate & ſubſtantia Corporis & ſanguinis Chriſti diſtinctum, admiſiſſe: ex adverſo *Haymo Halberſtadienſis* tract. *de Corpore & Sanguine Domini* eodem tempore, ſicut & *Abbaudus* Abbas ſeculo XI. Tract. *de fractione Corporis Chriſti*, aliique poſt iſtos, timentes, ne, ſi Euchariſtiam appellarent figuram Corporis Chriſti, eo ipſo viderentur negare, illam eſſe verum corpus Chriſti (quia, uti arguebant, nulla res ſui ipſius ſignum & figura eſſe poteſt; ſed omne ſignum a re ſignificata diſtinguitur; econtra nulla res diſtinguitur a ſemetipſa) docuere; Euchariſtiam figuram & ſignum eſſe reſpectu ſumentium, non vero reſpectu corporis Chriſti: at enim facile nodum ſolves, dicendo: quamlibet rem ſenſibilem tamen ſignum ſui ipſius naturale, ſuæque præſentiæ, dare per actiones & impreſſiones in ſenſus; quæ actiones & impreſſiones ſignum a re diverſum ſunt: ergo & Chriſtum actione in ſenſus, actioni panis analoga, in Euchariſtia realiter præſentem ſe ipſum ſignificare; quæ actio diverſa eſt a ſubſtantia Corporis & Sanguinis ipſius:

Denique *tertia controverſia* id ætatis erat, an corpus Chriſti Euchariſticum corruptioni & ſeceſſui in ventrem ſit obnoxium, more aliorum alimentorum: hunc enim turpiſſimum *Stercoraniſtarum* errorem *Rabano Mauro*, contra Paſchaſium circa primam quæſtionem ſcripto in Epiſt. ad Heribaldum Altiſſiodorenſem pugnanti (apud Mabillon. Analect. I. 4. pag. 626.) impoſuit *Anonymus* quidam, a *Cellotio* ad calcem hiſtoriæ *Gotteſchalci* editus; eo quod *Rabanus* in ea epiſtola obſcure reſpondeat quæſtioni ſibi ab *Heribaldo* propoſitæ, *utrum Euchariſtia redeat in naturam priſtinam, quam*

habuerat in altari, anteqnam conſecraretur: reſpondit enim *Rabanus*: otioſam eſſe & ſuperfluam hujusmodi quæſtionem; cum ipſe Salvator dixerit in Evangelio: *omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum mittitur*: at enim excuſat Tournelius Rabanum, quod non de corpore Chriſti, ceu quod ante conſecrationem in altari non exiſtit, ſed ſolum de ſpeciebus panis & vini, ac ſymbolis, id dixerit; cum Rabanus ipſe L. I. de Inſtit. Cleric. c. 31. duo diſtinguat in Euchariſtia dicens: *aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti: virtute Sacramenti interior homo ſatiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur; virtute Sacramenti æterna vita adipiſcitur.*

Itaque ex his quidem patet, ea ætate cœpiſſe curioſius in adjuncta quædam hujus Sacramenti ab illis ſcriptoribus inquiri, quæſtione una alteri occaſionem dante; cum Logices melioris imperitia, & defectu diſtinctiorum conceptuum de natura corporum obſtante, quæſtio prius mota parum apte ſolveretur. Ex adverſo omnes iſtæ controverſiæ communem omnium conſenſum de ſubſtantia dogmatis catholici, id eſt, de reali præſentia Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia, aperte ſupponebant.

Solus itaque *Joannes Scotus Erigena*, *Hybernus* etiam, a patria ſua dictus, adverſus ipſum dogma hoc cum Paſchaſio Radberto pugnavit, libro adverſus ipſum ſcripto: cui titulus: *De Corpore & Sanguine Domini;* in quo dogma illud aggrediens: defendit: Sacramentum Altaris non eſſe verum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed ſolam iſtius memoriam & figuram;

Digitized by Google

cui mox *Hincmarus* Tract. de prædeſtin. c. 31. & *Andrevaldus* quidam Libro *de ineptiis Scoti* inſcripto: omniſque Gallia ſe oppoſuit; ex qua demum profugere coactus eſt.

Berengarius ſeculo undecimo ſuperveniens, non novitatem inductam Paſchaſio objecit, ſed Scotum unice allegavit ſententiæ ſuæ defenſorem: & continuo omnium doctorum calamos in ſe concitavit; quorum ſcripta in hac una cum Berengario controverſia bene magnum volumen implent; ut videre eſt in Tom. 18. Bibliothecæ Patrum Edit. Lugd.

Probatur denique 4.) EX CONCILIORUM *generalium & particularium ſolenni declaratione.* Præter Concilia enim particularia, quæ ſecundum dicta §. 494. not. 3. contra Berengarium Sec. XI. dogma catholicum declaravere, Seculo XIII. *Concilium Lateranenſe IV.* ſub Innocentio III. cap. *Firmiter* definiit a. 1215. *Credimus, ac confitemur, Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina.*

In *Concilio Florentino* Eugenius IV. in Decreto ad Armenos ita docet: *Verborum Chriſti virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.*

Omnium clariſſime Tridentinum Seſſ. XIII. can. 1. definiit: *Siquis negaverit, in SS. Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate D. N. J. Chriſti, ac proinde totum*

Chriſtum; ſed dixerit, tantummodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, vel virtute; anathema ſit.

Præterea Cap. 1. ejusdem Seſſ. ſic mentem ſuam ulterius declarat. *Docet S. Synodus, & aperte ac ſimpliciter profitetur, in almo S. Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem D. N. J. Chriſtum, verum DEUM atque hominem, vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri: nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dextram Patris in cælis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe DEO, cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus: ita enim majores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de SS. Sacramento hoc diſſeruerunt, apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemtorem noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum ipſius Corpus præbere, ac ſuum Sanguinem, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt: quæ verba - - cum propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundum quam a Patribus intellecta ſunt, indigniſſimum ſane flagitium eſt, ea a quibusdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri.*

Jam ego repeto argumentationem, ſupra §. 497. not. 1. jam propoſitam. Quæſo! quonam idoneo ex criterio non ſolum vulgus hominum

minum chriſtianorum, ſed vel doctiſſimus quisque, ſinceræ tamen mentis ac fidei homo, conſtituat apud ſe; proprio, an improprio ſenſu Chriſti verba accipienda ſint; ſi non *tum* generali illo omnium Eccleſiarum per quindecim ſecula conſenſu & interpretatione verborum Chriſti, haud dubie jam ab Apoſtolis accepta, *tum* ſolenni Eccleſiæ in Conciliis generalibus eam declarantis effato, ſtandum ſibi exiſtimet? Eſtne aliud *criterium* hoc uno magis idoneum, imo ſimpliciter ſufficiens, *pro univerſo fidelium cœtu?* Aut quonam ex prudenti principio rudis aliquis Berengario alicui: Calvino, & Zwinglio, potius fidem in hac re, quam toti Eccleſiæ, hujusque ſolenni definitioni, adhibebit; ita, ut certus ſit, Chriſtum hoc potius quam aliud hoc primario & excellentiſſimo Sacramento ſuo nobis revelaſſe? Nunquid ex morali ſaltem neceſſitate judicis, vel certæ regulæ alicujus, ad hanc de SS. hoc Euchariſtiæ Sacramento controverſiam componendam, evidens eſt, non Sacram Scripturam, non rationem humanam, utcunque arte demonſtrandi, Metaphyſices peritia, & autographorum Scripturæ linguarum peritia qualicunque inſtructam, non mere humanam ullam auctoritatem, ſed ſolam auctoritatem Eccleſiæ per Spiritum ſanctum directæ, ſufficere pro criterio certo exiſtentiæ hujus determinatæ revelationis divinæ, & hujus ſenſus verborum Chriſti præ alio oppoſito, poſſe. Quis enim mente ſecum concipiet, Chriſtum ſalva infinita ſapientia & bonitate voluiſſe, ut Sacramentum hoc amoris, a ſe in vitæ mortalis fine inſtitutum, diſcordiæ æternæ, & nullo remedio finiendæ, inter fideles ſuos fomes exiſteret?

*** *At enim* confiteantur modo Sacramentarii, quod res eſt; videlicet unicum ſibi revera opinionis ſuæ princeps argumentum eſſe, quod dogmatis catholicæ poſſibilitatem concipere mente ipſi nullo pacto queant.

Ajunt nimirum 1'.) præſentia realis totius Chriſti Domini in quavis minima ſenſibili particula Sacramenti importat compenetrationem totius corporis virilis in unum punctum ſenſibile; quæ compenetratio in ſuo conceptu repugnat.

2'.) Præſentia realis ejusdem in tot hoſtiis conſecratis in toto orbe chriſtiano importat replicationem humanitatis Chriſti, id eſt, ſimultaneam abſolute exiſtentiam localem in plurimis locis maxime remotis.

3'.) Ejusdem præſentiæ virtute manerent accidentia omnia panis & vini ſine ſubjecto ſuo; cum ſupponatur facta converſio panis in corpus & vini in ſanguinem Chriſti: quod item qui fieri queat, inexplicabile eſt.

4'.) Teſtimonium ſenſuum fallax eſſet, quod in hoc Sacramento panis & vini præſentiam teſtaretur; cum non iſta, ſed corpus & ſanguis Chriſti reipſa præſens adeſſet.

His *reſpondeo* 1'.) *ex communi veteris ſcholæ theologicæ ſententia*, quæ compenetrationem & replicationem neceſſario admittendam in Euchariſtia exiſtimavit: a nullo plane demonſtratam huc usque compenetrationis, aut replicationis, repugnantiam fuiſſe, nec contradi-

ctoria

Digitized by Google

ctoria oſtenſa, quæ ex alterutra earum conſequerentur. Neque enim contradictoria ſunt *eſſe idem in uno loco*, *& eſſe ſimul in alio. Eſſe unum*, & *non eſſe unum: eſſe multa, & non eſſe multa*; contradictoria quidem ſunt; ſed vera ſimul eſſe in replicatione, & compenetratione, nunquam probari potuere huc uſque; cum diſtinctio & identitas realis a *notis intrinſecis ſubſtantialibus* earundem, non a diſcrimine *in modo exiſtendi* mere locali, repetendæ ſint. Præterea cum impenetrabilitas elementorum corporis ex vi repulſiva oriatur; ſi hujus vis effectus impediatur virtute ſupernaturali; compenetratio ultro ſequeretur. Hoc *ad primum* & *ſecundum*.

Tertium facile explicatur; ſi dicamus id, quod ad realem Chriſti ſub ſtatu ſenſibili panis & vini tanquam in ſigno præſentiam per ſe neceſſarium eſt (496. I.), nempe Chriſtum præſentem propria ſuæ omnipotentiæ actione exercere actiones omnes panis & vini in noſtros ſenſus & in quævis corpora ſibi circumſita; quo pacto aderit *ſtatus ſenſibilis panis & vini*; quem veteres ex antiquatæ Philoſophiæ idiomate *accidentia panis & vini* appellarunt; ſed etſi adſit ſine ſubſtantia panis & vini eas actiones efficiente; non tamen adeſt ſine principio ſui efficiente perquam idoneo & ſufficientiſſimo.

Eo ipſo autem *circa quartum caput* difficultas non erit: quia teſtimonium ſenſuum alioquin præſentiam panis non niſi ſub generali conditione teſtatur ex ſtatu ſenſibili panis; ſi nempe nullum divinum miraculum interveniat; prout in Demonſtr. Evang. §. 160. abunde oſtendi: intervenire autem miraculum facta conſecratione, ipſa nos Chriſti verba ſatis admonent.

**** *Reſpondeo 2°.) ad primum & ſecundum ex principiis recentioris Philoſophiæ*; nulla abſolute opus eſſe compenetratione, aut replicatione, ad totum dogma catholicum realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia concipiendum.

Ajo *inprimis*, *nulla* abſolute opus eſſe *compenetratione*: id quod ſatis evincit certum illud ex recentiore phyſica principium, ſphæram aliquam eſſe activitatis elementorum cum certa ſpatii extenſione, ad quam agunt vires, primo cohæſionis, deinde repulſionis; quæ ſphæra poſterior quod tanta non ſit, ut virtute illius abſolute elementa omnia corporis virilis compreſſione ſumma intra ſpatium minimi puncti ſenſibilis compingi ſine compenetratione poſſint, probari profecto non poteſt; quia illa maxima reipſa eſſe & innumeris pæne locorum diſcriminibus poſſibilibus conſtare poteſt; etſi ſenſuum noſtrorum obtuſo nimis acumini vix ſenſibilis videatur; cujus obtuſionis menſuram, quanta illa ſit, item nullam habemus; niſi quam microſcopia ſaltem ſatis magnam nobis ſuppeditant. Sed *nec replicatio aliqua abſolute neceſſaria eſt.*

Nam inprimis nec Eccleſia unquam edixit, eam in Euchariſtia intervenire; nec SS. Patres Eccleſiæ de ea diſſeruere. Etſi enim ex. gr. *S. Chryſoſtomus* aliquando apud Bellarminum L. III. de Euch. c. 3. argum. 3. dicat, *eodem temporis Articulo* Chriſtum eſſe in cœlo ſimul & in altari; certe non de inſtanti eodem mathematico id neceſſe eſt intelligere; ſed ſufficit id intelligi de eodem articulo ſeu particula temporis ſenſibili: quia tota ratio Sacramenti *in ſigno ſenſibili qua tali* conſiſtit.

Jam

Digitized by Google

Jam vero ad vanitatem præciſe objectæ a Sacramentariis, & vel maxime item ab hodiernis longe pluribus Theiſtis, impoſſibilitatis SS. Myſterii hujus ad evidentiam usque oſtendendam, opus eſt ſolummodo reflectere ad immenſam illam diviſionem tempuſculi cujusque minimi ſenſibilis, quantam hodierna Phyſica ex luminis & Planetarum motu plane demonſtrat (Ontol. §. 189.).

Certe lumen motu ſuo intra minutum ſecundum ultra 38288 milliaria Germanica, adeoque pedes geometricos 84069092, percurrit (Phyſ. Partic. P. I. §. 173.). Sic vero, cum artificali etiam diviſione pes unus facile adhuc in 100000 partes dividi poſſit, ac ſingulæ partes ſpatii haud dubie ſingulis temporis partibus ſucceſſive percurrantur; habebimus in uno minuto ſecundo temporis ſpatiola & inſtantia minora 8406909200000.

Jam ſi minutum ſecundum in 60. tertia, horum quodvis in 60 quarta reſolvas; uni ejusmodi quarto minuto reſpondebunt in motu luminis adhuc particulæ ſpatii & temporis 2335252555 intra illud a lumine ſucceſſive percurri ſolitæ. Jam tuto aſſumi poteſt, nequaquam hoſtias conſecratas 2335252555, id eſt, vigeſies ter mille trecentes triginta quinque milliones, ſimul eodem tempore exiſtere in orbe chriſtiano; ſimulque ab experientia certum eſt, non poſſe ſenſu ullo a nobis diſcerni minuti ſecundi aſtronomici partem 3600mam, ſeu unum quodlibet minutum quartum (ſunt enim in uno minuto ſecundo minuta quarta 3600.).

Digitized by Google

Toties ergo, (id eſt, ſingulis minutis quartis) corpus Domini, ſucceſſive ſe præſentando in omnibus hoſtiis, ad eandem quamlibet earum intra minutum ſecundum (hoc eſt, ſingulis quartis minutis ſemel) redire poteſt, & ſtatu ſenſibili panis ſenſibus noſtris apparere, ac proin continuitate iſtius ſtatus ſenſibilis nullo ſenſibili modo interrupta in ulla hoſtia, ſine replicatione, ſine motu locali, ſola omnipotentiæ divinæ, corpus Domini continuo aliis atque aliis locis conſervare pergentis, actione.

Hæc eo fine unice dicta ſunt; non quod ipſe credam, multo minus quod definire velim, hoc potius quam alio quovis modo, aut ſine replicatione potius, quam cum illa, evenire actu divinum hoc SS. Altaris myſterium (neque enim decet theologum ſine Dei & Eccleſiæ auctoritate definire quidquam in tantis Myſteriis) ſed ut temeritas adverſariorum omnium hujus diviniſſimi Sacramenti *argumento ad hominem* explodenda omnibus prudentibus & rectæ mentis hominibus eo evidentius proponatur; qui divinum dogma, certis DEI verbis conteſtatum, uno impoſſibilitatis vaniſſimo obtentu evertere ſe poſſe temeritate ſumma exiſtimant: quaſi illi terminos omnes poſſibilitatis creatæ quaſi in digitis numeratos, & perſpectos haberent.

***** Sed *opponunt* porro tum *Sacramentarii*, tum hodierni *Theiſtæ*, huic divino Myſterio quædam abſurda, ut putant illi quidem, manifeſta; aſt eadem petita iterum non ex iis; quæ DEI Eccleſia in ſuis effatis de hoc divino Sacramento ceu fidei dogmata declaravit; ſed ex iis ſolummodo, quæ incertum Scholaſticorum Theologorum acumen de illius adjunctis phi-

philoſophica diſquiſitione, ſæpe nimis curioſa, nec ſemper ſatis ſolida, collegit.

Ajunt, inquam, ex catholico dogmate conſequi, Chriſti corpus humanum ſub minima particulæ conſecratæ extenſione ſic ſaltem in arctum compactum adeſſe; ut nec operationibus vivi corporis humani idoneum, nec ullo ſenſuum uſu præditum, ac proinde hoc ipſo quaſi vitæ actualis omni facultate, ipſaque *natura humani viventis corporis* revera expers ſit.

Imo ſi cum compenetratione omnium partium adſit ibidem Chriſti corpus (quod pæne omnes Theologi huc usque pro certo ſuppoſuere) ſequitur evidenter, idem ſine unione elementorum, quæ per vires cohæſionis, non niſi in ſphæra cohæſionis ſeſe exercentes, unice conſtituitur (Coſmol. §. 204.) & ſine omni compoſitionis modo humano corpori proprio, ac proinde expers formæ & naturæ humanæ, adeſſe: evidens enim eſt, modum compoſitionis elementorum ſtabilem ad formam, ſpeciem, & naturam, corporis humani pertinere (Ontol. 291.); nec ſine unione elementorum naturam eandem humani corporis conſiſtere poſſe. Atqui Chriſti corpus, utut glorioſum, *formam* tamen ſeu *ſpeciem* utique humani Corporis ſervare debet.

His *reſpondere*, ſalvis omnibus Theologorum ſcholæ, veteri Philoſophiæ innutritorum, ſuppoſitis, oppido profecto difficile; ſi non impoſſibile eſt. Et quidem compenetrationem elementorum omnium corporis Chriſti ſi admittas; prodidiſti me hercle fidem catholici dogmatis. Evidens enim eſt, elementa in unum confu-

confuſa humani corporis *naturam* ſervare non poſſe; quippe quæ evidenter modum compoſitionis humani corporis naturæ eſſentialem importat.

Dici talia utcunque veriſimiliter potuere; cum ex veteris Philoſohpiæ more forma humani corporis ſpecifica neſcio in quibus qualitatibus, aut ſubſtantiis incompletis, neutiquam vero in modo ſpecifico compoſitionis elementorum ſimplicium, conſiſtere adhuc vulgo crederetur. Sed nec iisdem elementis corporis ita ſaltem in arctum compactis, uti ſpatium micæ panis, oculo vix ſenſibilis, requirit, jam facile cuidam perſuadebis, aut naturales vivi corporis humani facultates, motrices, vitales, & ſenſitivas, manere poſſe; aut, his licet amiſſis, ſpeciem tamen, naturam, & formam propriam, humani corporis adhuc vere permanere.

Dicamne uno verbo; unde omnes iſtæ philoſophicæ difficultates circo hoc tam divinum & inſcrutabile Sacramentum, velut unico ex fonte, exortæ ſint? An ex Eccleſiæ quodam ſolenni & certo effato? An ex communi aliquo *SS.* Patrum de hujus Sacramenti, ac in eo realis Chriſti præſentiæ, adjunctis aſſerto? Minime gentium. Unice ſpinæ hæ omnes ex ſcholæ theologicæ, mereque humanæ opinionis, parum felici horto progerminarunt.

Poſtquam *a Paſchaſii Radberti temporibus, Rabano, Ratramno,* aliisque præeuntibus, curioſius ex ſcholæ modulo in rationes philoſophicas hujus Sacramenti inquiri

quiri cœpit; communis, &, ut omnibus videbatur, certa opinio invaluit inter Theologos (cum alioquin alia *realis præſentiæ*, quam quæ loci ubicatione, ut appellabant, abſolveretur, notione carerent) corpus Chriſti ſub ſpeciebus quibusvis panis conſecrati cum locali ubicatione in eodem ſpatio, etſi non cum extenſione locali ſibi alias connaturali, adeſſe.

Ego vero confidenter Scholæ Doctores univerſos appello; an auſint conſtanti animo aſſerere, iſtud aſſertum ad fidem pertinere, aut ex aliquo Eccleſiæ effato, aut communi SS. Patrum interpretatione, id ipſum comprobare. Enimvero communis ipſorummet cum *Bellarmino* ſententia eſt, modum, quo Chriſtus realiter in Euchariſtia præſens eſt, ad dogma neutiquam pertinere, ſed ſolam realem, veram, ac ſubſtantialem Chriſti præſentiam, omni panis & vini ſubſtantia ac reali præſentia remota, ab omnibus vere fidelibus certa fide credendam eſſe.

Hoc gemino dogmate catholica Eccleſia ſe filiosque ſuos ab omnibus reliquis ſectis acatholicorum unice diſcernit: *totus Chriſtus vere præſens eſt in Euchariſtia; nihil autem ſubſtantiæ panis & vini, præter ſtatum ſenſibilem utriusque, ceu ſignum realis præſentiæ Chriſti poſt verba conſecrationis.*

Tridentinum vero Concilium, quo nullum aliud clarius dogma hoc expreſſit, num de locali ubicatione vel verbo quid memorat? *Non hæc inter ſe pugnare,* dicit Seſſ. XIII. cap. 1. ſupra in probat. 4. citato, *ut* Chriſtus *ſemper ad dextram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus*

minus in locis SACRAMENTALITER PRÆSENS (non dicit *localiter præſens*) *ſua ſubſtantia nobis adſit.*

Tridentinum ergo *præſentiam Chriſti realem* in Euchariſtia non localem, ſed *Sacramentalem* appellat; ita nempe, ut ſignum quidem realis præſentiæ Chriſti, id eſt, Sacramentum ipſum, ſtatus ſenſibilis panis & vini perſonali ipſius Chriſti actione omnipotente determinatus, cum locali ubicatione in multis locis exiſtat; quin tamen ad hujusmodi veram realem *præſentiam ſacramentalem*, ſeu *in ſigno*, ubicatione locali ipſius Chriſti realiter præſentis ſit opus in omnibus eisdem locis; ubi Sacramentum realis Chriſti præſentiæ cum locali ubicatione exiſtit (496.). Et vero nunquid æque ac *humanitas*, ſic & *divinitas Chriſti*, realiter ac ſubſtantialiter vere præſens eſt in hoc Sacramento? Atqui *divinitas* ubicationis localis capax non eſt. Ergo vera realis præſentia evidenter ubicationem ejusmodi per ſe non importat.

Apparebit ex paullo poſt dicendis, quanta facilitate ceteræ, quæ in hoc argumento porro occurrunt, difficultates explicentur; ex. gr. cum ex communi regula tenetur, Chriſtum totum adeſſe in toto Sacramento, & totum in qualibet parte ejusdem &c. Quodſi itaque tantopere laborarunt ſummi quique & optimæ mentis viri noſtra ætate; ex catholicis æque ac proteſtantibus, ut circa hoc præcipue Sacramentum, quod concordiæ, non diſſenſionis incitamentum eſſe deberet, medium quoddam temperamentum, utrique parti probabile, excogitaretur: quidni iſtud omni-

omnibus arrideat? *catholicis* quidem; qui ſine iſto vix ſatis ab ſequelis abſurdis, hac in objectione explicatis, extricare ſe ac *naturalis Chriſti corporis* præſentiam ſtante illa ſuppoſitione explicare poſſunt; nec tamen ullum dogmatis ſui periculum faciunt, imo hoc ipſo totius dogmatis ſui de hoc Sacramento poſſibilitatem, ſalvis evidenter omnibus fidei, Eccleſiæ, & SS. Patrum communibus effatis (de quibus utique nec unionis diſcordantium partium, aut cujusvis alterius emolumenti ſpe, dimittere vel hilum quidem unquam licebit) clara in luce poſituri ſunt: *acatholicus* vero; quippe quorum ſapientiſſimi quique cum celeberrimo Abbate *Jeruſalem*, cum *Töllnero* Francofordienſi ad Oderam, aliisque, eam ſaltem realem præſentiam Chriſti admittendam denique agnovere; quæ in actione, non ſenſibili, ſed mere ſpirituali, in mentes recipientium hoc Sacramentum & in illuſtratione actualis gratiæ conſiſtit; qui proinde jam multo facilius ſenſibilem Chriſti in ſtatu ſenſibili panis & vini, licet abſentis, efficiendo ac continuando admittere poterunt; tum vero, ne deſtituti omni ſapiente criterio, porro improprietatem verborum Chriſti, hoc Sacramentum inſtituendis, inaniter aſſerere cogantur, ſicque non ſolum realem, ſed *Sacramentalem* ſimul ut vult Tridentinum, id eſt, *in Sacramento realem præſentiam* (496.) admittere poſſint; qualem eadem Chriſti verba concepta enuntiant. Evaneſcit hoc pacto omnis abſurdi cujuscunque in hoc diviniſſimo Sacramento ſuſpicio, & excellens quædam divinaque dignitas effulgeſcet.

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus ipſe vere præſens inſtar cibi & potus vere aget in omnes ſenſus noſtros in omnibus locis, ubi Sacramentum hoc SS. Corporis & Sanguinis illius exiſtit, actione ſimili prorſus, qua alias panis & vinum in eos agebat, eaque ipſa actione veluti ſigno aptiſſimo ſignificabit nobis actionem illam internam; qua ipſe, ceu panis vere cœleſtis, nutriat vitam animorum noſtrorum. Nulla neceſſitas ſeu compenetrationis, ſeu replicationis erit, nec compactionis SS. Corporis Chriſti in arctum ſub ſtatu veluti emortuo, & omnis vitalis ac humanæ activitatis experte. Nec vero patietur quidquam devotio Chriſtianorum, firma fide credentium, Chriſtum ipſum præſentem omnipotentiæ ſuæ ſenſibili actione ſub ſtatu ſenſibili panis & vini agere in oculos ac omnes ſenſus inſtar veri panis & vini; nullo licet horum poſt conſecrationem amplius præſente; eoque ipſo ſigno ſenſibili realis ſuæ præſentiæ nos ſecuros facere de illa ſpirituali internaque animæ nutritione; qua vitam gratiæ ſanctificantis applicatione ſpeciali meritorum ſuæ paſſionis & mortis in hoc Sacramento in propria perſona conſervare, & novis incrementis augere, præſente ipſe non ſpirituali modo, ſed Sacramentali, virtute pergat.

Damnat quidem *Tridentinum* Can. 1. Seſſ. XIII ſupra citato eos, qui Chriſtum in hoc Sacramento *tantum ut in ſigno, vel figura, vel virtute* (nimirum per gratias & effectus mere ſpirituales ac internos) adeſſe docent, uti docebant Sacramentarii ætate Tridentini, ſed minime reprobat eos, qui ſenſibili ſimul & externo effectu Chriſtum *vere realem & Sacramentalem*

Digitized by Google

lem præſentiam ſuam ſiſtere vel ipſos ob oculos corporis noſtri, aliena quidem in ſpecie, ſincere credunt. Sic profecto ſentientem quemcunque a Proteſtantium partibus venientem a ſocietate Eccleſiæ excludi a nemine moderato Theologo poſſe exiſtimo. Sicut nemo negaverit, S. Spiritum in die Pentecoſtes Apoſtolis in *Sacramento* linguarum ignearum vere, realiter, & ſubſtantialiter præſentem fuiſſe.

490.

In SS. Euchariſtia non manet ſubſtantia panis & vini, ſed vera converſione commutatur in SS. Corpus & Sanguinem Chriſti Domini. Dogma catholicum clare *probatur* 1'.) EX VERBIS CHRISTI: *hoc eſt corpus meum*: *hic eſt ſanguis meus.* Verba enim iſta, in ſenſu proprio accepta, in quo & accipienda certo ſunt (§. præc.), alium verum ſenſum habere non poſſunt, quam iſtum: *hoc*, id eſt, *hæc ſubſtantia*, *quæ ſtatu ſenſibili afficit nunc ſenſus inſtar panis & vini*, *eſt corpus meum*, *& ſanguis meus.* Atqui ſi eſt corpus & ſanguis Chriſti, quod ſic afficit ſtabiliter ſenſus; idem jam non eſt panis & vinum: ergo hoc, quod eſt in SS. Euchariſtia, jam non eſt panis & vinum. Certe ſi id, quod in SS. Euchariſtia adhuc cadit ſub ſenſus, eſſet panis & vinum; idem corpus & ſanguis Chriſti ex vero dici non poſſet (496.).

Probatur 2'.) EX SS. PATRIBUS & conſtanti Eccleſiæ totius traditione. Namque cum primum ſeculo duodecimo aliqui cœpiſſent effutire, Chriſtum una cum pane eſſe præſentem in Euchariſtia, & ſimile dogma Lutherus ſecu-

Digitized by Google

lo decimo ſexto innovaſſet; totus continuo oriens & occidens chriſtianus hunc errorem acriter eſt inſectatus, dogma catholicum veræ converſionis panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, ceu ab Apoſtolis continua traditione acceptum propugnans.

SS. Patres certe duo conceptis verbis adverſo errori e diametro contraria, ceu totius Eccleſiæ conſenſu ac fide recepta, affirmant, videlicet panem mutatione converti in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem; & poſt verba conſecrationis non amplius adeſſe panem, ſed corpus Chriſti.

Tertullianus contra Marcion. L. IV. c. 4. ait: *acceptum panem corpus ſuum fecit*: id quod non niſi per converſionem fieri vere potuit.

S. Cyrillus Jeroſ. catech. 4. *Aquam mutavit in vinum: - - & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem transmutaverit? - - Pro certiſſimo habeas, panem, qui videtur a nobis, non eſſe panem; tametſi guſtus eſſe panem ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; - - & vinum non eſſe vinum &c.* (§. 498. probat. 2.).

S. Ambroſius de init. c. 9. *Si tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo depromeret; non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? - - Et qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erat? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas.*

S. Gregorius Nyſſenus orat. catech. c. 37. *Panis ſanctificatus ſtatim in DEI Verbi corpus trans-*

transmutatus; ſicut dictum eſt a Verbo: hoc eſt corpus meum.

S. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *qui hæc dona ſanctificat, & transmutat, ipſe eſt,* nempe Chriſtus. Et hom. 60. ad pop. Antioch. ait: *non ſunt humanæ virtutis opera hæc, quæ proponuntur: qui tunc ipſa fecit in cœna illa, idem ea nunc quoque facit. Nos miniſtrorum tenemus locum; qui vero ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.*

S. Joannes Damaſcenus L. IV. orth. fid. c. 13. *Panis & vinum in corpus & ſanguinem DEI transmutantur. Si requiras; quonam pacto: ſatis tibi ſit audire, hoc fieri per Spiritum ſanctum.*

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. *Synodus Romana* ſub Gregorio VII. a. 1079. contra Berengarium definiit, *panem & vinum ſubſtantialiter converti in corpus & ſanguinem Chriſti. Concilium Lateranenſe IV.* ſub Innocentio III. a. 1215. cap. *Firmiter. Credimus, ac confitemur, & corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina. Eugenius IV.* in *Florentino Concilio* Decreto ad Armenos: *Verborum Chriſti virtute ſubſtantia panis in corpus, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.* Denique *Tridentinum* Seſſ. XIII. can. 2. *Siquis dixerit in SS. Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum Corpore & Sanguine D. N. J. Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem converſionem*

Digitized by Google

Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

* Teſtibus *Guitmundo* L. I. de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti, & *Algero* Cluniacenſi Monacho, quidam diſcipuli Berengarii Sec. XI., cedentes aliquid veritati, ſed non integre renuntiantes errori, docuere, una cum Corpore & Sanguine Chriſti occulte præſentibus in SS. Eucbariſtia panem & vinum manere. Sed iſti ſectam non fecere, nec nomen aliquod ex errore ſuo.

Lutherus primum Sec. XVI. celebrem fecit errorem de ſimultanea panis una cum SS. Corpore, & vini una cum SS. Sanguine Chriſti præſentiam. Duæ vero ſunt ſectæ inter ſe diſcordes in iſto errore. Una *Impanationem*, id eſt, unionem hypoſtaticam Chriſti cum pane & vino ſomniando admittit, altera *Conſubſtantiationem*, ut vocant; id eſt, ſimultaneam conjunctionem utriusque ſimul.

Lutherus pro more ſuo varians, nunc hanc, nunc illam aſſeruit in libro de Captiv. Babyl. a. 1520. Lutheri ſectatores, ſolo fere Oſiandro excepto, ut plurimum Impanatione rejecta, Conſubſtantiationem propugnant. Notam quoque, nec immerito, Theologi catholici *Durandi* ſingularem ſententiam: qui in IV. Diſt. XI. q. 3. diſtingens inter materiam & formam panis & vini, aſſerit; virtute conſecrationis forma panis & vini mutata, materiam panis & vini uniri cum anima & divinitate Chriſti, fierique materiam SS. Corporis & Sanguinis ejusdem; eo ipſo modo, quo in nutritione corporis humani materia alimenti, forma priore amiſſa, tranſit in ſubſtantiam illius. Bellarminus hæreſin appellat hunc Durandi errorem. Certum

eſt,

Digitized by Google

eſt, probabilitate omni deſtitutam, nec niſi ex præjudiciis antiquæ Philoſophiæ exortam in eo auctore opinionem fuiſſe.

Putavit quoque *Durandus* l. cit. q. 1. n. 15. ex verbis Chriſti dogma præſens probari non poſſe; quia illa vera eſſent, demonſtrato Corpore Chriſti, etſi adeſſet panis. Erravit autem evidenter & in hoc effato. Dicendo enim *hoc*, non demonſtravit Chriſtus, niſi quod ſenſus afficiebat. Si ergo panem præſentem tenebat manibus, qui ſolus ſenſus diſcipulorum afficeret; profecto dicere ex vero, de eo non potuit: *hoc eſt corpus meum:* hocque uno argumento cum evidentia refutatur tam *impanatio* quam *conſubſtantiatio.*

** Fruſtra, & ne tenui quidem cum momento probabilitatis, *Lutherani* exempla quædam propoſitionum ſimilium pro defendenda alterutra proponunt. *Dicunt* ex gr.; de ferro candente ex vero dici: *hic eſt ignum*, quin ferrum in ignem mutetur: *item*: de dolio vinum continente recte dici: *hoc eſt vinum*: de crumena auro plena; *hoc eſt aurum* &c.

Verum in primo exemplo *ignis* afficit ſenſus, & proinde per pronomen *hoc* ut afficiens ſenſus demonſtrari poteſt. In altero & tertio exemplo itidem pondere ſaltem *contentum* ſenſus afficit; &, quia vulgo in his *continentibus* aſſervatur, demonſtrari jam poteſt ut ſenſus afficiens mediante hoc continente & involucro. At quo pacto Chriſtus Corpus & Sanguinem ſuum demonſtrare ut afficientia ſenſus potuit; cum præſente

ſimul pane & vino nec ſenſus ullo pacto afficerent, nec vulgo ſub pane & vino adeſſe, ceu ſub involucris, conſueviſſent?

Reſponſio hæc evidentiam attingit. *Urgent* quidem *Impanatores* illud: de Chriſto ob unitatem perſonæ, licet duæ eſſent naturæ, dici potuiſſe, *hic homo eſt DEUS*: ergo etiam, licet in Euchariſtia panis ſimul adſit unitus Chriſto unione hypoſtatica, dici potuiſſe ex vero: *hoc* (id eſt, ſuppoſitum hoc) *eſt corpus meum. Verum repono*: falſum eſſe, ſuppoſitum, vel perſonam Chriſti, per pronomen *hoc* demonſtrari, imo etiam uniri pani potuiſſe; niſi actione aliqua ceu ſigno ſui, perſona divina affecerit ſenſus, & ſuo influxu ut cauſſa principalis determinaverit ipſas actiones panis; quibus iſte afficiebat ſenſus. Unio enim hypoſtatica non niſi in applicatione perſonæ divinæ ad influendum in actiones creaturæ ſibi unitæ, ceu inſtrumenti, conſiſtit (Tract. de Incarn. §. 343. III.).

Atqui ſomnia ſunt, tenere, quod Verbum divinum, ut cauſſa principalis, actione propria Verbo, determinet actiones panis & vini; quibus iſta, ceu ſimul præſentia, afficiunt ſenſus. Si enim verum eſſet, iſta ſimul adeſſe; fatendum foret, easdem eſſe illorum actiones poſt conſecrationem SS. Euchariſtiæ; quales ſunt ex ſola natura panis & vini vulgo ante omnem conſecrationem; nec proinde ullo modo præter naturæ leges a perſona Verbi, ut a cauſſa principali, ſingillatim præ ceteris divinis duabus perſonis determinari. Vide dicta §. 496.

Sic

Sic falſum eſt de columba, & linguis igneis, ſub quibus S. Spiritus in Baptiſmo Chriſti, & in die Pentecoſtes, apparuit, dici potuiſſe, *hic eſt Spiritus Sanctus*; ſi vera columba & ignis naturalis affuiſſet, & non actione propria, analoga columbæ & igni, S. Spiritus ſenſibus præſentem ſe, ceu in Sacramento tranſeunte, prodidiſſet.

*** *Objiciunt* porro dicta quædam aliquorum veterum Scriptorum. 1'.) *S. Chryſoſtomi* in Epiſt. ad Cæſarium Monachum dicentis; *antequam ſanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici Corporis appellatione; etiamſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus Filii DEI prædicamus. Sic & hic (in Chriſto) divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam perſonam utraque fecerunt.*

Reſp. Ex citatis ſupra §§. 498. probat. 2. & 499. textibus S. Chryſoſtomi patet, in Euchariſtiæ conſecratione ſecundum illius ſententiam *mutari* panem in corpus Chriſti, & quidem virtute præſentis illius textus ita, ut amittat appellationem panis, ac manente licet ipſius natura corpus panis jam haud amplius adſit. Ergo evidenter per *naturam* panis *ſtatum ſenſibilem* panis intelligit; perinde uti *Tertullianus* L. de anima c. 32. dicit, *aliud eſſe ſubſtantiam, aliud naturam ſubſtantiæ; ſubſtnatiam propriam eſſe rei cujusque, naturam* (id eſt, ſtatum ſenſibilem) *poſſe communem eſſe.* Sic & de igne babylonico tribus pueris parcente ipſe S. Chryſoſtomus in Hom. 4. ad Antioch. ait: *ju-*

venum pietas rerum (ignis) *naturam mutavit*: & hom. 12. in Gen. *Dominus, cum vult, elementa omnia in contrariam mutat naturam.*

Certe *Sinuſiaſtæ*, quos ibi impugnat Chryſoſtomus, non naturæ humanæ ſubſtantiam in Chriſto negabant poſt Aſcenſionem; ſed manere docebant, divinitati ſic permixtam, ut careret proprietatibus & ſtatu ſenſibili naturæ humanæ. Cum enim docerent, Verbum ab æterno ſibi commixtam carnem habuiſſe, ſed ſine forma exteriore carnis; quam primum in Incarnatione aſſumſiſſet; pariter docebant, Verbum in aſcenſione ad cœlos, non naturæ humanæ ſubſtantiam, ſed eam externam formam abjeciſſe. S. Doctor itaque contra eosdem probaturus, etiam formam ſeu ſtatum ſenſibilem naturæ humanæ in Chriſto poſt aſcenſionem manere, eo Euchariſtiæ exemplo utitur.

2°.) *Theodoretus* Dial. 1. in illud prophetiæ Jacobi Gen. XLIX., *lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*, commentans ait: *Sicut nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem ſanguinem dominicum appellamus; ſic veræ vitis ſanguinem uvæ ſanguinem nominavit... Salvator autem noſter nomina permutavit, & corpori quidem, id quod erat ſymboli, nomen impoſuit; ſymbolo vero, quod erat corporis. Sic vitem qui ſe ipſum nominavit, ſanguinis nomen ſymbolo dedit.* Dial. 2. addit: *viſibilia ſymbola corporis ſui appellatione honoravit; non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens... Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura. Manent enim in prio-*

Digitized by Google

priore ſubſtantia, figura, & forma, & videri tangique poſſunt, ſicut prius.

Reſp. In Dial. 1. Theodoretus tantum dicit, quod Chriſtus, ſicut ſibi dederit nomen ſymboli ſui dicendo, *ego ſum vitis*, ita ſymbolo ſanguinis ſui, id eſt, vino conſecrato, dederit nomen ſanguinis ſui dicens, *hic eſt ſanguis meus.* An vero ſymbolum ſolam habeat ſpeciem externam vini poſt conſecrationem; an vere adhuc vinum adſit; non attingit.

In Dial. 2. per *naturam* & ipſe ſtatum ſenſibilem intelligit; & ideo *Eraniſtæ* (quo nomine *Eutychianum* intelligit) qui in collocutione prius ipſe pro certo præmiſerat: *Sicut ſymbola Dominici corporis & ſanguinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt; ita dominicum Corpus poſt Aſcenſionem in divinam ſubſtantiam mutatum eſt;* reſpondet immediate per citata verba *Orthodoxus* appoſite; ſymbola Euchariſtica non mutare ſtatum ſenſibilem, ac proin nec corpus Domini in aſcenſione permixtione cum divinitate, ut volebat Eraniſtes, amiſiſſe formam corporis humani ſenſibilem & naturalem; non negans tamen, quod Eraniſtes ex fide ſibi cum orthodoxo communi præmiſerat; nempe poſt invocationem ſimpliciter *mutari & alia fieri* ſymbola illa.

Patent iſta plane ex eo: quod in eodem Dial. 2. quærenti Eraniſtæ, *quomodo poſt ſanctificationem ſymbola appellentur.* Orthodoxus reſpondeat: *corpus & ſanguinem Chriſti*, tum Eraniſta pergente, *& credis, te corpus & ſanguinem Chriſti percipere?* reponat orthodoxus: *ita credo: .. Intelliguntur autem ea eſſe, quæ facta ſunt; & creduntur, & adorantur, ut quæ illa*

 ſint,

Digitized by Google

ſint, quæ creduntur. In eodem ſenſu loquitur & ſentit cum Theodoreto *Gelaſius* Papa in libro de duabus naturis in Chriſto, etſi incertum ſit, an is liber ſit partus Gelaſii.

3'.) *Ruperti Tuitienſis Abbatis* ſenſa in L. II. de offic divin. & L. VI. in Joan. 1. item L. II. in Exod. quidem obſcura ſic ſunt, ut comparatione identidem inter unionem Verbi cum natura humana, & carnis Chriſti cum pane, inſtituta, plane Impanatoribus favere videatur. Attamen cum aliquando L. VI. in Joan. expreſſe *mutationem ac converſionem* panis *in carnem Chriſti* manente ſola *exteriore ſpecie* affirmet; incerta ſaltem ipſius ſententia eſt. Nec vero unius Ruperti auctoritas dogmati fidei obeſſe poteſt ab omni retro Eccleſia recepto.

**** Rurſus vero ad philoſophicas rationes revocando divinum hoc Sacramentum, *quærunt* 1'.) quorſum ſubſtantia panis & vini deveniat: 2'.) qualis ſit actio iſtius converſionis panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini?

Reſp. ad 1. ceſſant exiſtere, ſubtrahente DEO conſervationis actionem panis & vini ſubſtantiæ, & ſubſtituente omnipotentiæ ſuæ actionem, quæ operatur eundem ex integro ſtatum ſenſibilem, quem prius operabatur præſens ſubſtantia panis & vini.

Ad 2. patet ex modo dictis reſponſio: manente nimirum eodem ſtatu ſenſibili, ſubſtantia panis & vini, quæ prius erat iſtius ſtatus ſenſibilis principium efficiens, ceſſat id eſſe, & eadem remota principium

iſtud

iſtud ſit ipſe Chriſtus: ac proinde *converſio* iſta eſt mutatio ſubſtantiæ unius ſenſibilis in aliam, manente eodem ſtatu ſenſibili, ceu communi; nunc prioris, nunc poſterioris præſentis ſubſtantiæ, effectu. *Quærunt* porro: quo pacto ergo ex Euchariſtia naſcantur vermes, ſi diutius aſſervetur: item quo pacto corpus etiam ex hoſtiis conſecratis nutriri, & ſi magna copia conſumantur, ſaturari fames poſſit?

Reſp. Vermes naſcuntur, uti alias, ex ſeminibus in pane depoſitis, non ex materia propria panis, nec ex ipſa Euchariſtia. Cum vel aëris intemperie, vel actione ſtomachi, corrumperetur in certo loco & tempore panis & vinum naturale; præſente in eodem loco & tempore Euchariſtia Chriſtus ceſſat iterum ſuæ omnipotentiæ actione determinare ſtatum ſenſibilem panis & vini, & reſtituit præſentiam elementorum panis & vini; quæ in alimentum vermium, aut hominis tranſeunt, qui SS. Euchariſtiam percepit. Sed quid hæc ad te? Memento: *Qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur a gloria.*

***** *Incuſant* denique vocis *transſubſtantiatio* novitatem: quod nec inveniatur illa in SS. Scripturis, nec in SS. Patribus; ſed primum invecta in Eccleſiam ſit ab *Innocentio III.* in Concilio Lateranenſi IV. a. 1215. *Verum reſpondeo*: num antiquior eſt vox *impanatio* & *conſubſtantiatio*? Num de voce nobis controverſia eſt, an de ſubſtantia dogmatis? An non vox ὁμοούσιος nova adhuc erat; cum a Nicæno I. conſecraretur ad uſum Eccleſiæ pro dogmate SS. Trinitatis

Digitized by Google

tis ſine ambiguitate exprimendo? Recte *S. Athanaſius* L de decretis Synodi Nicænæ: *etſi ipſæ voces in Scriptura non extent; ſententia tamen, quam tenet* (Eccleſia catholica), *in Scripturis habetur.*

500.

I. *Totus & integer Chriſtus realiter præſens eſt cum tota divinitate & humanitate ſua, cum corpore & anima, cum carne & ſanguine ſub qualibet ſpecie, id eſt, totus ſub ſola ſpecie panis, totus ſub ſpecie vini conſecrati.* Nam 1') S. PAULUS I Cor. XI. 27. *reum* ait *eſſe Corporis & Sanguinis Chriſti, qui* (disjunctive) *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne.*

2'.) TRIDENTINUM Seſſ. XIII. can. 3. definiit: *Siquis negaverit, in Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujusque partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri; anathema ſit.*

3'.) RATIO evidens idem probat ex huc dictis. Tota enim cauſſa exiſtentiæ effectus utique præſens realiter nobis eſt in ſuo effectu, quo actu afficit ſenſus noſtros; & effectus etiam ſignum eſt præſentiæ totius cauſſæ exiſtentiæ ſuæ; vel naturale, ſi naturalis eſt; vel ad placitum, ſi ex inſtitutione vim ſignificativam aliunde notam habeat. Atqui cauſſa exiſtentiæ ſtatus ſenſibilis (ſeu ſpecierum) panis & vini, poſt conſecrationem remanentis, totus Chriſtus, Verbo & natura humana integra inter ſe unione perſonali ac indiſſolubili conjunctis conſtans eſt; ſimulque ex verbis Chriſti & inſtitutione perpetua ſpecies illæ, licet effectus Chriſti non naturalis, ſed ex placito ſint, vim ſignificandi illius

Digitized by Google

illius præſentiam realem ſtabiliter habent. Ergo &c. &c. Nimirum totus Chriſtus, id eſt merita æque humanitatis, paſſione & morte corporis collecta, atque dignitas & virtus divinæ illius perſonæ, cauſſa ſunt completa effectuum nutritionis ſpiritualis huic Sacramento propriorum: ſed & eadem omnia ſimul ſunt cauſſa completa ſacramenti ſenſibilis, quo effectus illi ſpirituales ceu ſigno analogo repræſentantur.

II. *Idem totus Chriſtus integer exiſtit non ſolum ſub tota ſpecie panis & vini extenſionem ſenſibilem habente, ſed etiam ſub quavis illius ſenſibili parte, ex. gr. ſub quavis mica ſenſibili panis, aut guttula vini conſecrati, tam ante, quam poſt ſeparationem factam.* Separatione facta id ita eſſe, definiit *Tridentinum* Coroll. præc. citatatum: etiam ante illam jam ex æquo id verum eſſe, probat *ratio* modo præc. coroll. allata, citra ullum diſcrimen.

III. *Etſi autem ex æquo realiter præſens in utraque ſpecie SS. Euchariſtiæ ſit totus Chriſtus; tamen vis ſignificativa verborum Chriſti ex ſe ſola non ex æquo importat conſtitutivorum omnium Chriſti realem præſentiam ſub utraque ſpecie; ſed ſub ſpecie panis ex ſe ſola tantum ſignificat & importat præſentiam corporis, & ſub ſpecie vini tantum præſentiam ſanguinis; cetera vero, uti divinitas ipſa Verbi & anima, imo & corpus ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis adſunt, & adeſſe realiter noſcuntur, conſequenter ob inſolubilem jam illorum unionem perſonalem in uno Chriſto Domino.*

Verba

Verba enim non ſignificant ultra inſtitutionem humanam; ſecundum quam & Chriſtus ipſe illis eſt uſus: ergo verba, *hoc eſt corpus meum*, ex ſe ſolis tantum ſignificant realem præſentiam corporis: reliqua ergo, puta, divinitas, anima, & ſanguis, alia ex cauſſa & ratione adſunt, & adeſſe cognoſcuntur; videlicet ob nexum unionis perſonalis inſolubilem jam memoratum: ſine quo nexu corpus ſolum, uti non poſſet eſſe cauſſa ſufficiens effectuum ſpiritualium hujus Sacramenti, ita nec ipſius Sacramenti ſenſibilis. Cumque effectus ſignificet præſentiam realem cauſſæ ſuæ adæquatæ; eo ipſo in hoc Sacramento indirecte ſaltem ſignificatur præſentia totius Chriſti Domini.

Tridentinum Seſſ. XIII. cap. 3. de hac re ſic diſſerit. *Semper hæc fides in Eccleſia DEI fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verumque Ejus Sanguinem, ſub panis & vini ſpecie una cum Ipſius anima & divinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinem ſub ſpecie vini, ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, animamque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem.*

* Cum aſſertio hæc ultima formali ſuo conceptu in SS. literis non exprimatur, nec a SS. Patribus pro Verbo DEI tradita fuerit; Tridentinum nullo eam canone definivit. Quia tamen certo ratiocinio ex dogmate catholico realis præſentiæ SS. Corporis & Sanguinis

guinis Chriſti & inſolubilitate præſente unionis perſonalis & naturalis inter animam & corpus Chriſti infertur; qui eam inficiaretur, erraret in fide.

501.

Chriſtus Dominus SS. Euchariſtiam in ultima cœna pridie, quam pateretur, inſtituit. Ita clare *ex Evangeliis* tribus & *S. Paulo* ſupra §. 491. nn. 2. 3. 4. 5. citatis patet.

502.

Chriſtus, antequam hoc Sacramentum inſtitueret, Paſcha legale ſecundum veteris legis Judaicæ ritum celebravit.

Nam 1°.) Matthæus XXVI. 17. & Marcus XIV. 12. ſic habent: *Prima die Azymorum, quando Paſcha immolabant, acceſſerunt diſcipuli ad JESUM dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At JESUS dixit: ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans; ſequimini eum: & quocunque introierit, dicite Domino domus; quia Magiſter dicit: - - apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum: & illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli ejus in civitatem; & invenerunt, ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.. Et diſcumbentibus illis, & manducantibus, ait Jeſus &c. Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit &c.* S. Lucas pæne eadem habet XXII. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem dicens: euntes, parate nobis Paſcha, ut manducemus. - - Et paraverunt Paſcha. Et cum facta eſſet hora,*

Digitized by Google

hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo. Et ait illis: deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.

Ex his certum eſt 1'.) agnum paſchalem paraſſe ex præſcripto legis Apoſtolos ad hoc miſſos, nempe Petrum & Joannem. Hunc enim neceſſe erat occidi die primo azymorum ſub veſperam diei decimæ quartæ menſis primi ſecundum illud Exod. XII. 6. *ad quartam decimam diem menſis* (primi) *immolabit* (agnum) *univerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam. - - Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes.* 2'.) Certum eſt Chriſtum cum Apoſtolis diſcubuiſſe ad manducandum ea, quæ Paſchæ nomine parata fuerant. Inde enim religioſa temporis obſervatio, *veſpere facto, cum facta eſſet hora diſcubuit.* 3'.) Chriſtus legem totam Exodi XII. præſcriptam implevit: dici enim apud *S. Marcum* patrifamilias per diſcipulos juſſit: *apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*; ergo actu fecit, & cum *manducantibus illis* & ipſe manducavit *carnes* agni *aſſas igni, & azymos panes &c.* Ait item de eo paſchate, quod jam præparatum ab Apoſtolis in cœnaculo erat: *deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum; antequam patiar.*

2'.) SS. Patres, quotquot hanc quæſtionem attigere, indubitato conſentiunt, nominatim *Tertullianus* L. contra Judæos c. 10., *Origenes* hom. 23. in Numer., *S. Epiphanius* hæreſ. 70., *S. Cyrillus Jeroſ.* catech. 13., *S. Chryſoſtomus* hom. 81. & 86. in Matth., *S. Auguſtinus* Tract. 10. in Joan. &c. &c.

3'.) Tri-

3'.) TRIDENTINUM Seſſ. XXII. cap. 1. ait diſerte: *Celebrato veteri Paſcha (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat) novum inſtituit Paſcha.*

* *Bernardus Lamy* Diſſ. de ult. Paſch. & *Calmetus* Diſs. de nov. Paſch. cum *Antonio de Dominis* L. V. de rep. Eccleſ. c. 7. & Hugone Grotio in XXVI. Matth. v. 18. putarunt, Chriſtum morte præventum anno ultimo vitæ non celebraſſe Paſcha legale; eo quod illo anno Luna decima quarta inciderit in diem Veneris, quo crucifixus eſt; negantes idcirco, Apoſtolos paraſſe ex Chriſti mandato Paſcha eodem die, quo miſſi fuerant, comedendum; ſed comedendum primum fuiſſe poſtridie exiſtimantes. Cœnam autem illam veſpere a Chriſto cum Apoſtolis ſumtam, non legalem, ſed communem fuiſſe.

Movebantur his rationibus 1'.) quod ex tabulis aſtronomicis conſtare illis videretur, anno mortis Chriſti Lunam decimam quartam incidiſſe in diem Veneris, quo occiſus eſt Chriſtus: Lunæ enim & ſolis conjunctionem contigiſſe eo anno decima nona Martii verſus ſecundam aut tertiam pomeridianam; ac proin primam Lunæ phaſin non potuiſſe videri niſi vigeſima ad veſperam, adeoque decimam quartam incepiſſe a veſpera diei ſecundæ Aprilis, quæ erat veſpera diei Jovis Sancti.

2'.) Quia ex *chronico Paſchali Alexandrino* conſtat, ejusdem ſententiæ jam fuiſſe *Petrum Alexandri-*

num, Hyppolitum Portuenſem, Apollinarem Hierapolitanum, & Clementem Alexandrinum.

3.) Ex *Philone* de Septen. & ex *Joſepho* L. VII. de bello Jud. c. 17. conſtat, agnum paſchalem tantum immolari potuiſſe a meridie uſque ad veſperam, id eſt, ſecundum noſtram diviſionem horarum diei ab hora circiter tertia ad quintam; quod Rabbini ajunt fieri *inter duas veſperas*, id eſt, inter veſperam diei finientis Sole jam ad occaſum properante, & inter veſperam incipientis diei ſequentis, ſeu crepuſculum poſt ſolis occaſum. Atqui Apoſtoli primum leguntur acceſſiſſe ad Chriſtum die Jovis ſub veſperam primam primæ diei, azymorum dicente S. Luca: *venit dies prima azymorum, - - & miſit Petrum &c.* Ergo illo eodem die tempore jam ſero omnia neceſſaria parari amplius non potuere. Negat idem Philo, extra templum immolari agnum potuiſſe, aut aliorum manibus quam Sacerdotum; uti colligi videtur ex II. Paral. XXX. 14.

Reſp. ad 1. Incertus eſt annus mortis Chriſti, nec immenſis chronologorum laboribus huc uſque lis finiri potuit, vel ipſo ſummo chronologo Petavio id fatente L. XII. de doctr. temp. c. 12.: ergo ex tabulis aſtronomicis nihil de hac re decidere, vel præſtituere pro certo poſſumus; cui cedere deberet obvius verborum SS. Scripturæ ſenſus. Sed nec certum, Judæos ſolitos fuiſſe menſem auſpicari a prima Lunæ phaſi, & non potius ab ipſa conjunctione Solis cum Luna; quod longe veriſimilius eſt.

Ad 2. Chronici illius auctor incertus, quisquis ſit, vel ipſos codices Evangelii in locis citatis Matth. XXVI. 17. corruptos refert; aitque mendaciter, S. Jo-

annem

Digitized by Google

annem Evangeliſtam conceptis verbis tradidiſſe, Chriſtum paſſum eſſe decima quarta Luna. Habet etiam voces ab ætate Petri Alexandrini alienas, uti *ὁμοούσιον*, *θεότοκον*: exigua proinde illius eſt fides apud eruditos. Nec vero paucorum illorum par ceteris omnibus auctoritas eſſe poteſt, qui contradicunt.

Ad 3. Apoſtolos mox a meridie acceſſiſſe Chriſtum, ex eo patet, quod ſubdant poſtea Evangeliſtæ, *veſperæ autem facto veniſſe Chriſtum* &c.: ergo, cum interea *paraverint paſcha* diſcipuli, ſat magnum tempus interceſſerit neceſſe eſt. Lucas anticipatione vulgari utitur; cum dicit: *venit prima dies azymorum* &c.

Falſum eſt, vel ipſo Philone teſte in L. de vita Moſis III., a ſolis Sacerdotibus mactari agnum potuiſſe; & II. Paral. l. cit. caſus ſpecialis erat ob multorum immunditiem legalem; ſic enim legitur: *Immolaverunt phaſe - - - - Sacerdotes vero ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum: eo quod multa turba ſanctificata non eſſet; & ideo immolarent Levitæ phaſe his, qui non occurrerant ſanctificati Domino.* Ex quo ipſo patet, extra hunc caſum, ab omnibus mactari agnum potuiſſe, licet non extra templum id facere liceret; ut ibidem Philo teſtatur.

Præterea Jeroſolymitani patresfamilias hoc ipſo fine paratos jam tot agnos habebant in domibus; quot peregre advenientium familias quisque ſuſcipere in domum poterant. *Ceterum* id ſaltem hæc adverſariorum rationes probant, hæreſis damnari illos non poſſe,

quod ita ſenſerint (ut tamen damnati a magni nominis Theologis olim fuere) judiciumque Eccleſiæ nunquam bene a Scholæ doctoribus præoccupari.

** *Præterea* vero aliis quoque difficultatibus auctores illi in eam ſententiam adducti ſunt. Ipſe enim S. *Evangeliſta Joannes* ſatis innuere videtur, Judæos anno illo mortis Chriſti non in die Jovis ſub veſperum, ſed die Veneris, eo ipſo videlicet, quo Chriſtus occiſus eſt, ſub veſperum paſchalem agnum comediſſe, ac proin eo die lunam decimam quartam ad veſperum illius usque numeraſſe.

Nam 1°.) Jo. XVIII. 28. ſcribit de Principibus Sacerdotum: *adducunt JESUM in prætorium: erat autem mane; & ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur; ſed ut manducarent paſcha.* Ergo Judæi paſchalem agnum primum manducaverunt ſub veſperum diei Veneris. *Urgetur argumentum* ex eo, quod per *paſcha* in SS. literis vulgo non intelligatur niſi vel agnus hædusve paſchalis, vel conjunctum cum mactatione agni paſchale ſacrificium.

2°.) S. Joannes XIX. 14. diem crucifixionis Chriſti vocat *paraſceven: Erat autem paraſceve paſchæ.* Eſt autem *paraſceve* idem ac *præparationis* dies, eorum ſcilicet, quæ ad ſolennem diem primum paſchatis celebrandum a lege præſcripta erant. Confirmatur id ex eo, quod ibidem v. 31. ſcribat S. Evangeliſta: *Judæi ergo, quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies illa Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Jam vero non alia de cauſſa Sabbatum illud *magnus dies* vocatur, niſi quod eſſet prima dies azy-

azymorum & Paſchæ; ſic enim Exod. XII. 16. vocatur iſta dies *ſancta & ſolennis*; & Levit. XXIII. 8. lex Moſis habet: *ſeptem diebus azyma comedetis: dies primus erit vobis celeberrimus ſanctusque: omne opus ſervile non facietis in eo.*

3'.) Idem dies Veneris non potuit eſſe dies feſtus primus ſolennis Paſchæ: *tum quia* ſecus Apoſtoli non potuiſſent ſuſpicati, Judam a Chriſto mitti, ut ea, quæ opus eſſet, emeret ad diem feſtum; cum Joan. XIII. 27. Chriſtus ei in ipſa cœna ultima ſub primam veſperam diei Veneris celebrata diceret: *quod facis, fac cito*: cum die feſto jam inchoato nihilo magis quam Sabbato emere aliquid per legem liceret: *tum quia* tali die, ſi judicium de reo inſtitueretur, ipſi Phariſæi metuerant, *ne tumultus* fieret in populo: unde & illo die Veneris feſtinanter ſententia capitis in Dominum lata eſt; & corpus e cruce feſtinanter depoſitum ac ſepultum: *tum quia* Joſepho & Nicodemo licuit emere ſyndonem & aromata.

4'.) S. Joannes XIII. 1. expreſſis verbis dicit, *ante diem feſtum Paſchæ JESUM cœnam feciſſe* cum diſcipulis ſuis.

5'.) Denique, quod graviſſimum eſt, ſi Luna decima quarta exeunte incepiſſet dies prima azymorum, isque fuiſſet dies Veneris; tunc illo anno Pentecoſte non incidiſſet in diem Dominicum; quia a ſecundo die azymorum numerando dies quinquageſimus per legem Levit. XXIII. 15. Pentecoſtes conſtituitur; qui in ea hypotheſi fuiſſet dies Sabbati. Atqui conſtans Eccleſiæ traditio inde a S. Leone M. habet, diem Pentecoſtes in anno mortis Chriſti fuiſſe diem Dominicum.

*** Ad extricandas iſtas difficultates variæ excogitatæ ſunt viæ; de quibus tamen omnibus & ſingulis idem valet, videlicet conjecturis ſingulas inniti. Jam Sec. IV. *S. Chryſoſtomus* hom. 85. in Matth. exiſtimavit, Chriſtum cum reliquis Judæis Paſcha celebraſſe Luna XIV. exeunte; ſolos vero Sacerdotes & ſcribas, morte Chriſti occupatos, ad ſequentem veſperam diſtuliſſe, lege ſine ſcrupulo violata.

Sec. XI. *Rupertus* Abbas Tuitienſis putabat, Chriſtum & omnes Judæos eadem die Paſcha celebraſſe; ſed feſtivitatem primi diei azymorum transtuliſſe in diem Sabbati ſequentem; ne duo feſta continuo ſe cum magna incommoditate ſequerentur.

Paulus Burgenſis Sec. XV. credidit, cœnam legalem in diem decimam quintam translatam fuiſſe, ne duo feſta concurrerent; licet Chriſtus ſecundum legem luna decima quarta celebrarit. His opinionibus communiter *objiciunt*; nullam eis rationem ſuffragari; *non regulam* בדו, quæ vult Paſcha feria 2. 4. 6. non eſſe celebrandum; quia Petavio notante L. 12. de doctr. temp. hæc regula tempore Chriſti nondum obtinebat: *non legem de deferendo manipulo ſpicarum poſtridie diei feſti Paſchæ* Levit. XXIII. 10.: quia hæc lex metere & offerre manipulum die Sabbati, ceu opus religionis, permittebat: *non conſilium JESUM occidenti*: quia docentibus communiter Rabbinis reos irreligionis etiam in ſolenni feſto Judæis permiſſum erat.

Denique noſtro hoc ſeculo primum *Harducinus* de ſupr. Chriſti Paſch. nova conjectura inventa, duplicem lunam XIV. diſtinxit pro ratione duplici numerandi primum diem menſis lunaris, quo Judæi utebantur. Volebat is, *Judæos Jeroſolymitanos* diem primam men-

menſis ſemper numeraſſe eam, qua apparebat prima phaſis Lunæ; ex quo ſequeretur (ſecundum dicta ad not. 1. n'. 1.) lunam decimam quartam ſecundum illorum computum anno mortis Chriſti incidiſſe in diem Veneris, quo Chriſtus crucifixus eſt; ac proinde non niſi eo die ſub Veſperum Judæos comediſſe agnum paſchalem.

Ex adverſo vult idem, *Judæos Galilææ*, ex quibus Chriſtus erat, numeraſſe diem primum menſis a die ipſius conjunctionis lunæ cum ſole. Unde die quarta decima incidente in diem Jovis, Chriſtus ſub hujus veſperam celebrarit Paſcha legale, & crucifixus fuerit die ſequente; qui Jeroſolymis profeſtus, non vero feſtus ac ſolennis fuerit. Quo caſu numerando deinde cum Jeroſolymitanis dies quinquaginta a ſecunda die azymorum, quæ ibidem erat Dominica, dies quinquageſimus, ſeu Pentecoſte, inciderit ibidem in diem Dominicam. Variatio talis inter Galilæos ac ceteros Judæos vi iſtius ſuppoſiti contigiſſet ſaltem omnibus illis annis: quibus novilunium vernum incidiſſet inter meridiem & occaſum ſolis; quia tunc ſemper prima phaſis Lunæ non niſi ſequente die conſpicua eſt.

Præterquam quod hæc opinio optime combinet omnia Evangeliſtarum dicta & feſtum Pentecoſtes; veſtigia quædam iſtius conjecturæ petuntur ex eo; *quod Joſephus* Judæus nunc ſeptem, nunc octo dies azymorum numeret, ſed nempe diem lunæ decimæ quartæ præparatorium connumerans, quo jam fermentum omne auferri e domibus debebat: *quod* hodiedum Judæi non ſeptem, ſed octo dies azymorum numerare ſoleant: *quod* Pilatus apud S. Lucam XIII. 1. Galilæos ſeorſim a Judæis caſtigarit, *miſcens ſanguinem cum Sa-*

Digitized by Google

crificiis illorum; quos tam facile non diſcreviſſet; ſi juncti cum Judæis ceteris ſacrificaſſent: *quod denique* id diei diſcrimen ſervierit, ut facilius tantæ multitudini mactatione agnorum, quæ teſte Philone in vita Moſis L. III. non niſi in templo (licet non a ſolis Sacerdotibus, aut Levitis) fieri poterat, ſatisfieri poſſet: tempore enim Joſiæ regis Juda, cum cæſi fuiſſent a Juda ſolo 37000 agni & hædi, usque ad noctem Sacerdotes fuiſſe occupatos (II. Paral. XXXV. 14.): Judaici vero belli tempore a Juda & Iſraël ſimul 256000 agnos Joſepho teſte L. VII. c. 17. occiſa fuiſſe: quæ res abſolvi vix uno eodemque die potuerit: ambos enim ſimul pæne duplicatum numerum confeciſſe.

Sed & huic opinioni communiter *objicitur*, nullum ſeu in SS. literis, ſeu in documentis aliis illius ætatis, inveniri ſufficiens indicium duplicis ejusmodi Neomæniæ aut gemini diei Paſchatis apud Judæos &c.: denique S. Joannem ſalva omni id genus fictitia conjectura ſatis commode cum ceteris Evangeliſtis conciliari poſſe.

**** *Reſpondent* ergo communiter ſatis Theologi hodierni difficultatibus ſupra adnot. 2. propoſitis hoc modo:

Ad 1. *Per Paſcha* non intelligi ſolum agnum paſchalem in idiomate S. Scripturæ, ſed etiam cetera ſacrificia per ſeptem dies continuos offerri ſolita; cum Deut. XVI. 2. legatur: *immolabisque phaſe Domino DEO tuo de ovibus & bobus in loco, quem elegerit Dominus DEUS tuus &c.*: illorum vero ſacrificiorum nemo immundus quacunque immunditie legali particeps fieri poterat vi legis Levit. XXII. 3. *Omnis, qui*

qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.

Ad 2. Per *paraſceve* non intelligit S. Joannes ibi diem præparationis ad feſtum diem primum paſchalem; ſed paraſceven Sabbati, incidentem in diem feſtum Paſchæ. Ratio eſt, quia ſola dies Sabbati in Scripturis, non item dies Paſchæ, paraſceven habere notatur: idque idcirco, quod in Sabbato non tantum omne opus ſervile prohibitum eſſet Judæis, ſed etiam præparatio eorum, quæ ad victum erant neceſſaria: ex adverſo die primo azymorum ſecundum Lev. XXIII. 8. omne quidem opus ſervile prohibebatur, ſed non præparatio neceſſariorum ad victum & ad uſus religionis, aut caritatis. Eſt hæc exceptio conceptis verbis Exod. XII. 16. *nihil operis facietis in eis* (id eſt, in die prima & ſeptima azymorum) *exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent.*

Veritatem reſponſi iſtius innuit ipſe S. Joannes XIX. 31. loquens de die mortis Chriſti: *Judæi ergo, quoniam paraſceve erat, ut non manerent corpora in cruce Sabbato,* & S. Marcus XV. 42. *erat paraſceve, quod eſt ante Sabbatum;* & S. Lucas XXIII. 54. *erat paraſceve, & Sabbatum illuceſcebat.* Denique *Sabbatum* illud *magnum* vocatur; quia erat Sabbatum hebdomatis paſchalis, duplici titulo feſtivum.

Ad 3. Emere ad feſtivitatem diei pertinentia non erat prohibitum; ſicut nec ea facere, quæ caritas, ex. gr. ob ſepulturam, exigebat; ut patet ex re-

Digitized by Google

reſponſo, modo ad ſecundum caput objectionis dato. Judæorum Rabbini tenent, etiam reos violatæ religionis occidere prohibitum non fuiſſe; probantque ex eo, quod Numer. XV. 34. colligens ligna in Sabbato DEI juſſu lapidatus fuerit. *At enim* non ibi dicitur in Sabbato eſſe lapidatus; imo contrarium innuitur: quia *Moſes & Aaron* reum *recluſerunt in carcerem, neſcientes, quid ſuper eo facere deberent*; & poſt primum DEO ſingillatim jubente eductus eſt extra caſtra, ac lapidatus. Addunt exinde ex S. Chryſoſtomo hom. 80. in Matth.: *non* religionis ſtudio, quod id legi adverſum putarent, dixiſſe, ſed revera ſibi metuentes a *tumultu populi.*

Ad 4. S. Joannes loquitur de die naturali, ab ortu ſolis ad ortum alterum: & ſic dies decima quarta lunæ utique erat ante diem paſchæ.

Ad 5. *Alii* rem non ita certam putant; ac putabat Baronius. Neque enim ante S. Leonem M. teſtem habemus authenticum. Certe Sermo 154. de tempore, in quo die dominico Spiritus Sanctus deſcendiſſe in Apoſtolos dicitur, pro ſpurio S. Auguſtini partu habetur. *Alii* conſenſum in ea re Scriptorum venerantes, qui S. Leonem ſecuti ſunt, ulterius *reſpondent;* ab altera die ſeptimanæ paſchalis non incluſive, ut ajunt, ſed excluſive numerandos eſſe dies quinquaginta ad Pentecoſten.

Sic enim lex habet Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ab altero die Sabbati* (id eſt, Paſchatis, ut teſtatur intelligi debere Joſephus L. III. Antiq. c. 8.) *in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas &c.* Hæc ſententia concedit, die Sabbati debuiſſe

mani-

Digitized by Google

manipulum primitiarum in agro meti; quoties dies ſecunda paſchatis incidebat in Sabbatum; uti factum fuerit anno mortis Chriſti; tumque id operis, ceu ad religionem pertinens, prohibitum in tali Sabbato non fuiſſet lege illa ſpeciali, derogante legi generali.

Alii cum Baronio ad an. Chriſti 34. volunt, ſi ſecunda azymorum dies incideret in Sabbatum, quinquaginta dies numerari debuiſſe ab altera die Sabbati, id eſt, a die Dominica; eo quod etiam manipulus primitiarum primum die Dominica meteretur ad parcendum ſanctitati Sabbati. *At enim* etiam hæc mera conjectura eſt.

Interim quidquid horum verum ſit (& vero ex omnibus huc usque dictis aliquod denique verum eſſe debet) non officit veritati theſis noſtræ, quæ tenet, Chriſtum Dominum pridie, quam pateretur, celebraſſe ex legis præſcripto Paſcha legale. Soliditatem doctrinæ ubique amantis eſt, nihil ultra meritum documentorum in factis humanis aſſerere; ac proinde ſi rationes documentis certis innixæ probabilitatis modum nulla ex parte excedunt, judicium abſolutum ſuſpendere.

***** Supereſt ſingularis *Aloyſii Legionenſis* Hiſpani ex Ord. Auguſtin. ſententia, in opuſc. de utriusque agni immolat. docentis, Judæos ſemper ſolitos eſſe agnum paſchalem immolare & comedere in primis veſperis lunæ decimæ quartæ, eumque morem etiam Chriſtum fuiſſe ſecutum die Jovis ſub veſperam, & in ipſa die decima quarta crucifixum fuiſſe; quæ proinde feſtiva non erat.

Pro-

Probabat opinionem iſtam: quia, ſi Judæi in ſecunda veſpera lunæ diei decimæ quartæ agnum immolaſſent prima vice in egreſſu ex Ægypto, non potuiſſent eadem nocte mox conſequente egredi: nam *primo* Exod. XII. 22. prohibiti ſunt egredi illa nocte, qua venturus erat angelus exterminator, *egredi oſtium domus ſuæ usque mane*: *deinde* primogenita Ægyptiorum interfecta ſunt verſus mediam illam noctem; intercesſit mora aliqua, dum clades Pharaoni innoteſceret; isque vocato Moſe juberet egredi omnes Hebræos ex finibus Ægypti ſine mora: *tertio* opus erat tempore, ut hoc imperium omnibus Judæis ſignificaretur; dum mutuarent vaſa aurea & argentea ab Ægyptiis; dum omnes ex diverſis locis congregarentur in Rameſſe, ut ſimul exirent: *denique* nocte primum ſequente profectos fuiſſe Iſraëlitas patere videtur ex cap. XXXIII. Numer. v. 3.; ubi dicitur: *profecti de Rameſſe in menſe primo, decima quinta die menſis primi, altera die Phaſe* (LXX. habent τῇ ἐπαύριον τᾶ πάσχα *poſtridie ipſius paſchæ*), *filii Iſraël in manu excelſa, videntibus cunctis Ægyptiis, & ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus*: initium vero noctis tunc fuiſſe, patere videtur ex XVI. Deut. v. 6.: *immolabis phaſe veſpere ad ſolis occaſum; quando egreſſus es de Ægypto.*

Verum his facile *reſpondetur*: duplicem debere diſtingui exitum ex Ægypto, unum quaſi confuſum & præcipitem; qui fieri cœpit nocte jam ad finem vergente (usque mane): cum urgerent eum Ægyptii, clamantes; *omnes moriemur*: alterum ordinatum & per mo-

modum exercitus, qui factus eſt jam plena die: & ſic omnia cohærent. Illud *quando egreſſus es &c.* Deut. XVI. latitudinem ſuam habet, & totam noctem illam deſignat. Ceterum Ægyptiis ipſis ex ſummo terrore urgentibus, Hebræi jam de omnibus præmoniti, & bene præparati, facile intelligitur ea omnia conſequi intra ſpatium crepuſculi & meridiei potuiſſe, omnibus primo turmatim & ſine ordine venientibus in Rameſſe; & inde primum a meridie ex ordine egredientibus de finibus Ægypti.

Ex adverſo *contra hanc opinionem pugnat* 1°.) *quia* ſecundum Exod. XII. eodem die Lunæ XIV. ad veſperam ſolennitas azymorum incipiebat, & agnus comedebatur; qui prius immolari debebat verſus occaſum ſolis ejusdem veſperæ: atqui ſolennitas azymorum non incipiebat in prima veſpera Lunæ XIV., ſed in ſecunda: fermentato enim licebat uti uſque ad meriridiem iſtius.

Pariter agnus paſchalis debebat immolari ad veſperam eandem, in qua comedebatur; porro Scriptura ſeptem tantum numerat dies azymorum; cum ſecundum opinionem iſtam orirentur octo: 2°.) *quia* ſecundum LXX. in Numer. XXXIII. 3. hebræi *poſtridie ipſius paſcha*, id eſt, altero mox die ab eſu agni egreſſi dicuntur ex Ægypto: 3°.) *quia* ſecus etiam illud de prima veſpera diei vigeſimæ primæ intelligi deberet, quod Exod. XII. dicitur: *comedetis azyma usque ad diem vigeſimum primum ejusdem menſis usque ad veſperam;* quo caſu ſecundum opinionem iſtam dies ſeptem azymorum reducerentur ad ſex. Denique repugnat

pugnat huic ſententiæ vetus conſuetudo omnium Judæorum hodiedum perdurans.

503.

Chriſtus Dominus inſtituens SS. Euchariſtiam uſus eſt pane triticeo & vino de vite; ac proinde non niſi panis triticeus & vinum de vite materia idonea ſunt ad conficiendam exinde SS. Euchariſtiam. Patet 1'.) EX EVANGELISTIS SS. Matthæo, Marco, & Luca §. 491. n. 2. ſeqq. & S. Paulo I. Cor. XI. ibid. cit.; ubi de calice, quem in menſa poſitum Chriſtus accepit, & benedixit, apud S. Matthæum v. 29. dicit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

2'.) EX TRADITIONE conſtanti ac perpetua Eccleſiæ, quæ nihil aliud unquam pro materia SS. Euchariſtiæ admiſit, vel agnovit. Sic *Aquarios*, qui ex metu, ne in perſecutione ex odore vini deprehenderentur, aquam pro vino in ſacrificio offerebant, damnavit *S. Cyprianus* Epiſt. 63. ad Cæcilium. *Carthaginenſe III.* an. 397. cap. 24. & *Canon tertius ex Apoſtolicis* a Trullano a. 692. approbatus, prohibent aliud in hoc Sacramento *offerri, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panem & vinum aqua mixtum.* Idem ſtatuit *Aurelianenſe IV.* a. 541. can. 4.: & Braccarenſe IV. a. 675. cap. 2.; quod *uvas integras* ſpeciatim vetat conſecrari. Similem abuſum in quibusdam Daniæ Sacerdotibus damnavit Alexander III. Papa in Ep. ad Archiep. Upſal. *Eugenius IV.* in Decret. ad Armen. ait: *Sacramentum Euchariſtiæ, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite; cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Jam in *Concilio Chalcedonenſi* Act. III. Iſchirion diaconus in Libello

Digitized by Google

Libello contra Dioſcorum Alexandrinum conqueritur, *ejus avaritia factum* eſſe tempore raritatis, *ut defectu tritici, quod maximo pretio ab illo divendebatur, in Lybia Sacrificium Miſſæ non offerretur*: & Presbyteri Edeſſeni Act. X. contra Ibam querebantur, quod ad Sacrificium Altaris *non daret vinum niſi admodum exiguum, vitioſum, ac lutoſum, & quaſi eo tempore vindemiatum.*

* Ex his judicare prudentis eſt de valore cujusque materiæ; an videlicet ſpeciem vini & panis uſualis ex tritico ſervet. Servat citra dubium ſiligineus panis; cum ſiligo in deteriore fundo ex tritico creſcat, & panem ſat bonum præbeat. Non ſervat ſpeciem vini uſualis ſuccus ex uvis immaturis expreſſus, aut vinum jam in acetum verſum; ſervat autem eandem muſtum; etſi eo nondum defœcato uti extra neceſſitatem non oporteat. Congelatione vini ſpecies non mutatur.

** *Forma* ſeu *figura panis Euchariſtici* primis ſeculis communi pani ſimilis erat; uti colligere eſt ex *Concilio Toletano* XVI. cap. 6. & Ordine Romano. *S. Gregorius* M. in Dial. L. IV. oblata vocat *coronas. Seculo undecimo* creditur illa conſuetudo mutata, ut, cum prius integer & ſolidus panis offerretur, is redigeretur ad tenuem illam formam nummorum; uti conqueritur vetus interpres Ordinis Romani apud Caſſandrum in Liturgicis pag. 61. Interim tamen *Toletanum Concilium VI.* jam a. 693. jubet: *ne grande aliquid, ſed modica tantum oblata* conſecrentur.

Digitized by Google

504.

Ad ſubſtantiam Sacramenti perinde eſt, panis azymus ſit, an fermentatus. Ita definiit *Concilium Florentinum œcumenicum* conſentientibus græcis & latinis in Decreto Unionis: *definimus; in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipſum conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, occidentalis, ſive orientalis, conſuetudinem.*

Et vero nullus latinorum ſacrificia græcorum in fermentato celebrata unquam ut invalida rejecit: & viciſſim ante ſeculum undecimum nullus græcorum, ſed tum primum Michaël Cærularius latinis primus de azymis in Sacrificio adhibitis litem movit. Licet vero Chriſtus ſecundum certam ſententiam §. 502. propoſitam inſtituens SS. Euchariſtiam uſus ipſe ſit azymo pane; cum eo tempore jam non eſſet fermentatus in domibus Judæorum; exemplo tamen illo ſuo, quo mere uſum temporis ſecutus eſt, neceſſitatis legem aliam non præſcripſit nobis; niſi ut pane uſuali triticeo uteremur; qualis etiam azymus eſt, & reipſa certis temporibus ſolus erat apud Judæos.

* Non niſi ex conjecturis quibusdam utcunque probabilibus colligi poteſt, *Græcos* etiam *primis* inde a *ſeculis* Eccleſiæ azymo pane interdum uſos fuiſſe; & viciſſim quoque non niſi *ſeculo ſexto* finiente teſtimonium poſitivum certum & manifeſtum habemus de eo, quod antiquior hoc ſeculo fuerit mos græcorum communiter utendi fermentato; videlicet apud *Joannem Philo-*

Philoponum, in diſputatione de Paſchate exinde probante, Chriſtum ultimam cœnam ante dies azymorum peregiſſe; quia, ſi in azymis inſtituiſſet, *hoc etiam nunc fieret.*

De ſolis *Armenis* ex Demetrio Ciziceno in Tract. de Jacobitarum hæreſi, & Nicephoro L. VIII. hiſt. c. 53., & de *Maronitis*, Joannes Morinus probat, eos multo *ante ſeculum ſeptimum* tempore azyma ad ſacrificium adhibuiſſe; *Armenos* quidem eo errore ductos; quod corpus Chriſti jam ante reſurrectionem incorruptum crederent; *Maronitas* vero, quod cum Eutychete non niſi unam in Chriſto naturam agnoſcerent, ambo autem errorem ſuum etiam in Sacris myſteriis uſu azymi exprimere vellent.

Unde ab his erroribus converſi, cum ſeculo ſeptimo orthodoxæ græcæ Eccleſiæ adjungi vellent, coacti ſunt anathema iis dicere, qui in panem oblationis fermentum non immittunt. Interim eo ipſo, quod mutationis apud Græcos factæ documenta poſitiva primis quinque ſeculis omnino deſint; præſumtio eſt non male fundata; inde a primis ſeculis communem apud eos fuiſſe fermenti uſum in ſacrificio.

De *latina Eccleſia*, communiter & univerſe azymo utente in ſacrificiis, certa *ſeculo nono* jam documenta extant apud *Alcuinum*, Epiſt. 69. ad Lugdun.; qui initio illius ſeculi obiit; apud *Rabanum Maurum* L. de Inſtit. cleric. c. 31.; qui cap. 33. ſcribit, *iſtum ordinem ab Apoſtolis & apoſtolicis viris traditum Romanam Eccleſiam tenere, & per totum pœne occidentem omnes Ec-*

cleſias eandem traditionem ſervare; item ex *Amalario* L. III. de Ecclef. offic. c. 24., *Paſchaſio Radberto* L. de Corp. & Sang. Chriſti &c. &c.

Ante ſeculum nonum vero rurſum documentis expreſſis deſtituimur, azymo, an fermentato, communiter ac univerſe uſa ſit latina Eccleſia: ex adverſo ſuppetunt graves conjecturæ (conjecturæ, inquam, non certa documenta), fermentato, ſi non univerſe, certe valde communiter, uſam fuiſſe; nec niſi aliæ conjecturæ ſatis incertæ innuunt uſum ſaltem ſubinde azymi alicujus viguiſſe *ante ſeculum octavum.*

Tot inter conjecturas veriſimillima illa eſt *Cardinalis de Bona* Rerum Liturg. L. I. in Epiſt. ad Mabill.; putantis, Apoſtolos mox inde ab initio induxiſſe indifferentem *ſive* fermentati panis uſum, qui communior fuerit, & ubique obvius; *ſive* azymi, qui parari data opportunitate facile poterat. Inter perſecutiones enim eo pane oportebat uti, qui occurrebat, hæcque fors origo fuit rituum diſſimilium orientis & occidentis.

Confirmatur id ex communi id ætatis uſu SS. Euchariſtiam conſecrandi ex oblationibus fidelium. Unde S. *Cyprianus* L. de opere & Eleem. divitis cujusdam matronæ avaritiam ſic redarguit: *locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis; quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* Atqui panes a fidelibus oblati erant fermentati; eorumque pars una in uſu ſacrificii, alte-

altera in pauperum, tertia in miniſtrorum altaris alimoniam adhibebatur.

Adde fermentum, quod die Dominica ad Eccleſias ceteras in eadem civitate conſtitutas ab Epiſcopo mittebatur; quod *Innocentius I.* Papa in Epiſt. ad Decent. vocat *Sacramentum*, quod *conficiendi jus bresbyteri* in *parochiis longe* remotis ipſimet *habeant*: per quod valde ſaltem probabiliter SS. Euchariſtia denotatur.*

505.

Aqua calici Euchariſtico modica portione infunditur ex antiquiſſima praxi Eccleſiæ; non autem ex neceſſitate ad ſubſtantiam Sacramenti. Pars prima probatur 1°.) EX SS. PATRIBUS; ex quibus *S. Juſtinus Martyr* Apol. 2. calicem illum *poculum aquæ & vini*, *S. Irenæus* IV. 33. *temperamentum calicis*, & L. V. c. 2. *calicem mixtum* appellant. *S. Cyprianus* Epiſt. 63. ad Cæcilianum ait, *calicem mixtum vino & aqua offerri* debere; item *aqua* populum, *vino* Chriſti ſanguinem, *mixtione* utriusque conjunctionem populi cum Chriſto, denotari.

2°.) CONCILIA eam mixtionem præſcribunt, ceu *quam ipſe Dominus tradidit*; ut loquitur *Carthaginenſe III.* a. 379. cap. 24. & *Braccarenſe IV.* a. 675. cap. 2. Sed nempe loquuntur de traditione mera exempli, non de abſoluta inſtitutione, vel præcepto. *Trullanum* a. 692. can. 32. *ex ordine ab Apoſtolis tradito* id fieri præcipit. Eandem præſcribunt *Arauſicanum IV.* a. 541. can. 4., *Triburienſe* a. 895. can. 19. *Florentinum* in Decreto ad Armen. eam præcipit,

Digitized by Google

quia juxta SS. Patrum teſtimonia creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum inſtituiſſe.

Pars altera ex his ipſis dictis Patrum & Conciliorum infertur; tum vero ex eo, quod neceſſitas aquæ abſoluta ad valorem Sacramenti probari non poſſit: neque enim omnes circumſtantiæ actionis Chriſti inſtituentis SS. Euchariſtiam ad modum inſtitutionis eſſentiamve ſpectant; ſecus etiam tempus veſpertinum præviam cœnam naturalem &c. obſervandi neceſſitas ſequeretur. Unde *Tridentinum* Seſſ. XXII. cap. 7. ſic habet: *Monet S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur; tum quia a latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur; ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.* Can. 9. vero: *ſiquis dixerit, - - - aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo; eo quod ſit contra inſtitutionem: anathema ſit.*

* Videlicet contra *Lutheranos* & *Calviniſtas* ſui temporis, talia temere non minus, quam inerudite ea ætate obloquentes huic traditioni Apoſtolicæ, iſta definiit Tridentinum; non quod poſitive revelatum ſit, *non eſſe contra inſtitutionem divinam aquam vino in ſacrificio miſcere;* ſed quia contrarius error ſanctitatem & indefectibilem fidelitatem Eccleſiæ in ſervandis Chriſti univerſis inſtitutis, & præceptis non niſi honeſtiſſimis ferendis, a latere aggreditur. Hodie mitiores Lutherani pro re indifferente habent.

In-

Digitized by Google

Interim jam olim *Trullanum* a. 692. Armenos correxit, qui Eutychiano errore ſimul cum Maronitis infecti (§. præc. not.) ad ſignificandam unam naturam in Chriſto vinum ſine omni aqua conſecrabant. Ita teſtatur *Nicephorus* XVIII. hiſt. c. 53. Videntur autem illi ea correctione emendati tunc quoad iſtam partem non fuiſſe: quia *Eugenius IV.* in Decreto adhuc anno 1439. eosdem admonet: *ut Armeni ſe cum univerſo orbe chriſtiano conforment, eorumque Sacerdotis in oblatione calicis paullulum aquæ admiſceant vino.*

Ex Caſſandro tamen in Lyturg. c. 12, colligere eſt, illos adhucdum abuſui ſuo inhærere. Ex Scholaſticis Doctoribus Sec. XI. fuere, qui ad divinam Sacramenti inſtitutionem, alii, qui ad præceptum ſaltem divinum aquæ mixtionem referrent; ſed hodie deſerta pæne ab omnibus hæc opinio eſt.

** Ceterum parce debere admiſceri aquam, vel exinde clarum eſt; quia vinum ſolum materia neceſſaria eſt; & aqua potiſſimum idcirco ex traditione Apoſtolica miſcetur; quia moris erat apud Judæos pauxillum aquæ vino in menſis admiſcere; quem morem etiam Chriſtus in cœna ultima obſervarit. *Concilium Triburienſe* a. 895. can. 19. ait: *duæ ſint* (*ſaltem* ſubintellige) *partes vini*; - - *tertia aquæ.* Et Sec. XII. *Honorius III.* Papa cap. *Pernitioſus. De celebrat. Miſs.* pernitioſum *abuſum generalis Eccleſiæ rationali conſuetudini* contrarium vocat, *quod in majore quantitate de aqua ponatur in ſacrificio, quam de vino.* *Eugenius IV.* cit. loc. *modiciſſimam aquam miſceri ſolere* dicit.

*** *Quærunt*: quomodo aqua vino admixta convertatur in Sanguinem Chriſti; an immediate; an mediate? ſic, ut prius in vinum convertatur? Imo negarunt aliqui, aquam omnino converti in ſanguinem Chriſti. Creditur ex hac diſputatione olim ampliſſima emerſiſſe ritus non nullorum, mox ab initio Miſſæ infundendi vinum & aquam in calicem; ut ſcilicet tempus ſuppeteret, quo aqua prius verti in vinum poſſet. Verum comperta hodie apud Phyſicos res eſt, omne vinum etiam maxime generoſum ſex ſaltem ſeptimis partibus aqua alioquin conſtare; ac proin quæſtionem illam, ex Phyſicæ veteris obſcuritate ortam, hodie mentionem non mereri.

506.

Chriſtus Dominus panem & vinum in Corpus & Sanguinem ſuum actione prævia ſuæ Omnipotentiæ jam convertit, & ſolum ut jam præſentia Apoſtolis ſuis exhibuit his verbis: hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei.

Probatur ex his ipſis CHRISTI VERBIS. Hæc enim virtute ſenſus ſui literalis exhibebant ea jam præſentia eo temporis momento; cum Chriſtus Dominus, rem actu præſentem demonſtrans, diceret *hoc*, & *hic calix* (497. not. 2.).

Probatur 2°.) RATIONE. *Verba* univerſe, ut ſunt locutiones articulatæ, vim aliam immediate *per ſe* habere non poſſunt; niſi ut ſignificent conceptus & propoſitum, ſeu intentionem, loquentis. Idque citra dubium (ſi modo rite percipias, quæ dico) verum etiam eſt de verbis ipſius Chriſti *ſecundum ſe ſola* ſpectatis. *Chri-*

ſtus

ſtus porro *ipſe ſecundum SS. Humanitatem ſuam*, ſeorſim a divinitate conſideratam, in converſione illa mirabili Euchariſtica, haud alias actiones operatione immediata humanitatis ipſius ponere potuit; niſi ut quidem *ſciens* beneplacitum divinitatis ſuæ de inſtitutione hujus Sacramenti, ac *certus* de ſecutura ad votum Humanitatis ſuæ Omnipotentiæ actione; qua eo, quo vellet, momento panis in Corpus, & vinum in Sanguinem ſuum, converteretur; *vellet*, ſeu ſecure quaſi peteret, actione Omnipotentiæ effectrice converſionem *fieri*, & mox rem ita factam *verbis ſignificaret*.

Quibus univerſis in actionibus non niſi ſequentium *cauſſarum* rationes, ſeu *ſpecies* interveniunt: nimirum 1'.) quod Verbum Humanitati conſilium & beneplacitum divinitatis de hoc Sacramento inſtituendo & exequendo, ceu cauſſa efficiens iſtam notitiam in Humanitate, ſignificarit: 2'.) quod Humanitas certa de hoc, merita ſua & votum executionis iſtius conſilii ſapientiæ & benevolentiæ divinæ cum ſimili erga homines benevolentia actu DEO Patri obtulerit, & una cum Verbo *cauſſa moralis* exinde fuerit, ut 3'.) Omnipotentia DEI ad votum illius illud conſilium, ceu *cauſſa efficiens* mutando panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti, eo ipſo momento exequeretur, quo Humanitas ex divinitatis conſilio optabat. 4'.) *Verba* porro, quibus effectus iſte actualis ſignificaretur, nec divinitas, nec Humanitas Chriſti ad id ordinare potuit, ut per ea, ceu immediatam vim effectricem habentia, mutatio fieret; ſed ſolum ad hoc, ut mutatio, Omnipotentiæ virtute facta, Apoſtolis ab ipſo Chriſto ex divino conſilio ſignificaretur. Atque hoc profecto modo *utebatur* &

divinitas humanitate, & humanitas viciſſim divinitate, in omnibus actionibus veri miraculi rationem complectentibus.

Virtus enim effectrix miraculorum ſoli Deo eſt propria (Tract. I. 57. 58. 59.). *His prænotatis*. lis alia eſſe non poteſt, niſi de eo: utrum, antequam Chriſtus virtute Omnipotentiæ ſuæ efficeret converſionem panis & realem præſentiam ſuam, jam verbis inceperit Corpus ſuum ceu præſens ſignificare, dicendo: *hoc eſt &c.*: an primum verbis ſignificare cœperit, poſtquam jam virtute Omnipotentiæ effecta erat? Ad aliud enim *verba* ſecundum ſe immediate non ſervire valebant; niſi ad eam ſignificandam; ut jam præmonui. Jam vero quonam ex fundamento credamus, prius per pronomen *hoc* (utut confuſe ſolummodo) demonſtrare præſens, quam Omnipotentiæ ſuæ virtute efficere præſens, voluiſſe Corpus ſuum? Non Scriptura ſacra, non SS. Patrum, aut Eccleſiæ traditio, non ratio aliqua id ſuadeat; imo literalis verborum ſignificatio obſtat aperte. Sola utcunque communis ſcholæ ſententia, hiſce omnibus argumentis deſtituta, vim inferre rationi non poteſt; præſertim cum illi præjudicio pæne unice, aut certe potiſſimum innitatur; Chriſtum æque, ac Sacerdotes ejus miniſtros, in confectione Sacramenti iſtius verbis ipſis ut conditione, vel cauſſa qualicunque a priori ſe tenente, uti voluiſſe. Atqui ex dicendis paullo poſt patebit, longe aliter (& prorſus a priori inſtar conditionis) ſe habere verba miniſtrorum Chriſti vi ipſius inſtitutionis divinæ, quam verba Chriſti.

Adde:

Digitized by Google

Adde: nulla Chriſti verba oſtendi poſſe; quæ qua talia præciſe aliam immediate per ſe vim exeruerint ullo in Chriſti facto, quam ſignificatricem mentis & voluntatis Chriſti. Sic cum diceret Joan. IV. 50. regulo: *vade! filius tuus vivit;* & Luc. XIII. 12. *mulier! dimiſſa es ab infirmitate;* & Matth. IX. 3. paralitico: *remittuntur tibi peccata*; ac denique Joan. XI. 41. Lazarum reſuſcitans: *Lazare! veni foras: & ſtatim prodiit mortuus:* in omnibus his exemplis næ parum philoſophice, id eſt, ex certa ratione a rerum & effectuum per certas cauſſas poſſibilitate deſumta, quis cogitet; ſi verbis Chriſti ſecundum ſe ſpectatis aliam immediate vim tribuat, quam ſignificandi ſenſa & voluntatem Chriſti. Neque enim vis reſuſcitans, poteſtas peccata dimittens, & ſanandi facultas, in verbis qua talibus erat; ſed actione omnipotentiæ omnium rerum dominæ exſerebatur; verbis ſolum declarabatur effectus actu ſecutus; non autem ab his, ceu cauſſis a priori, dependebat unquam. Aliter eſt de verbis hominum & miniſtrorum Chriſti, ex. gr. miracula verbis patrantiam, aut certe ſupernaturales effectus. Hi enim non virtute phyſica effectrice propria illa efficiunt, ſed verba illorum ſunt conditio a priori, ut Deus ob verba talia ab eis prolata effectus illos Omnipotentiæ virtute efficiat.

* Conſtat, nihil in iſta quæſtione pertinere ad fidem, & inprimis ipſum *Innocentium III* Papam L. IV. Myſt. Miſſæ c. 6. ceu Doctorem privatum, tum vero alios plures magni nominis Theologos ante & poſt Concilium Tridentinum cum *Catharino Archiepiſcopo Campſenſi* hanc ſententiam defendiſſe; qui & lucubrationem ſuam de eadem ad ipſos Patres Tridentinos

 ſub-

ſubmittens, multos in duobus de ea re ſcriptis opuſculis citat ejus patronos; ſicut & *Salmeron* ſuſpendens ſuum ſuperea judicium Tom. 9. Tract. 13.; nempe *Franciſcum Mayronis*, *Gabrielem Biel*, *Godefridum* Pictavienſem, *Titelmannum*, & ante iſtos *Anſelmum*, *Rupertum*, *Odonem Cameracenſem*; quibus poſt Tridentinum ſubſcripſere *Chriſtophorus a Capite Fontium* Ord. Min. Generalis Miniſter primo, deinde Archiepiſcopus Cæſarienſis in Tract. De necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ, quem dedicavit ipſi Sixto V. Pontifici Maximo; & hoc primum ſeculo labente *P. Le Brun* Oratorianus in opere gallico; cui titulus: *Explication litterale, hiſtorique, & dogmatique des prieres & ceremonies de la Meſſe.* Tom. III. pag. 212. ſeq.

Tournelius, licet aliter ſentiens, hic affert graviſſimi, ut ait, Theologi Melchioris Cani monitum ex L. VIII. de Locis. Theol. cap. 5. *Theologos omnes*, ait iſte, *admonitos velim, ut ſepoſitis non affectibus modo, ſed opinionum etiam præjudiciis, de cauſſis fidei prudenter graviterque decernant. Non enim ſi quidquam in ſchola bonis etiam temporibus inveteravit, mox fidei dogma exiſtimandum eſt. Sunt autem non nulli, qui per eas perſuaſiones, quibus a principio ſunt imbuti, de rebus graviſſimis ſententiam ferunt temeritate quadam; - - - - quod Scholæ opiniones a certis conſtantibusque decretis non ſeparant; quod duo rerum genera confundunt; unum earum, quæ ad religionem pertinent; earum alterum, quæ ne attingunt quidem.*

* * Sed

** Sed & veritas allatæ ſententiæ ex facili & clara ſolutione argumentorum ſententiæ adverſæ luculenter patebit; cujus tamen amplius illuſtrandæ cauſſa juvat præmittere ſequentes quinque propoſitiones. Ceterum tamen cum *Innocentio III.* Pontifice (497. not. 2.) potius dicendum exiſtimo, Chriſtum occulta & interna benedictione ſine ullis verbis conſecraſſe; & nihilominus formam certam verborum miniſtris ſuis Sacerdotibus præſcripſiſſe; non, quod alii volebant, benedictione aliqua verbis expreſſa: quia, etſi *Matthæus* & *Marcus* de *benedictione* a Chriſto præmiſſa memorent; tamen ea differre haud videtur *a gratiarum actione,* quam Lucas & Paulus ejus loco appellant. Verbum enim ἐυλογήσας, quod in græco textu Marci verbo *benedixit reſpondet*, quo utitur vulgata, ſignificatu ſuo in Scripturis etiam novi teſtamenti paſſim talem benedictionem exprimit, quæ DEI laude & gratiarum actione tota abſolvitur; ac proinde a verbo ἐυχαριστήσας, quo Lucas & Paulus utuntur, in ſubſtantia ſenſus haud differe videtur. Sic ad Eph. I. 1. dicitur a Paulo *Deus Pater benedictus* ἐυλογιτος.

507.

Etſi Chriſtus Dominus converſionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem ſuum fecerit, antequam pronuntiaret verba, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus; *hæc tamen verba Chriſti ad ſubſtantiam Sacramenti iſtius a Chriſto celebrati pertinebant.* Ratio evidens eſt: quia ſine verbis iſtis ſolæ ſpecies panis & vini Apoſtolis non

Digitized by Google

non ſignificaſſent modo intelligibili præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ; nec, quid inſtituiſſet dicendo, *hoc facite in meam commemorationem*, intelligi ab eis potuiſſet.

508.

Chriſtus inſtituendo perpetuam Sacramenti Euchariſtiæ, ſemel a ſe in cœna ultima celebrati, in Eccleſia ſua celebrationem per illa verba, hoc facite &c. (492.), *hoc ipſo præcepit illud celebrari ſub illis ipſis verbis*, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus; *quibus ipſe illud celebraverat; ita, ut iſtis verbis reſponderet eadem veritas Sacramenti, ac proinde vera converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti.*

Ratio rurſus manifeſta hæc eſt: quia, ut celebretur idem Sacramentum, quod Chriſtus celebravit primo in cœna ultima; opus eſt, ut etiam nunc eo modo, quo in illa cœna, ſpecies panis ac vini fiant ſignum ſacrum efficax, ſeu actu ſignificans, præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti: atqui tale ſignum ne in ipſis quidem Chriſti manibus fiebant niſi per verba illa ab ipſo Domino JESU Chriſto pronuntiata, *hoc eſt corpus meum* (præc.) &c.: ergo, ſi Chriſtus inſtituendo SS. Euchariſtiam juſſit idem etiam nunc celebrari Sacramentum; quod ipſe celebravit cum Apoſtolis in cœna ultima, etiam nunc ſpecies panis ac vini ſignum efficax præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti fieri nequeunt, niſi per eadem Chriſti verba. Porro autem Chriſtus Dominus pronuntiando de ſpeciebus panis ac vini verba illa, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, non ſolum *efficax*, ſed & *verum ſignum* ſacrum, ſeu *Sacramentum*, rea-

realis præſentiæ ſuæ celebravit ; ſimulque per verba, *hoc facite &c.*, juſſit idem, quod ipſe celebravit, in perpetuum celebrari (492.): ergo etiam nunc illis verbis Chriſti per eos, quibus ille præcepit, ſuper pane & vino rite pronuntiatis reſpondet eadem veritas Sacramenti, ita, ut junctis illis verbis cum determinatis quibuscunque panis ſpeciebus, hæ jam non ſignificent porro præſentem panem ac vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti.

* Miraberis forſan, nunc miniſtrum SS. Euchariſtiæ non potius ſuo nomine pronuntiare ſuper pane, *hoc eſt corpus Chriſti*, quam loquentem Chriſtum inducendo dicere, *hoc eſt corpus meum.* Sed deſines mirari; ſi advertas, ſolum teſtimonium Chriſti perſuaſivam id eſt, *efficacem ſignificaudi vim* habere poſſe de re tanta, de qua hic agitur, non item hominis cujuscunque, ſuo nomine id affirmantis. Quid quod omnia alia verba careant inſtitutione divina, prorſus neceſſaria.

509.

Verba Chriſti, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, *citra omne dubium etiam nunc in celebratione conſecrationis Sacramenti pertinent ad ſubſtantiam.* Per hæc ſola enim, & ſine his nullo pacto, ſpecies panis & vini Sacramentum (id eſt, ſignum vere & actu ſignificans) Corporis & Sanguinis Chriſti fieri, & idem celebrari Sacramentum poteſt, quod Chriſtus id primo inſtituendo celebravit (præc.). *Unde*, cum verba ad ſubſtantiam celebrationis SS. Euchariſtiæ ſpectantia Theologi communiter *formam* hujus Sacramenti appellent; *patet, verba prædicta*

Digitized by Google

dicta Chriſti formam SS. Euchariſtiæ celebrandæ conficere.

510.

Eadem Chriſti verba, ex Chriſti præcepto ſuper pane & vino rite a miniſtris hujus Sacramenti prolata, etiam nunc ſpeciebus panis & vini veram rationem Sacramenti, ſeu ſigni, realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti inſtitutionis ejusdem virtute præbent; ac proinde quoties ea rite a miniſtris hujus Sacramenti pronuntiantur ſuper pane & vino, panis & vinum in SS. Corpus & Sanguinem vere convertuntur. Ex una enim parte Joan. VI. 52. promiſit Chriſtus carnem ſuam pro vita totius mundi in perpetuum ceu panem daturum, *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*; ſimulque in cœna ultima actu hoc Sacramentum perpetuo celebrandum inſtituit (492.); ex altera vero parte aliud non præcepit pro ejus celebratione, niſi ut commemoratione ipſius, id eſt, primæ celebrationis ab ipſo factæ, id Sacramentum celebrarent, *hoc facite in meam commemorationem.* Luc. XXII. & I. Cor. XI. Ergo commemoratione illa a miniſtris ſuper oblato pane & vino facta a miniſtris, hæc actu fiunt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti.

511.

Unde verba Chriſti, hoc eſt Corpus meum &c., *proferuntur quidem ex præſcripto ipſius nunc a Miniſtris hiſtorice, commemorando videlicet celebrationem primam SS. Euchariſtiæ a Chriſto factam; ſed ſimul indirecte ſignificant, etiam nunc ſub ſpeciebus panis & vini præſentibus, ſuper quibus*

bus pronuntiantur, jam non panem & vinum, ſed itidem Corpus & Sanguinem Chriſti vere ac realiter præſentia eſſe; virtute nimirum inſtitutionis Chriſti; qui ex fine commemorationem illorum hiſtoricam inſtituit (præc.).

* *Quæres* 1°.) quando, & quorum verborum virtute nunc fiat converſio Euchariſtica panis & vini. *Reſp.* Non niſi prolatis integre verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, fit converſio panis in Corpus: & non niſi prolatis integre verbis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, fit converſio vini in Sanguinem illius.

Ratio eſt, quia Chriſtus juſſit *fieri*, id eſt, celebrari, hoc Sacramentum ſuum commemoratione primæ celebrationis a ſe in ultima cœna factæ (510. 511.): ergo non niſi facta hac commemoratione ac prolatis plene verbis illis Chriſti Domini nunc celebratur, & conficitur converſione panis & vini hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis illius; quippe per quæ primum ſpecies panis & vini vim ſignificativam præſentiæ iſtorum realis obtinent.

Quæres 2°.) cur, & quo pacto verba Chriſti hiſtorice commemorata *indirecte ſignificent* nunc præſentiam realem Chriſti Domini. *Reſp.* Non ſignificant eam *directe* & *immediate*; quia revera ſolum hiſtorice commemorantur a Chriſto pronuntiata fuiſſe in cœna ultima ſuper pane & vino, quæ ille manibus tenebat: ſignificant tamen *indirecte* idcirco; quod eorum commemorationi promiſſio & præceptum celebrationis ejusdem Sacramenti per illa verba a Chriſto annexa eſt, *hoc facite in meam commemorationem.*

Atque

Digitized by Google

Atque ex his jam nulla ſupereſt difficultas in explicando ſenſu illorum verborum Chriſti; non ut ab ipſo Chriſto prolata ſunt (per dicta §. 506.); nec ut nunc proferuntur ab ejus miniſtris: *tunc* enim pronomen *hoc* demonſtrabat Chriſtum, jam prævia converſione panis actu præſentem; *nunc;* quia ſolum hiſtorice commemorantur ut prolata a Chriſto, non niſi indirecte virtute inſtitutionis ac promiſſionis Chriſti per ea ſignificatur præſentia Chriſti ſub ſpeciebus panis ac vini, poſt illorum verborum pronuntiationem extitura.

Ceterum ex huc usque a me dictis facile advertes; me, licet circa conſecrationem ab ipſo Chriſto factam ſentiam cum Catharino (506. not.); tamen circa conſecrationem Sacerdotum Chriſti miniſterio fieri ſolitam ſaltem quoad id ab eo prorſus diſſentiam; quod *preces* prævias, quibus petitur converſio panis in Corpus, & vini in Sanguinem Chriſti Domini, ſive ante, quas Catharinus ſive poſt prolationem verborum Chriſti, *hoc eſt* &c., quas Græci eſſentiales ſimul una cum verbis Chriſti eſſe credebant, nequaquam ad ſubſtantiam ſeu formam conſecrationis hujus SS. Sacramenti pertinere exiſtimem.

** *Sacramentarii* verba illa Chriſti aut omnino rejiciunt cum *Bucero*, aut cum *Calvino* ad ſolam fidem excitandam referunt; alii circa ea incerti hærent. *Græci ſchiſmatici* cum *Marco Epheſino* (teſte Arcudio L. III, Concord. c. 26.) docent 1.) eadem numero verba Chriſti, *Hoc eſt* &c., ſemel ab ipſo prolata, virtute manere, ac vere operari: 2.) Sacerdotes conſecrantes ea verba recitare hiſtorice tantum, non ſignificative, ut loquuntur: 3.) verba denique ipſa Chriſti vim

ſuam

Digitized by Google

ſuam exercere, cum Sacerdos preces fundit, atque idcirco preces, quas vel latini præmittunt, vel græci ſubdunt verbis Chriſti præfatis, ad eſſentiam conſecrationis Sacramenti hujus formæ inſtar pertinere Ex his, quæ primo & ſecundo loco aſſerunt, vera ſunt, ſi ſenſu debito intelligantur, quo a nobis explicata jam ſunt: *tertium* omni ſolido fundamento caret. Nam

512.

Preces, quas vel Eccleſia latina præmittit, vel græca ſubjungit verbis Chriſti in conſecratione SS. Euchariſtiæ, quibusve precatur, ut Corpus & Sanguis D. N. J. Chriſti fiat, ad Sacramenti hujus eſſentiam vi inſtitutionis divinæ non pertinent.

Nam 1'.) EX VERBIS CHRISTI illarum inſtitutio divina non probatur: quia *benedictio* a Chriſto adhibita non precibus conſtabat, ſed gratiarum actione (506. not. 2.); & licet precatione per illam uſus eſſet Chriſtus; ſicut cum Lazarum reſuſcitaret; tamen non prece, ſed poteſtate propria ut perſona divina, quemadmodum alia miracula, ſic & converſionem Euchariſticam ipſe faciebat.

2'.) SS. PATRES, non prece, ſed verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum &c.*, NUNC ex inſtitutione Chriſti conſecrare SACERDOTES, communiter docent. *S. Juſtinus Martyr* quidem Apol. 2. ſcribit: *Euchariſtia per preces ab ipſo Verbo profectas conficitur*: ſed mox declarans, quales *preces* intelligat, ita pergit: *nam Apoſtoli in Evangeliis ita tradiderunt præcepiſſe Jeſum: eum enim accepto pane, cum gratias egiſſet, dixiſſe: hoc facite in meam commemorationem*, hoc eſt corpus meum: *& poculo ſimiliter accepto, & gra-*

tiis actis, dixiſſe: hic eſt ſanguis meus. *S. Irenæus* IV. 18. ait: *quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum DEI, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. S. Gregorius Nyſſen.* orat. catech. *Panis ſtatim per verbum in corpus mutatur, ut dictum eſt a Chriſto, hoc eſt corpus meum. S. Ambroſius* L. de init. c. 8. *ante benedictionem verborum cæleſtium, hoc eſt corpus meum, alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus ſignificatur.* Et in L. de Sacram. c. 14. (ſi eſt illius operis auctor) ſcribit: *Conſecratio quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini JESU. - - . Sermo Chriſti conficit hoc Sacramentum. S. Chryſoſtomus* in hom. de prodit. Judæ: *hoc verbo, hoc eſt corpus meum, dona propoſita conſecrantur: & ſicut illa vox, quæ dixit, creſcite, & multiplicamini, ſemel quidem edita eſt, ſed omni tempore ſentit effectum; ita & vox illa ſemel dicta eſt a Chriſto, ſed per omnes menſas Eccleſiæ usque ad hodiernum diem præſtat ſacrificio firmitatem.*

3'.) In Florentino Concilio Græci ipſimet Seſſ. XXV. Eugenio IV. Pontifici de hac re illos corripienti, quod non verbis Chriſti, ſed precibus ſubjunctis conſecrarent, ita ſatisfecere, ut palam profiterentur, per verba Chriſti converti panem ſacrum in corpus Chriſti, & poſt eam converſionem ſe orare, non ut panis primum ſecundum ſe fiat Chriſti corpus, ſed *ut nobis fiat* pretioſum corpus Chriſti & ſanguis *in ſalutem.* Idem patet ex Beſſarionis Cardinalis ſuper ea re expoſitione die 5. Julii a. 1438. publice data; quam refert Mabillonius Muſæi Ital. Tom. I. p. 243. Unde poſtea *Eugenius IV.* in Decreto ad Armen. abſolute ait: *Forma Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confi-*

cit

Digitized by Google

cit Sacramentum. - - Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur. Tridentinum, §. 500. III. a me citatum, docet Seſſ. XIII. c. 3. *vi verborum ſub ſpecie panis corpus, & ſanguinem ſub ſpecie vini eſſe*; nec alia quam Chriſti verba intelligit; quæ diverſa ſunt pro conſecratione panis & vini; cum preces eædem fundantur pro utraque.

* Contra huc usque dicta inde a §. 506. varia *objiciuntur.* Inprimis contra ſententiam *Innocentii III.* Papæ a me propoſitam §. 506. *Ajunt:* 1. *SS. Patres* docent, Chriſtum conſecraſſe verbis illis, *hoc eſt* &c.

Reſp. Falſum eſt, illos de Chriſto id dicere; ſed a *Sacerdotibus nunc* illis verbis conſecrari ſolummodo affirmant. Solus *Tertullianus* de Chriſto contra Marcion. L. IV. c. 40. ſcribit: *panem corpus ſuum fecit, dicendo, hoc eſt corpus meum.* Sed quis ex abrupto dicendi genere, Tertulliano familiari, probarit, verbum *dicendo* ſignificare ex illius mente, quod per verba illa Chriſtus panem fecerit corpus ſuum; & non potius hunc ſenſum facere: *panem corpus ſuum fecit, & dixit: hoc eſt* &c.? *Joannes Damaſcenus* L. IV. de fide c. 13. dicit: *dicendo, hoc eſt corpus meum, perfecit hoc Sacramentum;* & recte dicit; ſi intelligas ſecundum dicta §. 507.

2. *Ajunt*, Sacerdotes nunc ea ipſa ratione conſecrant, qua Chriſtus primum conſecravit: atqui Sacerdotes nunc conſecrant verbis Chriſti (511.): ergo & Chriſtus verbis illis conſecravit.

Reſp. diſt. maj. Sacerdotes nunc celebrant Sacramentum iisdem verbis cum Chriſto ſecundum dicta §. 507., *concedo*; converſionem panis eodem modo efficiunt, uti Chriſtus, *nego*: poſtremum hoc poſſibile non eſt: quia nec in Chriſto vis id efficiendi inerat in verbis, ſed in omnipotentia, qua ut DEUS utebatur (506. probat. 2.).

** *Græci ſchiſmatici* porro contra dicta hic §. 512. ita *argutabantur*. 1'.) In *Liturgiis* antiquiſſimis SS. *Baſilii* & *Chryſoſtomi* poſt verba Chriſti, *hoc eſt* &c. Sacerdos adhuc petit, ut panis & vinum fiant corpus & ſanguis Chriſti.

Reſp. Liturgiis antiquis varia additiones ſucceſſu temporum factæ ſunt; & preces in illis contentæ non petunt ſimpliciter, ut panis fiat corpus Chriſti phyſice, ſed ut nobis ſuſcipientibus fiat moraliter corpus Chriſti, nempe operando ſalutem animæ in nobis. Sic Græci ipſi reſponderunt in Concilio Florentino.

2'.) *S. Baſilius* L. de Spiritu Sancto ait c. 27. *quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit invocationis verba, cum conficitur panis Euchariſtiæ & poculum benedictionis.*

Reſp. S. Doctor de precibus loquitur, quæ ex traditione Apoſtolica, vel præcepto Eccleſiæ ante & poſt conſecrationem illius tempore addebantur; & quia breves erant, non ſcripto tradebantur. S. *Gregorius M.* enim in L. IX. Epiſt. 16. ſcribit: *Apoſtoli primis temporibus ſola oratione dominica præmiſſa Euchariſtiam conſecrarunt.*

*** Ce-

Digitized by Google

*** Ceterum ex communi Theologorum vis Sacramentalis immediata conſiſtit in ſolis verbis iſtis, *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei*; quia hæc ſola immediate indicant præſentiam realem Chriſti Domini, & ipſe his ſolis ad eam indicandam, ceu parte Sacramenti (507.), eſt uſus. Sed fatendum, quod res eſt, non inepte *Scotum* L. IV. diſt. 8. q. 2. animadvertiſſe, ſola verba, *hoc eſt corpus meum*, a Sacerdote ſine aliis omnibus prolata, non ſignificare, iſtum loqui hiſtorice, & verba Chriſti referre; ſed potius vocem *meum* ſic relatum iri ad corpus Sacerdotis. Cum ergo in Sacramento ſignum ſenſibile completum requiratur; non inepte dicas, verba præcedentia, incipiendo ab illis, *qui pridie quam pateretur*, non quidem omnia, ſed ea ſaltem, quæ ſubſtantiam narrationis hiſtoricæ de Euchariſtia primum a Chriſto celebrata conficiunt; etſi non conficiunt *formam* ipſam Sacramenti hujus; tamen ceu *requiſita neceſſaria* habenda eſſe, ut verba Chriſti ſignificationem ſacramentalem hiſtoricam directam, & indirectam Sacramento præſenti neceſſariam, ſortiantur.

513.

Sacramentum realis præſentiæ Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini permanens eſt, & mox exiſtit prolatis verbis Chriſti, hoc eſt &c., *etiam ante uſum & ſumtionem.*

Dogma catholicum *probatur* 1°.) EX VERBIS CHRISTI, dicentis, *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei*; quæ verba, ceu a Veritate ipſa prolata, vera utique erant, cum pro-

ferrentur. Jam vero citra dubium tempus notabile effluxit, dum diviſo inter ſe pane & calice a Chriſto conſecrato ſinguli de illo ederent, & de eodem calice biberent. Ergo ante actualem ſumtionem jam erat Sacramentum realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti, idemque manebat in ſumtione; quia Chriſtus dixit, *accipite, & manducate, bibite ex eo omnes; hic eſt* ENIM &c. (Matth.); quæ particula *enim*, motivum manducandi & bibendi exprimens, evidens argumentum eſt præter ordinem hiſtoricæ relationis, a ſolo Marco inverſum; quod priusquam manducarent, & biberent, jam a Chriſto pronuntiata verba illa fuerint. *S. Marcum* non ſuo loco referre Chriſti verba (491. n. 3.), certum ex eo eſt; quia, ſi credas, bibiſſe omnes de calice, antequam Chriſtus diceret: *hic eſt* &c.; admittere debebis, manducaſſe & bibiſſe Apoſtolos; priusquam ſcirent ex Chriſto, quid manducarent, & biberent.

Probatur 2°.) EX FIDE ANTIQUA ET CONSTANTI ECCLESIÆ, idcirco religioſe aſſervantis SS. Euchariſtiam jam inde a temporibus Apoſtolorum. Nam a) uſum fuiſſe fidelibus dare SS. Euchariſtiam domum pro ſpirituali alimonia aſportandam jam in primis ſeculis, teſtis eſt *Tertullianus* L. 2. ad Uxor. cap. 5., *S. Cyprianus* Tract. de lapſis narrans, mulierem, dum arcam ſuam, in qua SS. Euchariſtia continebatur, indignis manibus tractaſſet, igne erumpente deterritam fuiſſe; *S. Baſilius* epiſt. 289. ſcribens, Monachos conſueviſſe SS. Euchariſtiam ſecum in deſertum aſportare ob inopiam Sacerdotis, maxime perſecutionum tempore; *S. Gregorius Naz.* Orat. 2. de ſorore ſua Gorgonia refert, eam orantem domi ſuæ coram SS. Euchariſtia

chariſtia a morbo liberatam fuiſſe; *S. Ambroſius* in Orat. funeb. de Satyro fratre ſuo refert, illum ope SS. Sacramenti e collo ſuſpenſi naufragium evaſiſſe.

b) De uſu SS. Euchariſtiam ad abſentes deferendi teſtatur *S. Juſtinus* in Apol. 2. & *S. Irenæus* in Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſeb. V. 4.

c) De uſu eam aſſervandi pro infirmis extat exemplum apud eundem Euſebium VI. 44. de presbytero ægroto; noctu per puerum mittente exiguam particulam SS. Euchariſtiæ ad *Serapionem* in extremis poſitum, ut eam aquam intinctam ægro porrigeret: & extat *canon* 13ius *Concilii Nicæni I.*; & rurſus *S. Ambroſio* apud Paulinum in ejus vita, quod nempe morti proximus de manu S. Honorati Vercellenſis Epiſcopi illam acceperit.

d) Denique idem probant *columbæ argenteæ*, vel *turres*, quæ ſuſpendi ſolebant, & in quibus includebatur SS. Euchariſtia; de quibus fit mentio in *Concilio Conſtantinopolitano II.* ſub Menna a. 536., in *Concilio Turonenſi II.* a. 567. can. 3. &c. &c. Vide Martene L. I. de antiquit. rit. c. 5. a. 3.

* *Bucerus* a. 1536. perſuaſit *Luthero*, realem præſentiam admittenti, ut teneret, SS. Corpus Domini non eſſe in Euchariſtia, niſi cum actu ſumitur, putans, eo temperamento conciliatum iri Lutheranos & Sacramentarios, ſuper hoc Sacramento acerrime inter ſe colliſos. Convenit Luthero eo facilius cum eo; quod ſic deſtrui videret aſſervationem & adoratio-

 nem

nem Euchariſtiæ apud catholicos uſitatam; proceſſiones ſolennes, in quibus circumferri ſolebat, atque ipſa denique Miſſarum ſacrificia.

Probant vero *Lutherani errorem* ſuum 1'.) ex eo, quod alia Sacramenta conſiſtant in uſu: ergo etiam SS. Euchariſtia. *Reſp.* nego conſeq. Inſtitutio Chriſti in Sacramento omnium excellentiſſimo regulam non habet ex modo aliorum Sacramentorum inferioris dignitatis.

Probant 2') ex eo, quod olim in *Eccleſia Romana* prohibitum fuerit aliquid in craſtinum de SS. Euchariſtia aſſervari, & reſiduum clerici conſumere juberentur, teſte epiſtola 2. S. Clementis; & in *Eccleſia Conſtantinopolitana* reſiduum daretur pueris ſcholaribus teſte Evagrio L. IV. hiſt.: item quia *Concilium Cæſarauguſtanum* a. 381. & *Toletanum* I. a. 400. vetant, ne in privatorum manibus SS. Euchariſtia domum deferenda detur. Denique *Humbertus* Cardinalis Sec. XI. reprehendit Græcos, quod SS. Euchariſtiam aſſervarent.

Reſp. Clerici & pueri jubelantur ſolum abſumere, quod vel putredini erat obnoxium, vel omnino brevi conſumi non poterat. Concilia illa Hiſpanica id vetuere ob Priſcillianiſtas, id ætatis domi SS. Euchariſtia horrendum in modum abutentes. *Humbertus* reprehendit Græcos, quod per quadrageſimam Miſſas non niſi ex præſanctificatis, id eſt, ex hoſtiis non niſi jam in præcedente Dominica pro tota hebdomate conſecratis, ac proin ſine conſecratione nova panis aut vini, celebrarent.

Recte

Recte itaque *Tridentinum* ſtatuit Seſſ. XIII. can. 6. *Conſuetudo aſſervandi in Sacrario SS. Euchariſtiam adeo antiqua eſt. ut eam etiam Seculum Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam SS. Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc uſum diligenter in Eccleſia conſervari, præterquam quod ſumma cum æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ catholicæ more eſt obſervatum. Quare hæc S. Synodus retinendum omnino & ſalutarem hunc & neceſſarium modum ſtatuit.*

514.

I. *Eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ, ut eſt Sacramentum permanens conſiſtit tum in verbis Chriſti, a Sacerdote ex illius commiſſione prolatis, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, moraliter permanentibus; tum in ſpeciebus panis & vini remanentibus converſione facta ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.* His enim conſtitutivis completa ratio ſigni ſacri præſentiæ realis Chriſti abſolvitur (507. 443.).

II. *Species panis & vini una cum verbis Chriſti; cuilibet ſpeciei propriis, unum moraliter Sacramentum conficiunt:* quia refectio ſenſibilis completa, cibo & potu conſtans, ſignificat completam rationem refectionis ſpiritualis, in hoc Sacramento a Chriſto nobis præparatam.

515.

Chriſtus Dominus, mox ſacrificaturus DEO Patri modo cruento corpus & ſanguinem ſuum in morte crucis (Tract. V. de Incarnat. §. 399.), *inſtituendo prius SS. Euchariſtiam verum quoque*

Digitized by Google

ſacrificium fecit, atque in perpetuum ſacrificandum inſtituit, deſtinans veluti teſtamento ultimo univerſam vim & fructum ſacrificii cruenti, mox a ſe in cruce offerendi, applicandum ad DEI Patris beneplacitum ſub ſacramento viſibilis refectionis cibi & potus in refectionem ſpiritualem animorum fidelium & remiſſionem peccatorum in perpetuum usque ad finem mundi.

Probatur dogma hoc catholicum 1°.) *ex SS. Literis.* a) Chriſtus Dominus, quod Joan. VI. promiſit, dicens v. 52. *panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*; v. 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*: - - v. 57. *in me manet, & ego in illo*; - - v. 58. *& qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: - - v. 59. *qui manducat hunc panem vivet in æternum*; id in cœna ultima plene executus eſt, ultimo velut *teſtamento* actu in perpetuum inſtituens Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, mox in cruce immolandi, eo fine; ut illo veluti ſymbolo mediante virtus ſacrificii incruenti applicaretur in remiſſionem peccatorum, in alimentum vitæ ſpiritualis, & in pignus vitæ æternæ. Dixit enim, benedictione ſeu gratiarum actione ad Deum Patrem præmiſſa: *accipite & comedite: hoc eſt corpus meum*; QUOD PRO VOBIS DATUR (491. Luc.): *hic calix* NOVUM TESTAMENTUM *eſt in ſanguine meo*, QUI PRO VOBIS EFFUNDETUR *in remiſſionem peccatorum* (Luc. Matth.). Corpus ergo & ſanguinem, mox in cruce cruente immolandum, in gloriam Dei Patris dedit, id eſt, fructum illius cruenti ſacrificii applicandum deſtinavit efficaciſſima voluntate ac *teſtamento* in perpetuum valituro, in Sacramento panis & cibi ad conferendam

rendam ſuis fidelibus remiſſionem peccatorum, vitæ ſpiritualis alimoniam, & ipſam vitæ æternæ ac futuræ ad eam reſurrectionis ſecuritatem. Atqui hoc veriſſime erat ſacrificare, id eſt, totum cruenti ſacrificii fructum ſacrificio incruento efficaciter applicandum, ſeu utendum, deſtinare ſub ſacramento panis & vini ſecundum placitum divini Patris in prædictos fines remiſſionis peccatorum, & vitæ ſpiritualis & æternæ alimentum. Vide dicta in Tract. de Incarn. §. 398. de conceptu genuino *Sacrificii*: & eris, opinor, de iſthoc dogmate convictus.

b) Chriſtus Dominus in SS. Scripturis clare dicitur *Sacerdos ſecundum ordinem & ſimilitudinem Melchiſedec;* nimirum in Pſal. CIX. 4. & ad Hebr. V. 6. & VII. 15.; cujus Sacerdotii ſimilitudinem reliquam omnem vide jam explicatam a me Tract. cit. §. 399. not. Porro Melchiſedec non legitur usquam in SS. literis cruenta ſacrificia obtuliſſe; ſed ſolum Gen. XIV. 18. in occurſu Abrahami, a cœde quinque regum devictorum redeuntis, *protuliſſe panem & vinum* (*erat enim Sacerdos DEI altiſſimi*) *& benedixiſſe ei.* . . Ergo non ratione cruenti ſacrificii in cruce oblati, ſed ratione ejus, quo ſe ſub panis & vini Sacramento dedit in ſalutem ſuorum fidelium, Melchiſedeco Sacerdotio ſimilis dicitur Chriſtus: ac proinde hujus Sacramenti celebratio & inſtitutio a Chriſto facta verum erat Sacrificium, ſeu actio Sacerdotis qua talis.

c) Malachiæ I. 10. *dicit Dominus exercituum: non eſt mihi voluntas in vobis; & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis usque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomi-*

nomini meo oblatio munda; quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Hoc loco duo clare prædicit Deus: *primo* reprobaturum ſeſe ſacrificia Judæorum: *deinde* loco illorum ſacrificiorum, quæ huc usque ab unica ea natione peculiari lege offerebantur, fore, ut ab omnibus gentibus magnum nomen ſuum agnoſcatur, ac celebretur, & in omnibus terræ partibus ſibi oblatio quædam per eminentiam ac per ſe ipſam munda afferatur. Jam hæc citra dubium de propinguis jam illius Prophetæ ætati Meſſiæ temporibus prædicta ſunt; quippe per quem Dei unius veri nomen magnificandum primum eſſent in omnibus gentibus, cum prius illius cultus pæne intra unam Judæorum nationem contineretur. Itaque in Chriſti Eccleſia, per totum orbem ac omnes gentes diffuſa, id genus ſacrificium *novum* ex ipſius Chriſti inſtitutione, nec veteri teſtamento communi, ſed *novo teſtamento proprium*, idemque *externum* exiſtere debet; quod ubivis terrarum a fidelibus Chriſti ſervis DEO etiamnum ad magnificandum publice inter omnes gentes illius nomen offeratur; quodque ſit *mundum* & ſanctum per ſe & ex propria natura ac qualitate ſua. Et vero vox מנחה ex hebraicæ linguæ proprietate ſacrificium ſimiliæ ſignificat. Atqui nullum tale eſt usquam; ſi non eſt SS. Euchariſtiæ oblatio: hæc econtra, uti eſt per ſe ipſam ſancta, ita ubivis terrarum, ubi catholica Eccleſia diffuſa eſt, actu inde a prima inſtitutione ſua inter omnes gentes DEO publice offertur.

d) Secundum Apoſtolum ad Hebr. XIII. 10. *habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*, id eſt, Moſaici tabernaculi miniſtri. Ergo in Eccleſia Chriſti, alta-

Digitized by Google

altare, & in hoc ſacrificium eſt; de quo edere poſſunt, ac ſolent, miniſtri Jeſu Chriſti. Atqui hoc non eſt aliud quam SS. Euchariſtia.

Probatur 2'.) EX SS. PATRIBUS; quos adverſari ſibi omnes faſſus eſt ultro *Lutherus*, cum Sacrificium hoc SS. Euchariſtiæ ſublaturus ſcriberet turpem libellum de captiv. Babyl. cap. 1. & alterum de abroganda Miſſa, & iterum in Lib. adverſus regem Angliæ; & idem faſſi ſunt *Zwinglius*, *Calvinus*, *Oecolampadius*, aliique.

Itaque ſuffecerit breviter ac ſummatim veluti SS. Patrum teſtimonia commemorare. Nimirum *Malachiæ prophetiam*, paullo ante allegatam, de SS. Euchariſtiæ Sacrificio factam interpretantur *S. Juſtinus* Dial. cum Tryph., *S. Irenæus* L. IV. adv. hæreſ. c. 17. *S Hieronymus* & *Theodoretus* Comment. in Malach., *S. Joannes Chryſoſtomus* in Pſalm. 95. & hom. 5. adv. Judæos, aliique multo plures a Bellarmino citati in L. I. de Miſſa cap. 10. *Melchiſedechium* verum ſacrificium panis & vini l. cit. Gen. offerendo præſignaſſe SS. Euchariſtiæ ſacrificium docuere *S. Clemens Alex.* in L. IV. Strom., *S. Cyprianus* Ep. 63. ad Cæcilium, *Euſebius Cæſar.* L. V. Dem. Evang. c. 3., *S. Hieronymus* in Ep. ad Marcellam, *S. Auguſtinus* Ep. 177. ad Innocentium Papam I. & L. XVI. de Civit. c. 22., item *SS. Ambroſius*, Epiphanius, Chryſoſtomus, Arnobius, Theodoretus, aliique a Bellarmino citati.

Denique *Kemnitius* in Examine fatetur ultro, *negari non poſſe, veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ dominicæ, uſurpare vocabula ſacrificii, immolationis, hoſtiæ, victimæ, uti verbis offer-*

offerre, ſacrificare, immolare. Et vero citat Bellarminus l. cit. Patres, qui ſingillatim iis vocibus utuntur; qui requirunt *altaria* ad celebrandam SS. Euchariſtiam, & Miniſtros iſtius vocant Sacerdotes; ac docent, eam offerri pro vivis & defunctis, & univerſe pro omnibus neceſſitatibus tam corporis, quam animi.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS ac perpetua Eccleſiæ traditione. Nam *Nicænum I.* can. 18. dicit, *presbyteros, non enim diaconos, habere poteſtatem offerendi Corpus Chriſti. Epheſinum I.* in explicat. anath. ſecundi vocat SS. Euchariſtiam *ſanctum ac vivificum incruentumque ſacrificium.* In libello *Chalcedonenſis Concilii* Patribus contra Dioſcorum Alex. oblato eadem appellatur *terribile & incruentum ſacrificium. Concilii Toletani XII.* a. 681. celebrati Patres can. 5. *Corporis & Sanguinis D. N. J. Chriſti immolationem fieri in eo ſacrificio,* dicunt.

His accedunt *Liturgiæ*, quas habent Alexandrinæ, Antiochenæ, Jeroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, SS. Jacobi Apoſtoli, Clementis Romani, Baſilii, Chryſoſtomi, Gregorii Naz., Cyrilli Alex., & aliorum nominibus inſcriptas; certe antiquiſſimas; easque ab ipſis hæreticis orientis, & ſchismaticis, æquo jure adoptatas, a Neſtorianis, Eutychianis, Jacobitis, Armenis &c. &c.; item quas habent variæ latinæ Eccleſiæ, puta *Mediolanenſis* a S. Ambroſio concinnatam, vel certe non multum a ſeculo quarto remotam; *Hiſpanica* Mozarabicam ſeu Gothicam &c. &c. Unde argumentum a præſcriptione ſupra §. 498. probat. 3. adornatum hic licet pari cum momento inſtaurare.

Unde

Unde demum *Tridentinum Concilium* contra recentiſſimos hujus divini Sacrificii hoſtes Seſſ. XXII. ita ſtatuit: Can. 1. *Siquis dixerit, in Miſſa non offerri DEO verum & proprium ſacrificium; aut quid offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.* Can. 2. *Siquis dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes; aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit.* Can. 3. *Siquis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.* Can. 4. *Siquis dixerit, blaſphemiam irrogari SS. Sacrificio in cruce peracto per Miſſæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema ſit.* Sed & *Lateranenſe IV.* can 1. jam edixerat; in Eccleſia *eundem ipſum eſſe Sacerdotem & Sacrificium Jeſum Chriſtum, cujus corpus & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineatur.*

Probatur 4°.) RATIONE manifeſta. Chriſtus in cruce (fatentibus id Lutheranis ac ceteris Proteſtantibus) ſe ipſum ſacrificavit modo cruento; & altera ex parte omnem fructum iſtius ſacrificii cruenti efficaciſſima voluntate quavis in conſecratione SS. Euchariſtiæ ſub ſpecie convivii, panis & vini, ſingillatim applicandum ipſe realiter præſens offert in ſpiritualem refectionem & omnimodam ſalutem animorum fidelium, de eodem participare volentium: ergo in quavis conſecratione hujus Sacramenti vere ſacrificat

cat Chriſtus ſe ipſum, idem Sacerdos & Sacrificium; quia per dicta in Tract. de Incarn. §. 398. ſacrificare nil aliud eſt, quam rem aliquam efficaciter deſtinare ad uſus DEO placitos ex amore excellentiæ divinæ. Evidens eſt hoc ratiocinium; & provoco ſecurus, ut quid opponant acatholici quicunque; ſi modo veram & intrinſecam efficaciam in hoc Sacramento admittant nobiscum; per quam in eo nobis Sacrificii crucis fructus actu in ſalutem noſtram modo incruento applicetur, nullo obſtaculo ſe tenente ex parte noſtri.

Præciſe profecto *Tridentini Patres* locuti ſunt Seſſ. cit. cap. 2. rationem hujus Sacrificii explicantes: *Una eſt eademque hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa: cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc uberrime percipiuntur; tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

Paucis: in cruce pretium ſalutis noſtræ Chriſtus patiendo & moriendo veluti pro omnibus generatim ſe ipſum fecit; in SS. Euchariſtiæ celebratione idem pretium ad uſum ſingulorum in individuo, qui nempe quovis modo eidem participant, actu applicat, utroque modo ergo ſe ipſum pro nobis ſacrificat DEO Patri ad finem creationis ultimum ab eodem intentum, eoque modo, quem ipſe infinitæ Sapientiæ ſuæ conſilio decentiſſimum æque ac ſanctiſſimum judicavit, voluitque; idem utrinque Sacerdos & Sacrificium, ſed modus ſolum diverſus, nempe cruentus in cruce, incruentus in Sacramento Altaris.

* Quot-

Digitized by Google

* Quotquot realem Chriſti in SS. Euchariſtia præſentiam rejiciunt, omnem veram ab ea Sacrificii ſpeciem removerunt, ceu præjudicio futuram dignitati & efficaciæ Sacrificii crucis. Lutherus conſilio dæmonis, ut ipſe ait in L. de Miſſa privata, Miſſæ ſacrificium abrogavit; idemque factum confirmavit eo remedio a Melanchtone pro ſapientis illius ſcrupulis invento, ut Chriſti præſentia in hoc Sacramento ad actualem ſumtionem reduceretur.

Narrante porro Pallavicino L. XVIII. hiſt. Trid. Conc. cap. 2. Tridentinorum Patrum aliqui negarunt initio, Chriſtum in cœna ultima ſacrificium ſe ipſum obtuliſſe; qui tamen omnes poſtea in affirmantium multo plurium ſententiam tranſierint, ita ut Seſſ. XII. c. 1. declararetur, *Chriſtum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini DEO Patri obtuliſſe.* In eo ſolum puncto hærebat controverſia, in Tridentino indeciſa, utrum incruentum illud ſacrificium, quod in cœna Chriſtus obtulit, vere fuerit propitiatorium, nec ne.

** *Opponunt* ergo Proteſtantes noſtri 1°.) contra argumentum ex inſtitutione SS. Euchariſtiæ petitum. Unicum eſt in lege nova Sacrificium crucis cruentum, & præter hoc nullum aliud ſine iſtius præjudicio fingi poteſt.

Probant hoc ſequentibus rationibus. a.) Secundum Apoſtolum ad Hebr. X. 15. Chriſtus *una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Ibid. IX. 12.

 ait:

ait: *introivit ſemel in ſancta æterna redemtione inventa;* & v. 28. *ſemel oblatus eſt ad exhaurienda peccata.* Et rurſus ad Hebr. VII. ſcribit v. 23. *alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere: hic autem* (Chriſtus) *quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.*

b.) In cœna ultima nulla Chriſtus Sacrificii mentionem fecit, ſed SS. Euchariſtiam ceu teſtamento ultimo inſtituit dicens Luc. XXII. 20. *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Jam vero teſtamento nobis aliquid legatur; ſacrificio DEO aliquid datur.

c.) Nemo poteſt ſimul eſſe Sacerdos & victima, nec idem offerens, & cui offertur. Atqui hoc fieret in Euchariſtia; ſi eſſet verum ſacrificium.

Reſp. ad a.) Una oblatione Chriſtus conſummavit pretium ſanctificationis omnium, *concedo:* una eademque oblatione ipſe ſingulis applicavit; *nego.* Adverſarii, conceptu diſtincto *ſacrificii* ſcholæ antiquæ vitio deſtituti, non adverterunt, & mortem Chriſti, qua ſe ipſum pretium fecit, & celebrationem SS. Euchariſtiæ, in qua idem divinus Sacerdos converſione panis & vini ſe ipſum præſentem ſiſtit ad pretium illud *in perſona propria* ſingulis de hoc actu participaturis applicandum, unius continuati ſacrificii veram rationem habere; in quo idem Sacerdos, eadem res ſacrificata, uno illo ſub diſcrimine; quod pretium ſalutis noſtræ ſe ipſum fecerit divinus Sacerdos cruento quodam modo in cruce; applicet vero id ipſum nobis modo incruento in SS. Euchariſtia; cum utrinque interve-

terveniat in genere vera & efficax deſtinatio corporis & ſanguinis ſui in pretium ſalutis humanæ, & hujus ipſius pretii ad actualem promotionem ſalutis illius, id eſt, ad uſus DEO placitos.

Hoc ipſo autem una cruenta oblatione *ſemel introivit in ſancta*, nunquam inde egrediens, aut novum pretium ponere neceſſe habens; attamen poſt cruentum illam ingreſſum nunquam ceſſans a Sacerdotio, nec illud finiens, ſed continuans cœptum ſemel ſacrificium applicatione incruenta, Sacerdos ſempiternus; nec habens *ſucceſſores*, ſed ſolum *vicarios;* qui, dum ipſe inviſibili modo ſacrificat applicando nobis pretium crucis, viſibile miniſterium celebratione Sacramenti ſenſibilis a ſe inſtituti eidem exhibeant, quo actus ille inviſibilis ſacrificii ipſius nobis, qui inviſibilium effectuum alias futuri eſſemus ignari, repræſentetur.

Unde *ad b.*) reſponſio patet: videlicet ipſam naturam ſcopumque omnem celebrationis SS. Euchariſtiæ, & converſionis illius mirabilis panis & vini in Chriſtum realiter præſentem, & veri teſtamenti & veræ continuationis ſacrificii crucis rationem habere; nec proinde opus fuiſſe, ut Chriſtus verbo expreſſo profiteretur, ſe *ſacrificium* in ea inſtituere velle; ſicut cum ſe in cruce ſacrificaret, nullam fecit *ſacrificii* mentionem. Tali autem ſacrificio DEO nihil quidem, ſed totum crucis pretium nobis, ad DEI tamen placitum, dabatur.

Ad c.) Quippeni ſe ipſum, aut corpus ſuum, uſibus DEO placitis efficaciter deſtinare, ac proin vere ſacrificare quis poſſit? Certe id Chriſtus in cruce fe-

cit, non utique ſacrificatus ab aliis, ſed ſe ipſum ſacrificans, voluntarie paſſus, idemque DEUS, mundum ſecum ipſo reconcilians in SS. humanitate ſua (Tr. de Incarn. §. 403. not. 6.).

*** *Opponunt* 2'.) contra ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedec. Nam ajunt 1.) Melchiſedec tantum protulit (vel ut vox hebraica הוֹצִיא exprimit, *exire fecit*) in refrigerium militum fatigatorum panem & vinum; non autem obtulit in ſacrificium, ut textus LXX. confirmat: ἐξείνεγκε αὐτῷ ἄρτȣς καὶ οἶνον, *obtulit ipſi* (Abrahamo) *panem & vinum.*

2'.) Panem & vinum non legitur deſtruxiſſe; prout ad ſacrificium requiritur.

3'.) S. Paulus in ep. ad Hebr. modum ſacrificii Melchiſedeci non memorat; & Aaronico ſolum ſacrificio illud præfert; in quo tamen item panis & vinum offerebantur; ut patet Exod. XXIX. 40. & Num. XXVIII. 5.

Reſp. ad 1. Cur ergo mox interjectio additur cauſſalis, *erat enim Sacerdos DEI altiſſimi*, & benedictio Abrahæ impertita memoratur? Certe ו præfixum, ut paſſim alias, ita & hic cauſſalis conjunctio eſt; ſecus enim tota interjectio inepta foret. Præterea ex Gen. XIV. 24. patet, jam ex præda refectos ante fuiſſe milites Abrahami (*non accipiam*, dicit is ex omnibus, *exceptis his, quæ comedunt juvenes*) quam Melchiſedec eis occurreret. Interim novi nihil eſt, quod de Sacrificio hoſtiæ pacificæ comederent cum Sacerdote ii, pro quibus offerebatur (de Incarn. §. 398. not. 2.).

Ad 2.

Digitized by Google

Ad 2. Uſus ſacer, non deſtructio rei, ad eſſentiam ſacrificii in genere pertinet. Is autem in hoſtiis pacificis; & in oblato pane & vino in ſpecie, paſſim conſiſtebat in eo, quod de iis comederent illi, pro quibus offerebantur.

Ad 3. S. Paulus non memorat modum ſacrificii Melchiſedec; quia Hebræi, ad quos ſcribit, veteris legis cruentis ſacrificiis aſſueti, ſublimitatem ſacrificii SS. Euchariſtiæ capere nondum pares erant; *de quo* (Melchiſedeco ait Apoſtolus ad Hebr. V. 11.) *grandis nobis ſermo & inenarrabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus; rurſum indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii ſermonum DEI.*

Deinde ſcopus S. Pauli erat, oſtendere excellentiam ſacrificii Chriſti præ Aaronico; id quod facit oſtentata dignitate perſonæ & hoſtiæ ipſius oblatæ: dignitatem ſolam perſonæ Chriſti exornat ſimilitudine Melchiſedeci, ceu figuræ ejusdem; quem Aarone majorem fuiſſe probat: dignitati hoſtiæ ex pane & vino a Melchiſedec oblato parum ornamenti afferri poterat; quia in Sacrificio SS. Euchariſtiæ panis & vini ſpecies ſolum ſenſibilis minimum eſt, nec ipſa hoſtia, quæ offertur: unde Apoſtolus hac in parte potius Chriſtum ipſum ut hoſtiam ſub panis & vini ſpecie oblatam ſanguini hircorum & taurorum ab Aarone oblatorum opponit ad Hebr. X. 4.

Denique panis & vinum in Sacrificiis Aaronicis ſolum accidentalia erant; in ſolo autem Melchiſedeci

Sacrificio ſubſtantiam ſacrificii conficiebant; ſicuti & ad ſubſtantiam Sacrificii SS. Euchariſtiæ *requiruntur*. Vide dicta in Tr. de Incarn. §. 398. not.

**** *Opponunt* 3. contra Malachiæ prophetiam. Per *oblationem mundam* ibi prædictam intelligi poſſunt preces, laudes, & gratiarum actiones, DEO in toto orbe ab omnibus gentibus ſaltem chriſtianis offerri ſolitæ.

Reſp. De ſacrificio *publico*, *externo*, uniformi ſermonem prophetæ eſſe, ſupra in probatione oſtenſum eſt. Deinde nulla ſocietas chriſtiana per totum orbem diffuſa eſt, quam catholica.

***** *Opponunt* 4. In ſacrificio requiritur occiſio hoſtiæ viventis in conteſtationem ſupremi dominii, DEO in vitam noſtram ipſam competentis: atqui nulla occiſio in SS. Euchariſtia intervenit.

Reſpondent Scholæ Doctores: intervenire myſticam occiſionem; quia, ſi id ſolum præſens fieret ſub ſpecie panis & vini, quod verba conſecrationis exprimunt virtute ſignificatrice & ſacramentali, corpus ſepararetur a ſanguine cum ſecutura morte. *At enim* nec ſignificant verba conſecrationis poſitive, ſolum corpus ſub pane, ſolum ſanguinem ſub vino præſentem eſſe; ſecus falſa forent; ſed abſtrahunt ab eo ſolummodo vi ſignificationis ſuæ ſolius (500. III.) nec equidem videre unquam potui; quid hoc ad veritatem realem ſacrificii contribuat.

Nego

Nego ergo, ad eſſentiam ſacrificii univerſe rei viventis occiſionem, aut etiam ſolum deſtructionem rei ſacrificatæ ſimpliciter, requiri. Sufficit, ab ipſo Chriſto realiter præſente ſub ſpecie panis & vini pretium mortis ſuæ offerri DEO Patri, & applicari actu ad ſalutem participantium de hoc ſacrificio.

516.

I. *Sacrificium SS. Euchariſtiæ non in ſola mortis Chriſti commemoratione ac repræſentatione, ſed in oblatione actuali, & efficaci (quantum in Chriſto eſt) applicatione totius pretii redemtionis, illo cruento mortis ſacrificio acquiſiti, ad uſus omnes particulares DEO Patri placitos, conſiſtit.*

II. Sicut ergo pretium illud ſacrificii cruenti ad uſus varios natura ſua applicari capax eſt; quorum omnium finis primarius divini beneplaciti ac ſupremi dominii honoratio virtute ipſius naturæ ſacrificii in genere eſt (de Incarn. 398.): ita in Sacrificio SS. Euchariſtiæ a ſummo Sacerdote Chriſto realiter ſe præſentem ſiſtente actu, quantum in ipſo eſt, pretium illud applicatur *ad DEI cultum ſupremum*, *in gratiarum actionem* pro univerſis beneficiis humano generi a Chriſto redemto conceſſis, *in ſatisfactionem* condignam pro pœnis peccatorum imperfecta ſolum pœnitentia expiatorum (de Incarnat. §. 403. not. 3. & 4.) & pro ipſis culpis peccatorum nondum pœnitentia deletis (cit. l. & §. 397. ibid.), *ad impetranda* denique merito infinito paſſionis & mortis ipſius bona omnia ſaluti æternæ utilia, ſpiritualia, & temporalia (de Incarn. §. 383.): ac proinde hoc ſenſu *Sacrificium SS. Euchariſtiæ eſt* primo *latreuticum*, deinde

inde *Euchariſticum*, tertio *ſatisfactorium pro peccatis noſtris*, quarto *impetratorium omnium gratiarum*.

III. Quia porro fructus ſatisfactionis peccatorum defuncti æque ac vivi per ſe capaces ſunt (ſuppoſito dogmate communionis Sanctorum inter militantem ac purgantem Eccleſiam; de quo alibi); ultro conſequitur, *idem ſacrificium in ſatisfactionem peccatorum & ad impetrandam pœnæ temporalis remiſſionem per ſe offerri poſſe pro vivis & defunctis.*

IV. *Eſſentia hujus incruenti ſacrificii, actusque ipſe ſacrificationis conſiſtit in eo, quod Chriſtus ipſe interveniente miniſterio Sacerdotis, ceu vicarii ac miniſtri ſui, ſe præſentem viſibili ſub Sacramento ſiſtens, actu in particulari ſecundum mentem Sacerdotis, quantumcunque in ipſo ſit, efficaciter offerat & applicet totum pretium cruenti crucis ſacrificii ad omnes fines coroll. præc. enumeratos.*

V. *Unde cum efficax iſta oblatio & ſui totius applicatio ad hos fructus efficiendos in actu primo adæquate jam fiat eo ipſo, quod converſione panis & vini facta ſub ſpecie cibi & potus realiter præſentem ſe Chriſtus ſiſtat forma a Sacerdote prolata* (507. 509.): *idcirco in actu conſecrationis, ſeu converſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſubſtantia hujus Sacrificii & eſſentia conſiſtit.* 2.) Quem actum converſionis cum Chriſtus quidem ceu principalis cauſſa virtute ſuæ Omnipotentiæ & principalis intentionis ſeſe ſacrificandi, homo vero miniſter ut cauſſa inſtrumentalis, ponendo miniſterium viſibilis Sacramenti ex mandato ſibi a Chriſto dato (507.), ſimul ponant; *evidens eſt Chriſtum eſſe primarium Sacer-*

Sacerdotem, hominem hujus Sacrificii, ut eſt ſimul viſibile, adminiſtrum ſecundarium.

VI. Quoniam porro duplex eſt manducatio, quarum una mere ſpirituali & per ſe inſenſibili per vivam ſolum fidem, fiduciam, & deſiderium, caritatemque manducamus Chriſtum; de qua ſecundum omnes interpretes ſermo eſt in cap. VI. S. Joannis usque ad verſum 50um; alia vero, qua in hoc SS. Euchariſtia eundem vere ſenſibili modo ſub ſpecie cibi & potus ſumimus; in hoc autem divino ſacrificio Chriſtus ipſe generaliſſimo & univerſali modo ſeſe offert ad fructus omnes pretii mortis ſuæ quovis modo poſſibiles in ſuis fidelibus in particulari efficiendos: idcirco *de fructu hujus incruenti ſacrificii SS. Euchariſtiæ non ſolum ſenſibili ac ſacramentali hujus Sacramenti manducatione, ſed etiam ſola manducatione ſpirituali ipſius Chriſti per fidem, participare, imo & ſuppoſito dogmate communicationis ſanctorum, fructum ſatisfactionis & impetrationis ea manducatione participatum aliis donare & applicare poſſumus.*

VII. Jam vero quoniam Chriſtus ſummus Sacerdos in hoc Sacrificio ſeſe ipſum & pretium mortis ſuæ efficacia ſumma benevolæ ſuæ voluntatis applicat ad omnes fructus illius omni modo poſſibili, id eſt, tam per viam ſpiritualis, quam ſacramentalis manducationis ſui, efficiendos, nec tamen vulgo poſſibile eſt, ut omnes ſacramentali ac ſenſibili manducatione de illis participare queant; cum per ſe applicatio quævis hujus ſacrificii ad fideles omnes in actu primo ex intentione Chriſti pertingat; ſi modo, quod penes ipſos eſt, illi contribuere velint: idcirco tum ob iſtam intentionem Chriſti tam

benevolam, tum vi præcepti divini, traditione perpetua tranſmiſſi ad nos usque, *ſaltem Sacerdotes ipſi tenentur ſacramentali manducatione de hoc divino incruento ſacrificio participare.*

VIII. Ex his ipſis autem dictis patet, *ſacramentalem manducationem SS. Euchariſtiæ, Sacerdotibus divinum hoc ſacrificium adminiſtrantibus jure divino præceptam, non tam ad eſſentiam ſacrificii hujus incruenti, quam ad conſequendum ex intentione Chriſti omnimodum poſſibilem illius fructum pertinere.*

IX. Sacrificium hoc incruentum, cum primarius illius Sacerdos ſit ipſe Chriſtus, ſecundum hujus ipſius divini Sacerdotis intentionem ſortitur ſuos effectus. Cum itaque hujus ſummi Sacerdotis benevola voluntas ſit *primo* generalis (Tr. de Incarn. 404.), *deinde* vero nihilominus concurſum aliquem & cooperationem ex parte illorum ad abſolutionem operis redemtionis requirat, quos redemit (Eth. univ. Chriſt. 221. 256. & Tr. de Incarn. §. 403. not. 3.); idcirco *fructus hujus ſacrificii nec ad ſolum Sacerdotem ſacrificantem cum Chriſto* (Cor. V. hic) *reſtringitur, nec tamen ſine aliquo concurſu vel iſtius, vel eorundem, qui de illo fructu participare exoptant, ad alios pertingit.*

X. Porro cum Sacerdotium etiam miniſteriale ac vicarium ad normam principalis Sacerdotii ipſius JESU Chriſti (Tract. de Incarn. 404.), totaque ratio Sacramenti & Sacrificii SS. Euchariſtiæ, in utilitatem publicam Eccleſiæ ſuæ a Chriſto inſtituta ſit (Dem. cath. 103. 104. item hic §. 492. 493. 445.); univerſe autem Sacerdotis publici officium ſit pro omni popu-

populo, pro quo conſtitutus Sacerdos eſt, ſacrificare (Tr. de Incarn. 398.) ſecundum illud Epiſt. ad Hebr. V. 1.: *Omnis Pontifex, ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, - - quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo*: idcirco ex mente ipſius Chriſti ac totius Eccleſiæ *officium Sacerdotum eſt intentione & nomine totius populi chriſtiani fructum hujus ſacrificii generaliter omnibus veræ Eccleſiæ Chriſti membris applicare; atque is ipſe fructus, intentione Chriſti, ceu Sacerdotis principalis, & totius Eccleſiæ, cunctis fidelibus deſtinatus, recte* fructus generalis *appellatur; nec pendet a probitate Sacerdotis miniſtri aliter, niſi quatenus requiritur, ut is intendat ex mente Chriſti & totius Eccleſiæ ſacrificare; nec ab ipſa devotione fidelium aut præſentia ad ſacrificium; ſed ſolummodo a capacitate eorundem.*

XI. *Specialem fructum, itidem non a probitate, ſed ſolum ab intentione ſacrificandi ſecundum votum petentis, obtinet, quisquis ſeu prece, ſeu ſtipendio oblato, auctor eſt, ut Sacrificium hoc ad certos fines honeſtos, æternæ ſaluti non adverſos, a ſe intentos a quovis Sacerdote offeratur.*

Chriſti enim benevolentia & promtitudo ad applicandos miniſterio Sacerdotis fructus ſacrificii crucis in hoc ſacrificio incruento, ſicuti ipſius DEI benevolentia, ex ſe ipſa non limitatur. Quodſi ergo modo Sacerdos miniſterium ſuum interponat ſerio & efficaci voluntate ad applicandum hoc incruento ſacrificio mediante fructum ſacrificii crucis; Chriſtus quoque illum applicat in ſubjectum capax; quin ad id moveatur

Digitized by Google

veatur probitate miniſtri ſui, vel impediatur improbitate ejusdem.

XII. *Specialiſſimus fructus eſt, quem Sacerdos, modo capax ſit, nec illum intendere omittat, pro ſe ipſo ex hoc ſacrificio obtinet.* Nec enim Chriſtus parcior eſt ad applicandum hunc fructum ipſi miniſtro ſuo, quam aliis ex intentione & voto ejusdem, ſi is æque ſit capax.

* Omnes iſti fructus vulgo phraſi ſcholæ vocantur *fructus ex opere operato*; eo quod non a merito, nec ab interceſſione ſeu prece Sacerdotis miniſtri Chriſti, nec a ſpeciali alia devotione iſtius, dependeant; ſed a ſola intentione & voto eos applicandi ſimpliciter. Præter hos utique alii ſunt, qui *vel* a precibus huic Sacrificio ex lege & præſcripto Eccleſiæ adjunctis, ejusque communi nomine ad DEUM fuſis, *vel* a ſpeciali merito, devotione, & deprecatione Sacerdotis, *vel* denique a ſpeciali devotione concurrentium, ſeu participare optantium de hoc ſacrificio, pendent, & vulgo ſcholæ nomine *fructus ex opere operantis* appellantur.

XIII. *Uti valor ſacrificii cruenti in cruce, & benevolentia Chriſti in eo offerendo generalis & illimitata erant; ita extenſio applicationis illius in hoc incruento ſacrificio SS. Euchariſtiæ, modo non deſiit intentio Sacerdotis & capacitas ſubjecti, ex ſe & ſpectata poſſibilitate illius, absque limite eſt, ſemperque ad plura ſubjecta & majores fructus exporrigere ſe poteſt.* 2.) *Deficiente tamen ſemper vel capacitate ſubjecti, vel intentione Sacerdotis, in actu ſecundo fructus idem ſemper*

per finitus eſt: 3) *eoque ipſo repetitione hujus ſacrificii & opus eſt, & actu recte utitur Eccleſia ex inſtituto Chriſti.*

XIV. *Ex eadem ratione, qui interſunt huic ſacrificio, vel eidem miniſtrant, & univerſe fideles omnes pro majore devotione, qua optant participare, & ſe diſponunt ad participandum de hoc ſacrificio, plus ex illo percipiunt fructus.*

* Hæc quidem omnia confirmantur canone tertio & quarto Tridentini Concilii Seſſ. XXII. ſupra citatis in fine §. præc. Speciatim *defunctis* prodeſſe, & pro iis recte offerri hoc incruentum ſacrificium, probat praxis primæ Eccleſiæ; cujus teſtes ſunt *Tertullianus* L. de Corona Mil. c. 3. ſcribens: oblationes pro defunctis annua die facimus.

S. Cyprianus ep. 66: *Anteceſſores noſtri cenſuerunt, quod, ſiquis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. S. Cyrillus Jeroſ.* cat. 5. *Maximum eſſe credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii. S. Auguſtinus* L. IX. Conf. narrat, *pro S. Monica matre* ſua *defuncta*, id ea in vivis enixe petente, *oblatum eſſe ſacrificium pretii noſtri. S. Epiphanius* L. Anaceph. ait, Aëtium pro hæretico damnatum fuiſſe, quod negaret, pro mortuis offerendum eſſe ſacrificium. Et vero cum jam in veteri teſtamento legatur Judas Machabæus II. Machab. XII. 43. ſeq. *facta collatione argenti miſiſſe Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum*, idque ibidem ceu *ſancta & ſalubris cogitatio* commendetur; mirum non

non eſt, Eccleſiam Chriſti hoc pariter ſacrificium incruentum & divinum pro defunctis offerre.

** De modo, quo *ſatisfactorium* ſeu *propitiatorium* eſt hoc idem *ſacrificium*, ſic differit Tridentinum Seſs. cit. cap. 2., videlicet *per ipſum fieri, ut, ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti & pœnitentes ad DEUM accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

*** Denique pro temporalibus quoque neceſſitatibus & bonis, quoad iſta ſaluti æternæ non obſtant, ſed conducunt, offerri poſſe hoc ſacrificium; Tridentinum innuit, l. cit. can. 3. innuit, cum ait, *pro aliis* quoque *neceſſitatibus offerri* poſſe; *SS. Patres* conſentiunt, nominatim *S. Chryſoſtomus*, qui hom. 18. in Acta Apoſt. ait, illud offerri *pro fructibus terræ*; *S. Auguſtinus*, qui refert L. XXII. de Civit. c. 8., ſacrificio hoc oblato in domo, ceſſaſſe infeſtationem dæmonum (vide Tract. de Angelis §. 180.); *ratio* ipſa manifeſta evincit; quæ docet, DEUM ſic bene velle homini univerſe, ut bona quæcunque largiatur, bono communi maximo & ſaluti etiam privatæ non adverſatura; Chriſti autem in ſingulos benevolentiam divinæ ex æquo conformem eſſe. Et hæc quidem de effectibus hujus ſacrificii, & ſpiritualis de eo manducationis.

Digitized by Google

517.

Effectus realis manducationis Sacramenti SS. Corporis & Sanguinis Domini Chriſtus ipſe recenſet Joan. VI. a v. 50. nimirum 1'.) *ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur* (v. 50.), ſed *vivat in æternum* (v. 52. vide §. 491.), id eſt, quod largiatur gratiam habitualem nutrientem & augmentum vitæ ſpiritualis, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit; vi cujus,, ut Chriſtus porro ait ibidem, in Chriſto maneat, & Chriſtus in eo (v. 57.); *in me manet, & ego in illo*; & v. 58. *qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

2'.) Hujus ſubſtantialis effectus *phyſica attributa* præterea ſunt *primo gratiæ actuales* ad actus ſalutares omnis generis, inprimis ad caritatem DEI prædominantem cunctis aliis minus ordinatis affectibus; quippe a cujus prædominio vita ſpiritualis continuo pendet (*vivet propter me*, v. 58. id eſt, imperio amoris mei reget omnes affectus): *deinde fomitis concupiſcentiæ reſtinctio;* quia pari menſura dominium omnis carnalis amoris minuitur, qua creſcit ope prædictarum gratiarum prædominium divinæ caritatis; *tertio præſervatio a peccatis gravibus & levioribus;* quia incrementum vitæ eſt receſſus a morte, & incrementum caritatis eſt diminutio omnis affectus ad peccatum inclinantis; *quarto perſeverantia in bono*, id eſt, facultas perſeverandi major; quæ caritati habituali, hujusque prædominio, & ſanctificanti gratiæ, intenſione ſua præciſe commenſuratur: *quinto expiatio venialium delictorum commiſſorum*, quæ fervore caritatis promoto extinguuntur hoc ipſo.

3'.) *Pi-*

3'.) *Pignus & aſſecuratio gloriæ æternæ, & reſurrectionis corporis.* Nam (v. 52. Joan. VI.) *ſiquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et v. 59. *non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem; vivet in æternum:* & v. 55. ibid. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Unde de his effectibus loquens TRIDENTINUM Seſſ. XIII. cap. 2. ait: *Salvator noſter ſumi voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius; - - & tanquam antidotum, quo liberemur* a *culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.* Eugenius IV. in Decret. ad Arm. docet: *Hoc SS. Sacramentum omnem effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, operatur, quoad vitam ſpiritualem; in quo - - a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutem & gratiarum proficimus incrementum.*

518.

Per ſe tamen & ex proprio fine SS. Euchariſtia non remittit peccatum mortale; nec gratiam ſanctificantem illa amiſſam reſtituit.

Dogma hoc catholicum *probatur* 1'.) EX SS. LITERIS. Nam a) Joan. VI. 50. Chriſtus ait, *panem de cælo deſcendiſſe* ſe, *ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur*; non ait; ut, qui mortuus fuerit, vivat. b) Apoſtolus vero

I. Cor.

I. Cor. XI. 28. ſcribit: *probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* c) Unde Matth. XXII. non inductus veſte nuptiali a regio convivio repulſus eſt. Et ibid. VII. 6. Chriſtus dicit: *nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.*

2°.) *Probatur* ex perpetua PRAXI ECCLESIÆ removentis ab hujus Sacramenti perceptione omnes, qui criminum publice rei nondum debitam pœnitentiam egiſſent; uti colligitur ex Conciliis *Eliberitano* Can. 78. & 79. *Ancyrano* can. 4. 5. 7., *Nicæno* can. 11. *Arauſicano I.* can. 3. &c. Unde Diaconus inter Miſſarum ſolennia alta voce clamabat: *exite catechumeni, pœnitentes, indigni.*

3°.) Ex Concordi SS. PATRUM ſententia. *S. Juſtinus* Apol. II. *Alimentum hoc* (SS. Euchariſtiæ) *nulli alii participare licitum eſt, quam credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita, ut Chriſtus tradidit, viventi.* *S. Cyprianus* Epiſt. 9. graviter conqueritur, & gravius adhuc in Tract. de lapſis, contra intempeſtivam indulgentiam, qua ſubinde S. Communio daretur, *nondum exacta pœnitentia, nondum exomologeſi facta, cum ſcriptum ſit: qui ederit panem Domini indigne, reus erit* &c. *S. Ambroſius* L. VI. in Lucam ad cap. 9. *Ubique*, ſcribit, *myſterii ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet.* *S. Chryſoſtomus* hom. 46. in Joan. c. 6. *ſi pure acceſſeris, ad ſalutem acceſſiſti; ſin prava conſcientia, ad pœnam & ſupplicium.* *S. Augu-*

ſtinus Tr. 26. in Joan. *Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. - - - Non quia malum accepit; ſed quia bonum male malus accepit.*

4'.) Ex Tridentino Seſſ. XIII. can. 5. definiente: *Siquis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire; anathema ſit.* Et can. 11. *Siquis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa S. Synodus; illis, quos conſcientia mortalis peccati gravat, quantumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Communionem Sacramentalem.*

5'.) Ratio ipſa & natura hujus Sacramenti id clare evincit. Eſt enim cibus divinus (Joan. VI. 56.) ad alimentum vitæ ſupernaturalis præparatus & conſtitutus. Atqui alimentum non mortuo vitam reſtituit, ſed vitam a priori ſupponens, iſtam ſolum conſervat, & nutrit.

* Ceterum in citatis canonibus Tridentinum *Lutheri errorem* contrarium circa omnia capita in eis commemorata proſcripſit.

519.

Ex dictis §. præc. patet; *tametſi, quiscunque divinum hunc cibum & potum ore ſumit, hoc Sacramentum, ceu permanens (513.), vere accipiat; non niſi illos ſolos tamen capax illius cum fructu*

Digitized by Google

fructu recipiendi ſubjectum eſſe, qui & baptizati, & nullius peccati gravis, nondum rite pœnitentia expiati, onere gravantur. Baptiſmo enim vita ſpiritualis & character chriſtiani primo acquiritur, id eſt capacitas alimenti vitæ ſpiritualis & participandi de emolumentis ſocietatis chriſtianæ per Sacramenta; pœnitentia autem debita eadem ſpiritualis vita amiſſa denuo recuperari debet, ut cibus ſpiritualis prodeſſe in alimentum ejusdem poſſit.

520.

Miniſtri SS Euchariſtiæ conſecrandæ & offerendæ in Sacrificium ex Chriſti inſtitutione non ſunt omnes chriſtiani, ſed immediate hanc poteſtatem valide exercendam a Chriſto accepere in Cœna ultima ſoli Apoſtoli, & mediate per hos Epiſcopi, ac Sacerdotes ab illis, vel iſtis, ordinati.

Nam 1°.) CHRISTUS verba illa: *hoc facite in meam commemorationem* (491. Luc. XXII. & I. Cor. XI.) dixit ad ſolos Apoſtolos præſentes (Dem. Cath. §. 126.), ac per eadem inſtituendo hoc Sacramentum perpetuo in ſua Eccleſia celebrandum (492.), hoc ipſo non ſolum Apoſtolis ſuis id conſecrandi, & per modum ſacrificii (515.) offerendi, propriam & ſtabilem poteſtatem dedit; ſed & poteſtatem addidit communicandi hanc ipſam poteſtatem aliis ſucceſſoribus, quibus vellent; ſine quo perpetua hujus Sacramenti celebratio & inſtitutio eſſe non poſſet. Porro Apoſtoli eandem omnem poteſtatem, quam ipſi in Eccleſia a Chriſto acceperunt, ceu ſtabilem & propriam contulere ſolis Epiſcopis pro quavis particulari Eccleſia a ſe ordinatis,

 tan-

tanquam veris ſucceſſoribus ſuis (Dem. Cath. §§. 180. ſeqq.); & excepta poteſtate ordinandi alios cum ſimili poteſtate, ipſam poteſtatem ſacrificandi SS. Euchariſtiam, ſeparato ordine presbyteratus ab Epiſcopatu, contulere ſolis certis miniſtris, qui ſimplici nomine *presbyteri*, vel *ſacerdotes*, appellabantur (l. cit. §§. 177. 178. 179. item 174. 176. 173.). Itaque miniſtri SS. Euchariſtiæ conſecrandæ & offerendæ &c. &c. *Adde* dicta Apoſtoli I. Cor. XII. 29. *Nunquid omnes Apoſtoli?* Et ad Hebr. V. 4. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem; ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Nota, a Deo, per Dei miniſtros, Apoſtolos, vel Epiſcopos, non a populo, vel magiſtratu, vocandum eſſe Sacerdotem.

2°.) Unde SS. PATRES omnes diſcrimen ordinis Epiſcopalis, & ſacerdotalis, a laicis, & ipſius ordinis Epiſcopalis ab ordine meri presbyteriæ ſimplicis agnovere (ibid. §. 173.). Præterea *Tertullianus* L. de Præſcript. c. 41. eo maxime nomine perſtringit hæreticos ſui temporis, quod laicis ſacerdotalia munia concederent. *S. Cyprianus*, eo errore quidem ductus, apud hæreticos nullos eſſe poſſe veros Sacerdotes, diſputans in Epiſt. 70. & 73. adverſus S. Stephanum Papam, exinde infert, hæreticos nec Baptiſmum, nec S. Oleum, nec Euchariſtiam habere. *S. Epiphanius* Epiſt. ad Joan. Jeroſ. ſe excuſat, quod in hujus diœceſi diaconum in presbyterum ordinaverit, ne *multitudo SS. fratrum*, inquit, *ibidem degentium ſacris privarentur myſteriis; cum non haberent, qui ſibi divina Sacramenta conferrent.* *S. Hieronymus* adverſus Luciferanos ex eo præcipue probat, apud ipſos Eccleſiam veram eſſe non poſſe; quippe qui ſolum diaconum Hilarium habeant, qui *Eucha-*

riſtiam

riſtiam conficere non poſſit; Epiſcopos autem *&* *presbyteros non habeant.*

3'.) Concilia item docuere communiter; & inter hæc princeps *Nicænum I.* can. 18. diaconos, SS. Euchariſtiam diſpenſantes, ita reprimit: *quod nec regula, nec conſuetudo tradat, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Chriſti corpus accipiant. Lateranenſe IV.* c. firmiter definiit: *hoc itaque Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, Jeſus Chriſtus. Florentinum* in Decreto ait: *Sacerdos in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Tridentinum* Seſſ. XXII. cap. 1. docet: Chriſtus in cœna ultima *Apoſtolis, - - - eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem.* Et can. 2. definit: *Siquis dixerit, per illa verba, hoc facite &c., Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, anathema ſit.*

* *Lutherus*, veterem Waldenſium errorem revocans, docuit L. de Capt. Babyl. & L. de Abrog. Miſs. quemlibet Chriſtianum vi baptiſmi habere poteſtatem conſecrandi SS. Euchariſtiam; ita tamen, ut nemo, niſi legitime, vel a populo, vel a magiſtratu, vocatus id ſibi miniſterium aſſumere ipſe debeat, ad confuſionem & turbas vitandas.

Probabat errorem 1'.) ex eo, quod Chriſtus ad omnes fideles illud dixerit, *hoc facite &c.*; idque patere ex teſtimonio S. Pauli, I. Cor. XI. referentis ſe-

eundo loco etiam iſthæc verba Chriſti, *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*; & mox ſubdentis ex ſuo ore: *quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis; donec veniat*: quæ cum S. Paulus ad omnes fideles dicat; innuit, etiam illa priora Chriſtus ad omnes dixiſſe.

Deinde, licet ſolis Apoſtolis dictum ſit, *baptizantes eos* &c.; tamen omnes valide baptizare poſſunt: ergo & conſecrare SS. Euchariſtia. *Denique* per baptiſmum omnes factos eſſe DEO regnum & Sacerdotes ſecundum illud Apoc. V. 10 *feciſti nos DEO noſtro regnum & Sacerdotes;* & illud I. Petri II. 5. *tanquam lapides vivi ædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles DEO per JESUM.*

Reſp. Nego, Chriſtum illud, *hoc facite &c*, ſeu prima, ſeu altera vice, aliis quam Apoſtolis dixiſſe; ſed ſicut ſolos Apoſtolos per ea miniſtros SS. Euchariſtiæ & Sacerdotes cum poteſtate etiam propria illam *ut Sacramentum* diſpenſandi conſtituit; ita ſolos juſſit illam celebrare *in ſuam commemorationem*, id eſt, ex officio ceteris fidelibus in memoriam revocando inſtitutionem a Chriſto in ultima cœna paullo ante mortem crucis factam: ex quo nihilominus recte infert Apoſtolus; fideles quoties reali manducatione de hoc ſacrificio viva fide participaturi ſint, toties per id teſtimonium morti Chriſti publicum una cum Sacrificante daturos; ut proinde ultimum recte Apoſtolus dixerit ad omnes baptizatos: licet Chriſtus priora ſua verba direxerit ad ſolos Apoſtolos.

Quod

Quod ad alterum de poteſtate baptizandi omnibus communi ſequeretur, ſi valeret argumentum, etiam paganos poſſe valide conſecrare Euchariſtiam; ſicut poſſint valide baptizare; quod nec Lutherus crediderit. Sed videlicet, quod omnes valide baptizare poſſint, non ex citatis Chriſti verbis, *docete baptizantes eos*, ſed unice ex Eccleſiæ conſtanti ſenſu & traditione novimus (471. not. 1. & 2.); quæ ipſa traditio parem habere vim debet; cum eadem doceat, non omnes, ſed ſolos Apoſtolos immediate a Chriſto conſtitutos eſſe Sacerdotes & Epiſcopos.

Quod ad tertium denique; etiam de Iſraëlitis Deus dixit Exod. XIX. 6.: *vos eritis mihi in regnum ſacerdotale*; & tamen publica ſacrificia legitima non niſi ſacerdos ex familia Aaron offerre poterant. Enimvero omnes baptizati, qui conformiter pacto in baptiſmo cum Chriſto & Eccleſia initio vivunt, quotidie interno ac privato ſacrificio ſe, ſuas facultates, bonaque omnia, uſibus DEO placitis efficaci voluntate deſtinant; ac proinde ex officio chriſtiani hominis ſacerdotes ſunt (Tract. de Incarn. §. 398.); ſed privati, non publici; eoque ſenſu, quo in SS. literis Pſ. L. etiam *ſacrificium DEO* eſſe dicitur *ſpiritus contribulatus*, & Pſ. XLIX. jubemur *immolare DEO ſacrificium laudis*. Ex eo autem non ſequitur, quod ad SS. Euchariſtiæ Sacrificium publicum Chriſti & toties Eccleſiæ nomine offerendum omnes Sacerdotio initiati ſimus.

** *Probatur idem error* 2'.) ex *Tertulliano*, qui L. de Caſtit. c. 7. ait: *Nonne & laici ſacerdotes ſumus? - - Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit*

ſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus a DEO.

Reſp. Legenti Tertulliani locum illum patebit, illum, ex propoſito abſterrendi amicum a ſecundis nuptiis, uti exaggerationis argumento iſto: omnes Chriſtiani in aliquo ſenſu, nimirum privato modo, ſunt Sacerdotes: atqui Sacerdotes non decet eſſe digamos: ergo nullum id decet Chriſtianum: ubi & majorem propoſitionem probat ex cit. loco Apoc. V. 10.: tum vero Tertullianum ipſum hoc eodem loco pro certo ſupponere, ſacerdotes publicos Eccleſiæ ordine differre a *laicis*, quos ibidem opponit veris *ſacerdotibus* iſtis. Dicit porro, *differentiam conſtitui Eccleſiæ* auctoritate; nimirum inchoate & ex parte; quatenus eligebantur a clero & populo ordinandi ad ſacerdotium; requiri tamen inſuper ordinem ſanctificatum a DEO, ipſemet addit.

521.

Etſi per ſe & ex propria poteſtate ſolus Epiſcopus, ex ordinaria vero delegata poteſtate etiam Sacerdos quivis, ſit miniſter diſpenſandæ in cibum & potum Sacramentalem SS. Euchariſtiæ: tamen idem miniſterium extra ordinem delegari poteſt etiam Diaconis.

Primum patet ex eo, quod univerſe ſoli Epiſcopi, ceu ſucceſſores Apoſtolorum qua talium, immediatam & propriam ex ſuo ordine habeant poteſtatem adminiſtrandi & diſpenſandi quæcunque Sacramenta; ſecundum illud Apoſtoli I. Cor. IV. 1. de ſe & aliis collegis Apo-

ſtolis

ſtolis dicentis : *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI*; tum vero ex eo, quod etiam ſacerdotes in adminiſtratione diſpenſationeque SS. Euchariſtiæ nunquam ſuo conſilio & arbitratu, ſed ſemper ex præſcripto Epiſcoporum ſuorum, agere ex legibus & antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina oporteat. Hinc nec omnibus univerſe ſacerdotibus, ſed iis ſolum, qui ad curam animarum & ſacramentorum adminiſtrationem ab Epiſcopis deputati ſunt, SS. Euchariſtiæ diſpenſatio jure ordinario in ſuis parœciis permiſſa eſt.

Alterum conſtat *ex Eccleſiæ praxi.* Nam *S. Juſtinus M.* in Apol. 2. & *S. Cyprianus* Tr. de lapſ. referunt, diaconum calicem præſentibus porrexiſſe. Idem de S. Laurentio Martyr teſtantur Acta paſſionis illius, & *S. Auguſtinus* ſerm. 37. de diverſis. Paria legere eſt in Concilio Aquisgranenſi a. 816. c. 7., & in Ordine Romano. Non tamen id licuiſſe diaconis ſine licentia Epiſcoporum & Presbyterorum, expreſſis verbis habet *Concilii Carthaginenſis* can. 38. & Epiſtola *Gelaſii I.* Papæ ad Epiſc. Lucan. & *Concilii Arelatenſis I.* canon 15. Hodie nec iſtius licentiæ uſus amplius eſt.

Accedit ratio: quia ſola diſpenſatio SS. Euchariſtiæ ipſa Sacramenti confectio non eſt, nec per ſe ad ſumtionem cibi etiam ſpiritualis ſacramentalis, jam antea præparati (513.), opus miniſtro omnino eſt: ergo nihil obſtat, quo minus illa diſpenſatio etiam illi delegari poſſit ab Epiſcopo, qui ipſe ex ſuo ordine poteſtatem ordinariam Sacramenti Chriſti conficiendi non habet, uti diaconus.

Digitized by Google

522.

Sacramenti SS. Euchariſtiæ perceptio, non quidem ad vitam ſpiritualem primo conſequendam, bene tamen ad eam in adultis ac ratione rite utentibus diutius conſervandam, neceſſarium medium eſt, in re quidem, ſi poſſit; in voto vero ſaltem implicito, ſi non poſſit in re percipi.

Probatur ex claris Chriſti verbis Joan. VI. duo dicentis; *primum* v. 50. & ſeqq. *hic eſt panis, de cœlo deſcendens, ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur*; id eſt, ideo de cœlo datus, ut &c.: & v. 57. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; in me manet, & ego in illo; manere* autem *in Chriſto* eſt, vitam ſpiritualem gratiæ ſanctificantis & amicitiæ Dei conſervare; *mori* eſt eam amittere: *alterum* v. 54. *amen amen* dico vobis: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis* (id eſt, conſervabitis; nam primo jam accipitur per baptiſmum; ſecus nec *moriendo* amitti ex neglectu SS. Euchariſtiæ poſſet, ſecundum illa priora, *ut non moriatur*) *vitam in vobis.* Et ne ſuſpiceris, ad ſolos præſentes tunc hæc fuiſſe dicta; acute S. *Auguſtinus* obſervat L. 1. de Peccat merit. c. 20., Chriſtum addidiſſe v. 52. *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi* (ſeculi) *vita*, id eſt, pro omnibus futuris in hoc mundo.

Itaque Chriſto dicente, ſi manducabis, non morieris; ſin minus, vitam non conſervabis; clarum eſt, eam eſſe neceſſariam ad conſervandam vitam: & cum ſit hujus vitæ nutriendæ medium poſitivum (517.); evidens eſt, eſſe medium neceſſarium (459.). *Porro* non niſi iis tale

tale medium neceſſarium eſſe poteſt, qui vitam ſemel acceptam in baptiſmo peccato quodam gravi amittere poſſunt; quod ſoli poſſunt adulti & compotes rationis; non parvuli & amentes; ergo *non parvulis*, *non amentibus*, ſed *ſolis adultis* ratione utentibus SS. Euchariſtia eſt medium ſpiritualis vitæ diutius conſervandæ neceſſarium. *Denique* cum Deus juſtis ſaltem hominibus orantibus nunquam ſubtrahi patiatur gratias ſufficientes & media abſolute neceſſaria ad conſervandam vitam ſpiritualem (Tract. de gratia §. 285.); fieri autem omnino queat, ut homo chriſtianus etiam juſtus diu nullam abſolute copiam habeat SS. Euchariſtiæ reipſa percipiendæ; imo ut ne ſciat quidem, illam, aut ſaltem illius votum explicitum, eſſe tam neceſſarium medium ad vitam animæ diu conſervandam (cum id ipſum Theologi valde communiter negarint): idcirco certum eſt, in tali hypotheſi ſufficere votum, etiam implicitum, percipiendi & adhibendi cum omnibus aliis id genus neceſſariis vitæ ſpiritualis mediis etiam SS. Euchariſtiæ Sacramentum.

* Ratiocinium hoc ex Chriſti dictis tam manifeſtum eſſe mihi videtur; ut certa mihi videatur ſententia hæc S. Thomæ Aquinatis in 3. p. q. 73. art. 3., & a pluribus aliis Theologis poſt illum defenſa. Et vero rationes omnes, quas communem adverſam ſententiam defenſuri Theologi contra afferunt, non niſi id probant, quod SS. Euchariſtia non ſit medium tale neceſſarium ad vitam ſpiritualem primo obtinendam, & ſalutem ſimpliciter conſequendam; ac proinde nec parvulis omnino ſit in re neceſſaria; de quo tamen quæſtio revera non eſt. Nam ſalva theſi hic aſſerta, ajo porro:

Digitized by Google

523.

Parvulis omnino neceſſaria non eſt Sacramenti SS. Euchariſtiæ perceptio. Nec enim VERBA CHRISTI, *niſi manducaveritis &c.*, id probant; ut ex §. præc. patet; ut adeo ob diſcrimen ſubjectæ materiæ manifeſta ſit diſparitas ab illis verbis Chriſti de baptiſmo, ceu medio primæ regenerationis ſpiritualis, Jo. III. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*; & *quod natum eſt ex carne caro eſt; quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt;* quæ aperte omnes natos ex carne, adeoque & parvulos tangunt (460. 463. not. 2.): cum altera Chriſti verba Jo. VI. 50. *ut, ſiquis manducaverit, non moriatur*, parvulis aperte non quadrent; qui mori ſecundum ſpiritum peccato alioquin non poſſunt.

Nec VERBA S. PAULI ita ſentire permittunt, dicentis de omnibus baptizatis ad Rom. VIII. 1. *nihil damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu;* nec SENSUS ECCLESIÆ, quæ jam inde ſaltem a duodecim ſeculis cœpit parvulis ſubtrahere hoc Sacramentum; nec SS. PATRES; puta ex græcis *SS. Cyrillus Jeroſ.* catech. 18., *Baſilius M.* Exhort. ad Bapt., *Gregorius* uterque Naz. & Nyſſ. hom. de Bapt., *Chryſoſtomus* hom. ad Baptiz.; ex latinis vero inprimis *S. Auguſtinus* Epiſt. 98. ad Bonif. & 165. ad Hieron., omnium vero diſertiſſime in L. 1. de peccat. merit. & rem. c. 19.; ubi ait: *ſi parvulus percepto baptiſmate emigraverit de vita, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in æternum, juſtificatos præſentia creatoris illuminat. Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum; quæ ſolvuntur Chriſti gratia.*

Unde

Digitized by Google

Unde CONCILIUM TRIDENTINUM Seſſ. XXI. cap. 4. *docet, parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramenti Euchariſtiæ communionem: ſiquidem* (rationem attende) *per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Et ibid. can. 4. definit: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem; anathema ſit.*

* Ex Græcis a ſeculo XI. nonnulli cum Simeone Theſſalonicenſi L. de Sacram., ab Arcudio L. III. de Sacram. Euch. c. 40. citati, docuere, etiam parvulis SS. Euchariſtiam neceſſarium medium ſalutis eſſe. Calviniſtæ concordi ſententia tenent, omnibus fere Patribus primorum ſeculorum eandem ſententiam fuiſſe; eoque ipſo fundamento nixam fuiſſe praxin, qua tot ſeculis SS. Euchariſtia infantibus mox cum Baptiſmo conſueverit adminiſtrari.

Verum *Tridentini Patres* l. cit. cap. 4. aliud tenuere, dicentes: *ut Sanctiſſimi illi Patres ſui facti* (id eſt, baptizandi parvulos) *probabilem cauſſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe, eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Nihilominus poſt Tridentinum adhuc *Maldonatus* (quod mirere) in Comment. in Joan. VI. ſcripſit, opinionem neceſſitatis Euchariſtiæ per ſexcentos annos in Eccleſia viguiſſe. Interim nimium probaret ea praxis primæ Eccleſiæ; videlicet etiam Confirmationis Sacramentum eſſe parvulis ita neceſſarium; quia hoc olim item cum Baptiſmo & SS. Euchariſtia parvulis communiter tribus ſaltem primis ſeculis adminiſtrabatur.

** In-

** Interim fatenda ſemper veritas eſt ab omni, qui eam amat ſincere. *S. Auguſtinus* pluribus quidem locis, inprimis autem loco paullo ante citato, nempe in L. 1. de peccat. meritis & rem. mox ſeq. cap. 20. talia affert de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ, ut probaturus contra Pelagianos, parvulos ſine baptiſmo non ſolum non ad *regnum cœlorum*, ſed nec ad *vitam æternam* perventuros (quod poſterius nova diſtinctione fingebant Pelagiani) plane & affirmate aſſerat, ea Chriſti verba, *niſi manducaveritis* &c., etiam ad parvulos pertinere; ſimulque legenti textum cuique perſpicuum eſſe debere videtur, quod probat accurate Tournelius; videlicet S. Doctorem non de ſpirituali ſolum carnis Chriſti manducatione (quod multi ad eum excuſandum dixere) ſed plane de Sacramentali id diſſerere: ut adeo nec textus Auguſtini antea ex cap. 19. libri cit. citatus non niſi de parvulis loqui videri poſſit, qui pro more illius ætatis ſimul cum baptiſmo Sacramentum altaris percepiſſent.

Tournelius putat, S. Auguſtinum uti ſolum argumento ad hominem; eo quod nempe Pelagiani admitterent, SS. Euchariſtiam vi prædictorum verborum Chriſti eſſe neceſſariam. Sed ſincere fateor, etiam hanc mihi excuſationem videri talem, quæ ſaltem nullo indicio, in contextu S. Doctoris ſe prodente, firmari poſſit.

Certius illud eſt, Auguſtinum locis objectis totum in eo eſſe, ut refutet Pelagianorum figmentum de *vita æterna parvulorum*, regno cœlorum ob defectum baptiſmi excidentium; atque ad id uti argumento prædicto; quin ex inſtituto ac propoſito examinet quæſtionem

ſtionem, an parvulis jam ope baptiſmi ſanatis a peccato originali neceſſaria abſolute ſit SS. Euchariſtia: ſolumque id pro certo habere, quod, cum ob baptiſmi defectum jam excludantur a regno cœlorum, ob defectum etiam SS. Euchariſtiæ nec ad vitam æternam perveniant.

*** Facilius *S. Innocentium I.* Papam vindicant Theologi a ſimili ſententia de neceſſitate realis manducationis carnis Chriſti in SS. Euchariſtia, dicendo, illum ſolum loqui disjunctive de ſpirituali, vel reali; quarum cum ſine baptiſmo neutra detur in parvulis, nec ad vitam æternam pertingere poſſint. Sic enim habet illius S. Papæ Epiſtola ad Patres Milevitanos: *qui hanc* (vitam æternam, verbis Chriſti deſignatam, *niſi manducaveritis* &c.) *eis ſine regeneratione defendunt; videntur ipſum Baptiſmum velle caſſare; cum prædicant, hos habere, quod in eos creditur non niſi Baptiſmate conferendum.* Ubi ſupponit S. Innocentius, etiam baptiſmate conferri parvulis id, quod non eis conferri a Chriſto dictum eſt, niſi manducaverint carnem filii hominis.

**** *S. Gelaſii I. Papæ*, qui ſedit ab a 492., epiſtola ad Epiſcopos Picenos rurſus difficilius excuſatur, quam S. Innocentii I. Sic enim illa habet item contra Pelagianos: *Ipſe Dominus pronuntiat: niſi manducaveritis &c.: ubi utique neminem videmus exceptum: nec auſus eſt aliquis dicere, parvulum ſine hoc Sacramento ſalutari ad vitam æternam poſſe perduci.* Nihilominus per *Sacramenti* vocem etiam intelligi a Gelaſio potuit manducatio carnis Chriſti in genere, ſeu ſpiritualis

tualis in Baptiſmo, ſeu realis in SS. Euchariſtia; utraque enim Sacramentum eſt. Sed denique illud certum, utrumque Papam hunc id ſolum contra Pelagianos dogmatis loco aſſerere voluiſſe, parvulos ſine baptiſmo ne ad vitam quidem æternam pervenir : pro quo rationem quidem illam quocunque ſenſu ex Chriſti verbis de SS. Euchariſtia attulere; quin tamen æque ſemper ab errore immunes ſint rationes deciſionum fidei, atque deciſiones iſtæ ipſæmet.

524.

Ad fructum denique cuique neceſſarium ex SS. Euchariſtiæ perceptione obtinendum minime ex Chriſti inſtitutione neceſſarium eſt, ut eadem a non actu ſacrificantibus ſumatur ſub utraque ſpecie, panis, & vini.

Dogma Catholicum *probatur* 1°.) EX VERBIS CHRISTI Jo. VI. 52. dicentis de ſola ſpecie panis: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et v. 58. *qui manducat me, & ipſe vivet propter me. - - Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quibus ſane verbis ſatis explicavit, quæ deinde addidit v. 53. *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem; non habebitis vitam in vobis;* intelligenda eſſe vel disjunctive, vel non de manducatione & potatione, quæ utraque formaliter in ſe ſenſibilis ſit; ſed ita, ut ſub ſpecie cibi etiam ſimul ſumatur ſanguis, & viciſſim: ſicuti & illa v. 54. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.*

Proba-

Digitized by Google

Probatur 2'.) EX TRADITIONE Eccleſiæ perpetua, ceu optima verborum Chriſti interprete. Conſtat enim a) olim SS. Euchariſtiam fidelibus conceſſam eſſe domum, in deſerta, in itinere ſecum aſportandam pro ſpirituali refectione; de qua conſuetudine teſtis eſt *Tertullianus*, *S. Baſilius*, *S. Ambroſius*, *S. Gregorius Naz.*, jam ſupra §. 513. probat. 2. citati. De ipſo S. Ambroſio narrat *S. Paulinus* in ejus vita, S. Honoratum Vercellenſem, cœleſti voce admonitum, de nocte S. Ambroſio morituro obtuliſſe SS. Corpus Domini, quod ubi deglutiverit, continuo emiſiſſe ſpiritum. In omnibus his factis hiſtoricis, uti nec usquam alibi in documentis antiquis Eccleſiaſticis, occurrit usquam aliqua mentio de ullo genere vaſis, in quo vinum conſecratum aſſervaretur pro ægris; cum tamen turriculæ & columbæ pro aſſervanda ſpecie panis deſtinatæ hodiedum extent.

b) Mos ægris & parvulis dandi SS. Euchariſtiam ſub una ſpecie viguit ad ſeculum duodecimum usque teſte Hugone a S. Victore L. 1. de Sacr. c. 20. *Paſchalis II.* Papa Epiſt. ad Pontium a. 1118. præcepit, ut parvulis & infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt, in ſolo pane SS. Euchariſtia detur, vetatque utramque ſpeciem miſceri. Hiſtoriam de *Serapione* ægroto ab Euſebio VI. 44. relatam vide ſupra §. 513. lit. c. *Concilium Toletanum XI.* Can. 11. infirmis ſolam ſpeciem vini miniſtrari jubet.

c) Etiam in publicis ſacris olim SS. Euchariſtia ſub ſola ſpecie panis miniſtrabatur. Nam teſte *S. Hieronymo* ep. 22. ad Euſtoch. non nullæ virgines Romanæ ita erant abſtemiæ, ut ne quidem ſpeciem vini in SS. Myſteriis ſu-

merent, a maledicis idcirco Manichææ appellatæ; quia Manichæi a vino ceu re mala abſtinebant. S. Leo M. ſer. 4. de Quadr., ut Manichæi Romæ latentes detegerentur, plebem monuit, eos obſervaret, quin in Menſa altaris a divino poculo abſtinerent: quod certo indicio eſt, liberum tunc fuiſſe, unam, vel utramque ſpeciem Euchariſtiæ ſumere; ſecus Manichæi, unam tantum ſumentes, occulti eſſe non potuiſſent.

Tandem *Gelaſius I.* Papa, ut Manichæi iidem certo indicio detegi poſſent decrevit diſt. 2. de Conſecrat. c. 12, ut Communio ſub utraque ſpecie ſumeretur: cui tamen decreto, mutatis rerum adjunctis, deſuetudine brevi derogatum denuo fuit; uti apparet porro d) *ex Miſſis præſanctificatorum*; in quibus Sacerdos, omiſſa nova conſecratione, ſumit ſolam ſpeciem panis pridie jam conſecratam; qui mos antiquiſſimus, & jam in Ordine Romano pro die Veneris Sancto præſcriptus, hodiedum viget in latina Eccleſia; in græca vero Eccleſia obtinet toto tempore quadrageſimali, exceptis Sabbatis & Dominicis, ac feſto Annuntiationis; prout ex illius Euchologiis videre eſt apud Arcud. L. 3. de Euch. c. 5. & in Michaëlis Cærularii L. pro defenſ. præſanctif. Imo licet græci ſchiſmatici conſentiant Lutheranis quoad Communionem ſub utraque ſpecie ſumendam; tamen etiam nunc recentiore ritu in Miſſis præſanctificatorum ſpeciem panis ſic ſanguine Domini tingunt, ut poſtea eam igne ita rurſum exſiccent, nullus ut humor remaneat.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. *Conſtantienſe* Seſſ. XIII. declaravit, conſuetudinem laicis SS. Eucha-

Euchariſtiam ſub una ſolum ſpecie panis diſpenſandi eſſe rationabiliter inductam, nec eſſe legi divinæ adverſam; quod confirmavit *Baſileenſe* Concilium Seſſ. XXX., & *Tridentinum* Seſſ. XXI. can. 1. definiit: *Siquis dixerit, ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem SS. Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit:* & can. 2. *Siquis dixerit, S. Eccleſiam non juſtis cauſſis & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret; aut in eo erraſſet; anathema ſit:* Can. 3. *Siquis negaverit, totum & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem & auctorem, ſub una ſpecie ſumi; quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti conſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur; anathema ſit.* Atqui erraſſet Eccleſia ſubtrahendo alteram ſpeciem laicis &c. ſi non niſi utriusque ſpeciei ſumtione fructus ex medio & alimento vitæ ſpiritualis tam neceſſario vi inſtitutionis Chriſti obtineretur.

Probatur 4°.) RATIONE. Una enim ſpecies pani jam ſacramentum eſt, ſeu ſignum ſacrum, realis præſentiæ totius Chriſti, ceu panis vivi, qui de cœlo deſcendit; ac proinde etiam ſignificatur indirecte etiam adeſſe ſanguis, itemque effectus utriusque, nimirum refectio ſpiritualis; ac denique annuntiatur mors & paſſio Chriſti, cujus virtus nobis in hujus cœleſtis panis ſumtione ſacramentali modo applicatur ab ipſo præſente Chriſto, auctore & fonte omnium gratiarum. Ergo ad fructum neceſſarium hujus Sacramenti conſequendum opus ſimpliciter & ex natura Sacramenti non eſt, ut ſumatur ſub utraque ſpecie.

* Seculo XIV. Pragæ in Bohemia Petrus Dreſdenſis Ludimagiſter, & Jacobellus Miſnenſis Concionator, ſpeciem vini laicis quoque neceſſariam eſſe ad fructum Sacramenti accipiendum docuerunt: quibus initio Seculi XV. ſe adjunxit Joannes Huſs. Ex hujus cineribus duæ factiones emerſerunt; videlicet Taboritæ a urbe Tabor duce Joanne Ziska, ; & Calixtini ab uſu calicis, quem ambiebant, appellati duce Roqueſane. His Sec. XVI. pro odio Eccleſiæ Romanæ ſuffragati ſunt Lutherus & Calvinus, tyrannidem appellantes ſubtractionem calicis, ab illa in fideles uſurpatam.

Urgebant illi 1'.) Chriſti verba Jo. VI. *niſi manducaveritis* &c. *& biberitis* &c.: item illa Matth. XXVI. *bibite ex eo omnes*, & Luc. XXII. *hoc facite in meam commemorationem*; denique illa I. Cor. XI. 25. *hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, ceu ad omnes fideles dicta. Sed primis jam explicatio addita hic in probat. 1. Reliqua negamus ad alios, quam ad Apoſtolos dicta fuiſſe (520. not. 1.). *Bibite omnes*, ideo dixit Chriſtus; quia ex eodem calice omnes bibituri erant; quapropter & addit, *divite inter vos.*

Urgebant 2'.) Gelaſii I. Papæ decretum c. *Comperimus.* de Conſecr. cl. 2. in quod dicit: *diviſio unius & ejusdem myſterii non poteſt fieri ſine grandi ſacrilegio. Reſp.* Dicit id de Manichæis, propria auctoritate & ex gravi errore calicem reſpuentibus, tanquam a malo principio venientem.

** *Quærunt*: an utriusque ſpeciei ſumtio plus gratiæ tribuat; quam unius tantum. *Reſp.* 1. Tridentinum Seſſ. XXI, cap, 3. docet: *quod ad fructum attinet*,

net, nulla gratia, neceſſaria ad ſalutem, eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt. Et hoc ex allatis hoc ipſo §. certum eſt. *Reſp.* 2. Etſi communior Theologorum ſententia ſit, nihilo plus gratiæ ex utraque quam ex una ſolum ſpecie ſumta accipi; peculiarem tamen, etſi non neceſſariam, gratiam accipi ex ſumtione ſpeciei vini conjuncta ſpeciei panis equidem, ſequente inprimis ratione inductus, exiſtimo. Signum Sacramentale eſt convivium, cibo ſimul & potu conſtans, idemque ſignificans, analoge, uti cibo & potu corpus, ſic corporis & ſanguinis Chriſti reali præſentia & participatione animam refici. Jam vero peculiaris potus vini in convivio effectus eſt non ſolum ſedare ſitim (revera enim inter famem & ſitim ſpiritualem diſcrimen non eſt; ut adeo ex hoc titulo ſpecialis gratia derivari non poſſit) ſed excitare lætitiam & hilaritatem. Itaque, cum non fruſtra omnino ſub gemina ſpecie, & nominatim non ſub ſpecie *aquæ*, ſed *vini*, inſtituerit hoc Sacramentum Chriſtus Dominus; perveriſimile eſt, ex ſpecie vini itidem ſumta conſequi hunc ſpecialem, per ſe quidem non neceſſarium minime tamen contemnendum fructum ſpiritualis lætitiæ; quæ ſummam præſtat utilitatem in progreſſibus vitæ ſpiritualis.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Tractationem argumenti aggredior, in quo attentione opus eſt, ut diſcernas, quid ad Theoreticam Theologiam Chriſtianam pertineat, quid ad practicam, ſeu moralem. Multa theoreticos Theologos hic tractaſſe, quæ practicæ ſunt propria, extra controverſiam eſt. Equidem hos mihi limites theoreticæ tractationis in hoc Sacramento ſtatuam, ut, quidquid ad *Sacramenti* plenum effectum ac *valorem* neceſſarium ſit, explicare officii mei præſentis exiſtimem; id vero, quod ad *officia* ſolummodo, *ſive pœnitentis*, *ſeu Miniſtri Sacramenti hujus*, pertinet, ad practicam Theologiam remittam.

525.

Sacramentum Pœnitentiæ appellamus legitimam abſolutionem chriſtiano baptizato a peccatis poſt baptiſmum admiſſis datam ab homine, ceu Chriſti miniſtro, ſive ex poteſtate a Chriſto relicta.

526.

I. *Ea, quæ neceſſaria ſunt ex parte pœnitentis ad hoc, ut Deus ipſe abſolute remittere peccata eidem poſſit, & ſine quibus Deus ipſe remittere non poſſet, etiam a priori requiruntur, ut Sacramento Pœnitentiæ remitti peccata ab homine ejus miniſtro poſſint.*

II. *Præ-*

Digitized by Google

II. *Præcipuum caput hujus tractationis eſt, oſtendere, quod data talis poteſtas hominibus a Chriſto ſit; qualis in ſpecie, quanta; quibus; quo ritu Sacramentali exercenda; ſub quibus requiſitis ex parte pœnitentis, ut valide & cum fructu exerceatur; denique an ſit neceſſitas hujus Sacramenti a Chriſto impoſita, & qualis.*

·527·

Chriſtus Dominus Apoſtolis, ceu Eccleſiæ ſuæ præpoſitis, veram poteſtatem remittendi peccata poſt baptiſmum admiſſa conceſſit.

Dogma Catholicum capitale in hac tractatione *probatur* 1°.) EX VERBIS CHRISTI DOMINI. Matth. XVIII. 18. poſtquam regulas fraternæ correctionis tradiderat Dominus, eumque, qui aures illi non præberet, ad Eccleſiam deferri juſſerat (*quodſi non audierit; dic Eccleſiæ*) oſtenſurus, quantam in Eccleſia auctoritatem ejus præpoſitis, nempe Apoſtolis daturus eſſet, ſubdit v. 17. *ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Enimvero totus ille ſermo Domini ad diſcipulos ſeu Apoſtolos Chriſti dirigitur; uti ex ipſo exordio Matth. XVIII. 1. patet: *in illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum &c.*

Itaque hic Chriſtus pronuntiat, eum e tota ſocietate ſuæ Eccleſiæ extorrem pronuntiandum, ac proin omnibus ejus emolumentis, juribus, Sacramentis, ac mediis ſalutis, eidem propriis excludendum, qui publica Eccleſiæ cor-

rectione non fuerit emendatus, ſed contra eam obſtinaverit animum in peccato. Tum vero, ut certitudinem illius effectus in obſtinato peccatore ob oculos ponat divinus Servator, promittit, tantam ſe poteſtatem in Eccleſia daturum Apoſtolis, *ut*, *quæcunque alligaverint*, *ligata ſint in cœlis*, id eſt, ratione cujuſcunque delicti quoscunque excluſerint a remediis ſalutis Eccleſiæ ſuæ propriis, ii excluſi eisdem in cœlo habendi ſint; *& quæcunque ſolveritis &c.*; id eſt, quæcunque peccata, ſeu ſalutis obſtacula, ſuſtuleritis, pro ſublatis habenda ſint in cœlis.

Porro quod promiſit Chriſtus Matth. XVIII., id reipſa præſtitit Joan. XX. 21. eisdem Apoſtolis dicens: *ſicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos* (id eſt, pari fine, & poteſtate ſimili ſaltem, ſi non æquali): - - *quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur eis*; *& quorum retinueritis*, *retenta ſunt*. Proprius verborum Chriſti, per ſe clarorum, ſignificatus exprimit aperte collatam Apoſtolis hoc loco veram remittendi peccata poteſtatem, eoque cum effectu, ut remiſſio ab eis facta in cœlis apud Deum certo ſit ratihabenda.

Ait enim, ſe mittere Apoſtolos, *ſicut* ipſe miſſus eſſet a Patre: ac proinde, ut oſtenderet caput ſimilitudinis miſſionis utriusque, addit: *quorum remiſeritis* &c.; id eſt: ſicut, quorum ego remiſi peccata, eis remiſſa fuere in cœlo; ſic &, quorum vos remiſeritis &c. Porro Chriſtum vere remiſiſſe peccata, extra dubium eſt. Ergo & Apoſtolis veram poteſtatem remittendi peccata tradidit. Proprio enim in ſenſu accipienda eſſe Chriſti verba in re tam gravi, ubi poteſtatem miniſtrorum ſuorum & Vicariorum in regenda Eccleſia in perpetuum definit, extra dubium

dubium tamdiu eſt; quamdiu nullo evidente abſurdo retinemur.

* Jam vero, ut ad evidentiam uſque pateat, proprium verborum Chriſti ſignificatum prorſus habere locum, alia re haud opus eſt, quam ut actio remiſſionis peccati, ſeu exercitium veræ poteſtatis remittendi peccata hominum, prout in Chriſto ut DEO & ut homine locum habet, diſtincte & complete definiatur, ac declaretur. Exinde enim continuo apparebit; an, & quo pacto, in merum hominem ceu Chriſti miniſtrum cadat, & decenter illi a Chriſto committi potuerit, ac proinde actu commiſſa fuerit. Hanc declarationem tam exoptatam, & ſequelarum clariſſime fluentium fœcunditate plenam, niſi fallor magnopere, dabunt ſequentia principia, jam alias partem potiſſimam a me ſtabilita, & explicata; cum nondum de applicatione illorum ad præſens argumentum mihi cogitatio incideret.

528.

1°.) *Remittere Deum peccata*, ſeu culpas, hominum nihil aliud eſt, quam Deum earum intuitu haud amplius, ceu a ratione ſufficiente morali (demerito, malitia morali Eth. univerſ. chriſt. §. 210.), in actu ſecundo permoveri ad decernendam pœnam eis reſpondentem, ac per ſe propriam; æternam nimirum pro gravibus, temporaneam proportionatam pro levibus peccatis (Eth. cit. §. 263.). In *perfecta remiſſione* nulla amplius pœna omnino decernitur, in *imperfecta* ſaltem non propria, & malitiæ proportionata.

 2°.) Quo-

2'.) Quoniam pœna, æterna, & temporalis, naturali ratione ex peccatis etiam in altera vita conſequitur ex eo ſolo, quod Deus etiam poſt mortem corporis animas rationales conſervare pergat (Eth. cit. §. 197. 199. 200. 207. 224.); idcirco, *ut Deus remittat pœnam, ſeu temporalem, non ſufficit, ut mere permiſſive, vel negative ſe habeat, ſed opus eſt, ut poſitivam benevolam efficacem voluntatem erga reum peccati concipiat*, qua velit eum eripere e malis effectibus pœnalibus peccati, ex natura ejus ultro conſecuturis; *id eſt, reo culpæ gravis debet reſtituere gratiam ſanctificantem* (Tract. IV. §. 307.); qua & actuales neceſſarias gratias omnes durante vita mortali, & hac bene finita intuitum ſui beatificum concedere eidem actu paratus ſit: *erga reum vero culpæ venialis concipere decretum poſitivum benevolum debet, ſine dilatione temporanea illum ſtatim aſſumendi ad eandem beatitudinem a morte corporis.*

3'.) Quoniam reſtituere gratiam ſanctificantem, id eſt, determinare in Deo exiſtentiam decreti benevoli efficacis &c. (Tract. IV. §. cit.) non niſi Dei ipſius propria & immanens actio eſt; nec niſi reſtitutione talis gratiæ ſanctificantis remiſſio peccati fieri poteſt (n'. 2. præc.); idcirco *remittere peccata talis eſt actio, quæ non niſi a Deo ut a principali & immediato auctore exiſtere poteſt, & nequaquam a creatura.* Atque hoc ſenſu Scribæ & Phariſæi Luc. V. 21., cum audiiſſent Chriſtum dicere paralytico, *remittuntur tibi peccata tua*, recte concluſere: *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

4'.) Porro tamen *nec Deus omnino gratis*, aut ſine omni acta a reis pœnitentia, veluti pro arbi-

arbitratu remittere peccata poteſt; *& univerſe* non niſi ſub conditionibus & in iis caſibus; in quibus remiſſio ſalvo bono communi maximæ humanæ ſalutis locum habet (Eth. univ. chriſt. 208. 216. I. 221. 256.); ac proinde *non niſi ſub certo judicio & conſilio ſapientiæ ſuæ peccata remittere pro infinita etiam miſericordia poteſt; quo judicet, remiſſionem, perfectam, vel imperfectam, non obeſſe bono communi maximæ ſalutis hominum.*

5'.) Secundum idem ipſum conſilium ſapientiæ ſuæ in præſente hypotheſi *Deus actu decrevit peccata nulli hominum remittere, niſi pro quo efficaci voluntate Chriſtus ejus Filius, Deus & homo, ſacrificium mortis ſuæ, ejusque merita, obtuliſſet* (Tract. V. de Incarn. §§. 393. 407.), idque ſingulari commendatione infinitæ benevolentiæ & miſericordiæ ſuæ erga homines peccatores.

6'.) Sicut ergo ſacrificium mortis Chriſti, cunctaque ejus merita, a libera SS. Humanitatis Chriſti voluntate quoad ſuam exiſtentiam pendebant (de Incarn. 373. 381. II. III.); ita pariter per dicta n'. præc. omnis remiſſio peccatorum in præſente hypotheſi vi decreti amabiliſſimi divini pendet a libera voluntate SS. Humanitatis Chriſti, ſacrificium mortis ſuæ ejusque pretium libere pro ea redimenda offerentis, & applicantis; atque in eo ſenſu *nunc etiam Chriſtus ut homo, ſeu actione libera SS. Humanitatis ſuæ, cauſſa moralis & meritoria eſt omnis remiſſionis peccatorum; eoque ſenſu etiam ut homo remittit peccata, quod ſecundum conſilium divinæ Sapientiæ, ſibi a Verbo manifeſtatum, efficaci abſoluta voluntate ſolum iis exoret gratiam Dei, qui ex ſua parte implent conditiones pœnitentiæ perfectæ, vel*

Digitized by Google

vel imperfectæ, a Dei juſtitia præſcriptas. Atque is eſt uſus miſericordiæ divinæ, ab SS. Humanitate Chriſto factus; de quo dixi in Tr. de Incarn. §. 417. Hoc quoque ſenſu dixit Chriſtus Jo.V. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius, quos vult, vivificat:* id quod de vita animæ ſe maxime dixiſſe ut indicaret, mox addit: *neque enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.*

7'.) Dum itaque Chriſtus ait Jo. XX. 21. ad Apoſtolos ſuos: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum* (id eſt, *Spiritum* ſapientiæ, quo opus eſt ad officium grande, quod vobis impono: *Spiritum* meum; ut ſecundum intentionem cordis mei eodem officio fungamini): *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta ſunt*: cum, inquam, *Chriſtus* hoc dixit *Apoſtolis ſuis;* nunquid *officium judicis, a Patre ſibi delatum, ut in terris ſua vice in remittendis, aut retinendis peccatis gererent, commiſit?* id eſt, ſecundum ipſum divinæ Sapientiæ conſilium ſibi a Divinitate manifeſtatum etiam ut homo ob maximum communis ſalutis bonum voluit, ut meritum mortis ſuæ ad remiſſionem peccatorum apud Deum Patrem nulli applicaretur; niſi applicatio fieret voluntate & officio eorum, quos ſui vicarios in officio judicis omnium hominum in terris reliquiſſet.

8'.) *Hoc* itaque *ſenſu Apoſtoli potuerunt accipere, & vi proprii ſignificatus verborum Chriſti actu acceperunt veram poteſtatem remittendi vice & nomine Magiſtri ſui peccata;* quod nimirum non niſi interveniente illorum officio judiciali, & ſeria

ria voluntate, requiſita a Divino Patre applicatio actualis meritorum mortis Chriſti (hic n. 5.) in particulari fieret; atque hoc modo Deus Pater non niſi per Chriſtum ut hominem, nec Chriſtus homo niſi per Vicarios Apoſtolos, aut horum in eo officio ſucceſſores, peccata remitteret; id eſt, Vicarii Chriſti in cauſſa eſſent, ut Chriſtus ut homo vellet applicata eſſe merita ſua ad impetrandam denuo benevolam Dei Patris gratiam, ut Deus Pater volente Chriſto ctu hanc benevolam voluntatem erga peccatores conciperet.

9'.) Sicut vero nec *Chriſtus* actualem applicationem abſolute efficacem meriti mortis ſuæ velle potuit in ordine ad remittenda alicui peccatori peccata, niſi ex certo conſilio Sapientiæ divinæ, ſibi ut homini manifeſtato a Divinitate; nec niſi ſub conditione actæ a peccatore debitæ pœnitentiæ (hic n'. 4.). & nullius præjudicii bono communi maximæ hominum ſalutis exinde orituri: ita *nec eam poteſtatem veram & efficacem remittendi peccata dare aliter Apoſtolis ſecundum idem conſilium divinæ Sapientiæ potuit; niſi exercendam etiam ab ipſis cum conſilio ſapiente ac certo judicio, quod facta remiſſio nec ipſi ſaluti peccatoris nimia facilitate ſua obſtaret, nec bono communi maximæ ſalutis hominum ulla ex parte præjudicaret.*

10'.) Denique *hoc ipſum officium judicis in ordine ad remittenda hominum peccata haud alio conſilio & fine a ſe transmittere in homines ſui Vicarios Chriſtus potuit; niſi quod exinde conſecuturum majus ſalutis humanæ in communi incrementum certiſſime prævideret.* 2.) Eo ipſo vero, quod ad hoc officium vere divinum (hic n'. 3.)

rite

rite & ad maximam ſalutem humani generis ex conſilio divinæ ſapientiæ exercendum pæne divina ſapientia requiratur; vel hoc ſolo nomine *veriſimile non eſt, Chriſtum id officium aliis, quam Apoſtolis, aut quibus iſti illud maximo cum delectu transmitterent, commiſiſſe; nequaquam vero omnibus chriſtianis ex æquo & ſine diſcrimine commune eſſe voluiſſe.*

* *Decem canones* hi ſunt, ex quibus in univerſam tractationem hujus Sacramenti lux pæne meridiana, niſi equidem totus cœcutiam, transfundetur. Certe *Jus aggratiandi,* ut vocant (quale eſt haud dubie poteſtas remittendi peccata, Chriſto ut homini a DEO Patre, & Apoſtolis a Chriſto Homine conceſſa) etiam in Jure publico Sociali ſummis Principibus competere, & ab his transmitti in ſui Vicarios, ſe abſentibus regimini præfectos, aut in viros de republica ſingulari quodammodo bene meritos poſſe, ſed non niſi ſub regulis per hos decem canones expreſſis, Doctores illius Juris optimi quique accurate demonſtrant. Vide inter alios Wolfium Jur. Nat. P. VIII. §. 656. ſeqq. 843. ſeq.

** Primi fuere *Novatiani,* qui jam medio Sec. III. negarent, conceſſam a Chriſto Eccleſiæ in ſuis miniſtris fuiſſe poteſtatem remittendi peccata. Hiſtoriam hanc habemus ex Epiſtolis S. Cypriani & S. Cornelii Papæ, ex Euſebio VI. 43. & ex S. Paciano, qui ſenium ſummum extraxit uſque ad annum 398. Lis tamen inter ſcriptores eruditione præclaros eſt; an ipſe *Novatianus* illorum princeps mox omnem id genus Eccleſiæ poteſtatem abjudicarit; an ſolum limitatam admiſerit, excipiendo ab ea crimen idololatriæ, & quædam alia graviora. Prius illud contra Juenin & Le

Le Drouw *probat P. Berthi* de Sacram. Poenit. p. 293. ex S. Epiphanio hæreſ. 59.; ex S. Philaſtrio hær. 82. S. Ambroſio L. 1. de Pœnit. c. 3., S. Eulogio Alexandrino apud Photium Cod. 182.; quibus alii addunt Euſebium VII. 8., & S. Auguſtinum hæreſ. 38. dicentem de Novatianis rotunde: *Poenitentiam negant.*

Reponit Juenin his teſtimoniis. q. 1. c. 1., hos Patres non ſatis aſſecutos fuiſſe mentem Novatianorum. At *Berthi replicat*, nimis confidenter & irreverenter hoc dici; cum omnia ad concordiam revocari illorum teſtimonia poſſint, dicendo: Novatianos poſtea mitigaſſe doctrinam quoad crimina leviora ſecundum S. Ambroſii edictum, l. cit. dicentis: *ſed ajunt, ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri erroris Novatianus; qui nemini dandam pœnitentiam putavit.*

Nihilominus in eo *aſſentiendum Juenino* exiſtimo, Novatianum non negaſſe omnibus peccatis veniam Eccleſiæ; quia ipſe *S. Cyprianus* coævus & cauſſæ adverſarius, arguit hoc nomine Novatianum in Ep. 52. ad Antonianum, quod mœchos & adulteros admittat ad pœnitentiam, & idololatras excludat. Novatiani vero ſaltem diſcipulos excluſiſſe omnes peccatores a venia, probant Patres a Berthio allegati; ſed nec illos conſenſiſſe inter ſe, perſpicuum videtur ex recitato S. Ambroſii textu.

*** De *Waldenſibus*, *Wicleffo*, & *Huſsio* probat Ill. Boſſuet in Hiſt. Variat. L. XI. n. 104. & 165., non negaſſe eos poteſtatem remittendi peccata ſecundum ſe, ſed eam improbis Sacerdotibus abjudicatam communem voluiſſe omnibus probis, etiam laicis.

**** Poſt

Digitized by Google

**** Poſt Novatianorum ſectam aliquam ſolus *Lutherus*, *Zwinglius*, & *Calvinus* Sec. XVI. negarunt, relictam a Chriſto in Eccleſia eſſe veram poteſtatem remittendi peccata; revocantes eam ad ſolum munus prædicandi remiſſionem peccatorum, & declarandi, credentibus in Chriſtum, & fide fiduciali apprehendentibus ejus merita, iterum imputari juſtitiam Chriſti, in Baptiſmo ſemel acceptam, ſicque remitti peccata, ut redeant ad gratiam Baptiſmi: unde & pœnitentiam nihil eſſe aliud docebant, quam reditum ad Baptiſmum; parique facilitate peccata remitti poſt Baptiſmum admiſſa, atque admiſſa ante illum; nec proinde abſolutionem eſſe actum *judicis*, ſed *præconis* textum.

***** Porro Novatores iſti contra argumentum ex Chriſti verbis allatum ſic *objiciunt* 1°.) Solus DEUS poteſt remittere peccata. 2°.) *Remittere peccata* in SS. literis ſæpius alia non aliud ſignificat, quam declarare, quod ſint remiſſa. Sic Chriſtus, dicens S. Magdalenæ, *remittuntur tibi peccata*, per hæc verba ſolum declaravit remiſſionem jam antea illi factam, *quia dilexit multum*.

Verum jam oſtenſum eſt hic n. 6. & 8., etſi DEO ut principali auctori conveniat remiſſio peccatorum; eam tamen etiam cadere in Chriſtum ut hominem, & in Apoſtolos ut ejus vicarios. Verbum autem *remittere peccata*, illis ipſis in locis citatis veram remiſſionem continuatam ſignificat; & proinde pro natura omnium vocum declarat quidem directe remiſſionem factam, ſed non ſignificat meram declarationem remiſſionis ab alio factæ. Eſt vero aliud, dicendo *remittuntur tibi peccata* declarare remiſſionem; aliud hæc verba idem ſignificare ac, *declaro tibi ea eſſe remiſſa*.

Aut

Aut quis abſurdior ſenſus verborum Chriſti quam iſte: *quorum peccata dimiſſa declaraveritis, declarabuntur* (remittentur) *eis dimiſſa?* Ne, quæſo, ineptias nobis afferant, ſed argumenta, ut credamus eis, Chriſtum in re tanta improprie loqui cenſendum eſſe. Certe Phariſæi aliter eadem verba ad paralyticum a Chriſto dicta intellexere, ſubjungentes idcirco Luc. V. 21. *quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus DEUS?*

529.

Probatur 2°.) Dogma Catholicum *de vera poteſtate remittendi peccata Apoſtolis data* a Chriſto Jo. XX. 21. EX SS. PATRIBUS. Nam hi contra Novatianos, qui primi hoc dogma negabant, a) defendebant poteſtatem illam ceu illimitatam cum *S. Ambroſio* L. I. de Pœnit. cap. 3. ſcribente: *DEUS nullam fecit diſtinctionem, qui relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.*

b) Defendunt tam poſſe a Sacerdotibus remitti peccata poſt Baptiſmum admiſſa per pœnitentiam, quam admiſſa ante Baptiſmum per Baptiſmum. *S. Ambroſius* L. cit. c. 8. *Quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent.*

c) Novatianis dicentibus, peccata a DEO ſolo remitti poſſe; DEI ſolius hoc jus eſſe, reſpondent cum eodem *S. Ambroſio* L. cit. c. 2. *Majorem faciunt DEO injuriam, qui volunt ejus mandata reſcindere. - - - Nam cum ipſe dixerit Dominus Jeſus: - - quorum remiſeritis peccata &c.; quis eſt, qui magis honorat; qui obtemperat,*

perat, an qui reſiſtit? S. Pacianus Ep. 1. ad Sympronianum: *Quod per ſuos Sacerdotes facit Chriſtus, ſua poteſtas eſt.* Et Epiſt. 3. *Seu baptizamus, ſeu ad pœnitentiam cogimus, ſeu petentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus.*

d) Novatianis, ad ſolos Apoſtolos reſtringentibus illam poteſtatem, reſpondet *S. Pacianus* Ep. 1. cit.: *Ergo & baptizare ſolis Apoſtolis, & ſolis gentium purgare peccata licet. - - Si ergo lavacri poteſtas ad Epiſcopos inde ad Epiſcopos deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit, & ſolvendi.*

e) Novatianis, relinquentibus Eccleſiæ poteſtatem ligandi, ſed non ſolvendi, reſpondet *S. Ambroſius* L. cit. c. 2. *Dominus par jus eſſe voluit ſolvendi & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit.*

f) Docent, præcedere judicium Sacerdotum judicium cœleſte, vereque ab illis remitti, non ſolum declarari remiſſa, peccata. *S. Chryſoſtomus* hom. 5. de verbis Iſai.: *Sacerdotii ſolium cœleſtia adminiſtrandi habet auctoritatem: quid cum hoc honore conferri poſſit? a terra judicandi principalem auctoritatem ſumit cœlum. Nam judex ſedet in terra; Dominus ſequitur ſervum; & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in ſupernis approbat.* Et L. III. de Sacerd. c. 6. *Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare tantum, Judæorum ſacerdotibus licebat. - - - Hi vero* (Sacerdotes novæ legis) *non lepram corporis, ſed immunditiem animi, non purgatam probandi, ſed prorſus purgandi poteſtatem accepere.*

S. Hi-

Digitized by Google

S. Hilarius in cap. 18. Matth. *Immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit; ut quos in terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem; hi apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.* *S. Hieronymus* Ep. 1. ad Heliod. de Sacerdotibus ſcribit, quod *claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicent.* *S. Gregorius M.* hom. 26. in Evang. ait: *Apoſtoli principatum ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice DEI quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

g) Docent, ex defectu abſolutionis ſacerdotalis perire animas eam expetentium, nec tamen obtinentium, tum ob ignaviam quorundam paſtorum, in perſecutione mercenariorum inſtar derelinquentium oves ſibi concreditas; quod conqueritur *S. Auguſtinus* Ep. 228. & Victor Vitenſis L. II. de perſecut. Vandal.; tum ob nimiam ſeveritatem aliorum, qui etiam in fine vitæ certis peccatoribus, licet pœnitentia ductis, abſolutionem denegabant; quæ gravis querela eſt *SS. Cœleſtini I.* & *Leonis M.* Pontificum.

His *adde* ſtudium illud commune, quo Novatianis, hanc remittendi poteſtatem Eccleſiæ præpoſitis a Chriſto conceſſam inficiantibus, continuo ab omnibus Epiſcopis reſtitum eſt; *Romæ* quidem a ſexaginta Epiſcopis ſub S. Cornelio Papa; quorum decreto ſubſcripſere ceteri pæne per univerſum orbem chriſtianum Epiſcopi, referente Euſebio Hiſt. VI. 43.; in *Cappadocia* teſte *Firmiliano* Metropolita in Ep. ad S. Cypr.; in *Africa* teſte ipſo *S. Cypriano* in Epiſt. Synod. 54., qui etiam toto Tract. de lapſis Novatianos impugnat; *Alexandriæ* quoque idem error

error damnatus eſt a *S. Dionyſio* Alex. Euſebio teſtante VII. 8. Acrius ſcriptis Novatianos expugnarunt *S. Ambroſius* & *S. Pacianus*. *Wicleffitæ* quoque hac in parte conceptis verbis damnati ſunt in *Concilio Conſtantienſi*. *Tridentinum* cap. VI. & can. 9. Seſſ. XIV. proſcribit errorem Lutheri. Can. citatus ita habet: *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat, ſe eſſe abſolutum; anathema ſit.*

* *Opponuntur* vero quædam SS. Patrum dicta, quibus aſſerere videntur, quod Abſolutio Sacerdotum ſemper ſupponat, pœnitentem jam prius DEI beneficio vitæ gratiæ reſtitutum, & nequaquam hac vita primum dona ſententia Sacerdotum. Huc ſpectat *duplex* illud *exemplum*, quo frequentes utuntur SS. Patres, nempe *leproſi*, qui prius a Chriſto mundatus, & deinde miſſus eſt ad Sacerdotes, ut mundus ab eis declararetur; & *Lazari*, quem prius Chriſtus ipſe ſuſcitavit ad vitam, quam ſolvendum a vinculis daret diſcipulis.

S. Auguſtinus quidem ſerm. 67. de Evang. Matth. XI. loquens de *peccatore* ſic habet: *quis eum ſuſcitabit; niſi qui remoto lapide clamavit, dicens: Lazare! veni foras? Quid eſt autem foras prodire; niſi, quod erat occultum, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit; foras prodire non poſſet; niſi viveret: vivere non poſſet; niſi reſuſcitatus eſſet.*

S. Gregorius M. hom. 26. in Evang. *tunc*, ait, *vera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni ſequitur arbitrium judicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio*

tio illa ſignificat; - - quia prius mortuum Dominus vivificavit, dicens: Lazare! veni foras; & poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, a diſcipulis eſt ſolutus. . . Ecce! illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum.

S. Hieronymus in cap. XVI. Matth. in Sacerdotes invenitur Phariſæorum ſupercilium in damnandis innocentibus & noxiis abſolvendis ſibi ſumentes, & pronuntiat, nihil diverſum eos in nova lege efficere ab eo, quod veteris legis Sacerdotibus in declarandis leproſis jam mundatis a lepra competierit.

SS. Cyprianus in Tract. de lapſis, *Ambroſius* L. III. de S. Spiritu c. 18., *Chryſoſtomus* hom. 15. in cap. V. Matth., *S. Auguſtinus* Serm. 99. de verbis Evang. S. Lucæ, aliique, abſolute docent, ad ſolum DEUM pertinere poteſtatem dimittendi peccata.

Reſp. Inania ſunt hæc omnia. *S. Auguſtinus* loco primo citato ſe ipſum explicat continue, præoccupans objectionem ſibi faciendam; nempe, ſi peccator vivit jam ante abſolutionem Sacerdotis; quid ergo iſte operatur? *Quid prodeſt*, inquit, *ſi jam confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit?* Tum vero reſponſurus, pergit: *Ipſum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo; ſed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, quæ ſolveritis &c.; niſi quod ait Dominus continuo ad diſcipulos: ſolvite illum, & ſinite abire.*

Idem vero porro dilucidius explicat Conc. in Pſal. 101. *fit hoc:* inquit, *in corde poenitentis. Cum audis,*

 homi-

Digitized by Google

hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revinxit: cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam; jam de ſepulcro eductus eſt; ſed nondum ſolutus. Quando ſolvitur? a quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis in terra, inquit, erunt ſoluta & in cœlo. Merito per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt; ſuſcitari autem mortuus non niſi intus clamante Domino poteſt. Hæc enim Dominus interius agit.

S. Gregorius M. citato loco ſimiliter ſubdit: *cauſſæ ergo penſandæ ſunt; & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens DEUS per compunctionis gratiam viſitat; illos paſtoris ſententia abſolvat.*

Ex his apparet manifeſte, SS. Patres his locis ſolum dicere; prius oportere, ut DEUS *vitæ ſpiritualis initium* quoddam in peccatore producat, excitando illum per vocem gratiæ internæ actualis ad fidem, & compunctionem de peccatis; quod utique ſolius DEI eſt opus; cum vox hominis non niſi exterius ſine emphaſi ſpirituali ſonet; nec niſi obſervatis jam iſtis divinæ gratiæ effectibus & præparatoriis motibus vitæ ſpiritualis, debere ſolvere Sacerdotes a vinculis peccatorum: quam ipſam ſolutionem tamen, uti illam Lazari, ſupponunt eſſe veram ſolutionem a vinculis, non declarationem ſolutionis jam antea factæ a DEO.

Et vero ex ipſis notionibus actuum fidei, compunctionis, & gratiæ ſanctificantis, clarum eſt, prævios illos actus idem non eſſe cum gratia ſanctificante, quæ ſola ſubſtantia eſt vitæ ſpiritualis: & tamen non niſi poſt obſervatos in pœnitente prævios illos actus, qui ſolius EEI ſunt opus, Sacerdos ſolvere vincula pecca-

peccatorum debet, & poteſt, eoque ipſa ſanctificantis gratiæ vitam miniſterio ſuo reſtituere modo, quo dictum eſt §. præc. n. 7. & 8.

S. Hieronymi argumentatio unice eo collimat, ut probet, non arbitratu proprio exercendam eſſe poteſtatem ſolvendi & ligandi; ſed cum judicio debito; nec proinde ligari poſſe innocentes; nec ſolvi, niſi prius rite compunctos; ac proinde ſicut veteres Sacerdotes nec leproſos jam mundatos fallaci declaratione inficere lepra, neque nondum mundatos fallaci declaratione ab ea purgare poterant; ita neque nunc ſolvi poſſe nondum compunctos, ſed debita contritione a peccati habitualis affectu purgatos. Sicut autem omnis ſimilitudo claudicat; ita nec comparationem eo promovet S. Doctor, ut probet, etiam nunc Sacerdotes mere declarare remiſſa peccata, non ipſos vere remittere.

SS. Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus locis citatis haud aliud volunt, quam ſoli DEO ut principali auctori competere poteſtatem remittendi peccata; pro eo, ac diximus §. præc. n. 1.

** Proteſtantes hic rurſus illud interrogo, quod interrogavi jam in Sacramento conſecrationis SS. Euchariſtiæ. Quæſo! edicant nobis rationem veriſimilem ac prudenter acceptandam; cur, ſuppoſita clara explicatione poteſtatis remittendi peccata, verba Chriſti accipiamus potius improprie, quam proprie.

*** *Opponunt* præterea veterum etiam catholicæ ſcholæ Magiſtrorum ſententiam, puta *Magiſtri Sententia-*

tentiarum L. IV. Diſt. 18., *S. Bonaventuræ*, *Alenſis*, aliorumque non paucorum, docentium, requiri ante abſolutionem Sacerdotis ſemper ex parte pœnitentis, ut perfecta contritione jam ſit DEI gratiæ antea reſtitutus, ex quo concludebant, abſolutionem Sacerdotis revera non eſſe niſi declarationem remiſſionis jam antea factæ a DEO.

At enim differebat illa prædictorum Doctorum ſententia ab errore Lutheri & Calvini pluribus modis: & *primo* quidem ne cogitabant quidem illi Doctores de eo, ut officium ſolvendi revocarent ad merum præconium Evangelii, quo fides juſtificans primum de Chriſti meritis & promiſſis excitaretur; ſed volebant, Sacerdotem prævio judicio de ſufficiente dolore prævio pœnitentis authentica declaratione ſignificare ipſam remiſſionem a DEO jam factam: *deinde* docebant, Sacerdotes ea ipſa declaratione verum judicium exercere; ſimulque per eam conferri, non quidem primam, ſed tamen novam gratiam ſanctificantem; qua etiam de pœna peccatorum reſidua quidquam de novo remittatur; quorum nihil admittunt acatholici noſtri. *Denique* dicebant, contritione prævia non remitti peccata, niſi cum relatione ad claves Eccleſiæ.

Interim falſa hodie communiter hæc veterum ſcholaſticorum ſententia habetur; etſi teſtibus Theologis, qui Tridentino interfuere, Vega nimirum L. 3. c. 33., Dominico Soto in IV. diſt. 40, & Pallavicino in Hiſt. Trid. L. X. c. 12., a Tridentino Concilio damnata nequaquam fuerit.

Falſa

Falſa, inquam, habetur; *primo* quia proprio ſenſui verborum Chriſti adverſatur: *quorum remiſeritis peccata &c.*: *deinde* quia SS. Patres expreſſe docent, ſententiam Sacerdotum præcedere ſententiam abſolutoriam cœli; item ſine abſolutione ſæpe periclitari peccatorum morientium etiam pœnitentium ſalutem: *tertio* quia clavium poteſtas non in eo eſt, ut declarentur apertæ, ſed ut aperiantur portæ cœlorum: *denique* quia ſecundum *Tridentinum* Seſſ. XIV. cap. 3.; & ſecundum *SS. Patres*, præcipuus effectus abſolutionis Sacerdotalis non eſt remiſſio pœnæ temporalis; aut gratiæ augmentum; ſed prima gratia, & *reconciliatio cum Deo*; ut loquitur Tridentinum l. cit.

**** *Quodſi dicas*: fieri ſaltem poſſe, ut peccator jam ante abſolutionem Sacerdotis perfectiſſimo dolore plene ſit reconciliatus DEO; atque eo proinde caſu abſolutionem fore meram declarationem remiſſionis jam prius a ſolo DEO factæ: *reſpondeo*; nequaquam. Nam quo pacto talis declaratio poſſet eſſe authentica; cum certus eſſe de tam ſufficiente perfectione doloris in pœnitente judex ſacer vix unquam, vel rariſſime quidem, poſſit. Semper ergo hunc ſenſum abſolutionis verba habent: *ego tibi vice Chriſti efficaciter applico ejus merita in ordine ad reſtitutionem gratiæ ſanctificantis tibi a DEO faciendam* (§. præc. n. 6. 7. & 8.) quæ gratia prima erit, ſi nondum gratiæ econtra primæ augmentum, ſi jam ſit contritione prævia juſtificatus pœnitens.

530.

Poteſtas remittendi peccata, conceſſa Apoſtolis a Chriſto, non limitata eſt ad certa peccata, vel iſtorum certum aliquem numerum; ſed per ſe extenditur ad peccata quæcunque, quantumvis gravia, & multa.

Dogma Catholicum (etſi S. Thomas adverſam opinionem ſolum *erroneam* dixerit) *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS. a) Chriſtus univerſe & ſine omni reſtrictione dixit Matth. XVI. ad S. Petrum: *quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo;* & Matth. XVIII. 18. ad omnes Apoſtolos: *Amen dico vobis: quæcunque ſolveritis &c.* Joan. XX. 21. vero præmiſit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos;* id eſt, æque ampla poteſtate; tumque addidit: *quorum remiſeritis peccata* &c.

b) Deus ex infinitate Miſericordiæ paratus eſt omnia, quamlibet gravia, & multa peccata rite ante mortem pœnitentibus remittere (Eth. univ. Chriſt. §§. 218. 219.): ergo eo ipſo etiam poteſtatem Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, per Chriſtum relictam, non reſtrinxit. Prius illud ipſe atteſtatus eſt apud Ezech. XVIII. 21. *Si impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis ſuis; vita vivet, & non morietur; omnium ejus iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus; & non, ut convertatur a viis ſuis, & vivat.* Et cap. XXXIII. 12. *impietas impii non nocebit ei; in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Additur ratio Iſaiæ LV. 6. *quoniam* (Deus) *multus eſt ad ignoſcendum*, id eſt, liberalis in ignoſcendo. Et II. Petri III. 9. *Dominus*

nus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad patientiam reverti.

c) Chriſtus pro peccatis totius mundi ſacrificium mortis ſuæ ipſe obtulit, ac proinde nec poteſtatem Apoſtolis reſtrinxit in eis remittendis. Ita quidem teſtis eſt S. Joannes I. Ep.II. *Siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum: ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum; ſed etiam pro totius mundi.*

d) Apoſtoli actu uſi ſunt poteſtate remittendi a Chriſto conceſſa in graviſſimis criminibus rite pœnitentium remittendis. Sic *S. Paulus* II. Cor. II. 7. inceſtuoſo, qui cum uxore patris ſuis ſeu noverca fuerat fornicatus, donavit veniam: quem locum idcirco urget contra Novatianos S. Ambroſius L. I. de Pœnit. c. 7. ſcribens; *quis reverentior Chriſti, Novatianus, an Paulus? ſed noverat Paulus, Dominum miſericordem; noverat ſeveritate magis diſcipulorum offenſum, quam miſericordia.* Unde & *Tertullianus* Montaniſta factus, eoque loco ſe nimis urgeri ſentiens, in L. de Pudicit. negavit, unum eundemque eſſe Corinthium, cui Paulus in II. Cor. II. remiſit peccata, cum illo inceſtuoſo; de quo ſcribit in I. Cor. V. Uſus eſt tali indulgentia etiam *S. Petrus* in remittendo per baptiſmum Deicidio in Chriſtum commiſſo a Judæis Act. II. dicens: baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Chriſti in remiſſionem peccatorum; item Act. VIII. 22. Simonem Magum ad pœnitentiam exhortando innuit, ſe pœnitenti remiſſurum crimen illud &c. &c.

* Qui

Digitized by Google

* Qui huic dogmati de generalitate poteſtatis Eccleſiæ in omnibus remittendis peccatis ſe opponeret, primus fuit *Montanus*, ſecundo Eccleſiæ ſeculo in Phrygia Aſiæ minoris provincia natus. Is ambitione Epiſcopatus primum, deinde, cum eo fruſtratus eſſet, vindicta incenſus, catholicæ communioni circa annum 170. renuntiavit, ſacrilega temeritate Paracletum ſe eſſe Spiritum mentitus; qui, cum in Apoſtolos non niſi imperfecte diffuſus eſſet, in ſe demum ultimum perfectionis terminum impleret.

Rigorem idcirco ſingularem profeſſus, inter alios errores clavium Eccleſiæ poteſtatem ita reſtringebat, ut certis criminibus remittendis eam ſufficere penitus abnegaret. Peccata enim in duas claſſes Montanus, ejusque ſequaces, partiebantur; alia, ſive quod natura levia forent, ſeu quod adverſus hominem perpetrata, poſſe condonari ab Eccleſia concedebant; alia vero tum propter ingenitam gravitatem, tum quod contra DEUM ipſum commiſſa forent, nempe idololatriam inprimis, deinde homicidium & mœchiam &c., remitti ſaltem ab Eccleſia poſſe negabant. Quam vero denegabant Eccleſiæ, Montano, paracleto videlicet ſuo, & aliis, qui donis cœleſtibus ſimiliter præfulgerent, liberaliter concedebant auctoritatem.

Unde *duplicem Eccleſiam diſtinguebant*, Spiritus unam, quæ in Patre, Filio, & Spiritu Sancto conſiſteret, vereque peccata per ſpirituales homines condonaret; alteram Epiſcoporum, quæ præter leviorum culparum condonationem nihil poſſet. Hæc diſcimus partim ex Apollinaris Hierapolitani fragmento, ab Euſebio

ſebio nobis aſſervato Hiſt. V. 16., partim ex *Tertulliani* libris de Monogamia, de Jejunio, & de Pudicitia; quos vir ille antea ſummus, poſtmodum tamen (exemplo quodam eximio humanæ fragilitatis) cum cleri Romani invidiam & ignominiam non ferret, a Proclo Montaniſta, ut creditur, perverſus, pro defenſione errorum Montani conſcripſit.

Videtur porro *Novatianus* (§. 528. not. 2.) initio ſolum innovare voluiſſe Montani errorem; ita ut ejus primum diſcipuli ad inficiandam omnem remittendi peccata poteſtatem in Eccleſia fuerint progreſſi. Interim, ut ex Tertulliano cap. 3. libri de pudic. patet, non ab agenda pœnitentia graviorum illorum criminum reos excludebant, ſed ſolum negata illis venia & beneficio abſolutionis Eccleſiaſticæ, ad ſolius DEI miſericordiam remittebant.

Probatur 2°.) EX SS. PATRIBUS & *Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Nam teſte Euſebio V. 16. 17. 18. 19. continuo adverſus Montaniſtas inſurrexere *Apollinaris Hierapolitanus*, *Miltiades*, *Apollonius*, *Serapio Antiochenus*, *Martyres Lugdunenſes* (cap. 3.), *Africæ & Phrygiæ Epiſcopi*, imo omnes Eccleſiæ, ut ipſe teſtatur Apollinaris in opere adverſus illos conſcripto. Huc ſpectant omnia pæne illa teſtimonia §. præc. ex SS. Patribus allegata, quibus Novatianorum poteſtatem Eccleſiæ ſaltem reſtringentium argumenta refutabant. *S. Hilarius* in idem cap. XVIII. Matth. n. 10. commentans addit ſupra citatis: *fas non eſt, nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi; cum per Evangelii gratiam ſine modo fuerit nobis a DEO indulta.* Urgent hac occaſione illi SS. Patres, qui ex propoſito accuratius Novatianos refellebant, puta *S. Cypria-*

nus

Digitized by Google

nus in Ep. 2. Synodica, *S. Pacianus* in ep. ad Sempron., *S. Ambroſius* L. de Pœnit. c. 2., & præ omnibus ipſe *Tertullianus*, quamdiu Eccleſiæ fidelis fuit, in L. de Pœnit. cap. 7. & 8., urgent, inquam, argumentum a divinæ miſericordiæ infinitate petitum; quæ nulli pœnitenti veniam neget; nec proinde etiam a nobis negari velit; idemque exornant allegatis ex Evangelio parabolis mulieris drachmam invenientis, & paſtoris ovem perditam reportantis, patris recipientis filium prodigum &c. &c.

His adde *S. Chryſoſtomum* ſæpiſſime, tum inprimis in Paræneſi 1. ad Theod. Monach. hac de re emphatice ſcribentem: *talis eſt erga homines DEI pietas; nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur; etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter.* De Eccleſiæ autem poteſtate hom. 57. de pœnit. *peccaſti*, ait; *Eccleſiam ingredere, atque tuum peccatum dele: - - quoties peccaveris, peccati pœniteat; nec deſperes. Quamvis noviſſimo die peccaveris; ingredere Eccleſiam; pœnitentiam age. Medicinæ hic locus eſt, non judicii; non pœnas exigens, ſed peccatorum remiſſionem tribuens.*

His *adde* 3°.) Concilia. Nam Montaniſtas mox a. 171. teſte *Serapione Antiocheno* in Ep. ad Caricum & Ponticum apud Euſeb. V. 19. damnarunt plures Epiſcopi in *Synodo*, quæ omnium prima eſt a tempore Apoſtolorum; cujus acta in cit. loc. extent utcunque. *Lateranenſe IV.* cap. I. docet: *ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quis prolapſus fuerit in peccatum, per veram ſemper poteſt pœnitentiam reparari.* Quamquam hic non tam poteſtas Eccleſiæ, quam DEI miſericordia

cordia illimitata exprimitur. Preſſius *Tridentinum* Seſſ. XIV. can. 1. definit: *Pœnitentiam eſſe Sacramentum inſtitutum divinitus pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis.* Celebre quoque hac in re eſt decretum *S. Zephyrini* Papæ, quod ab eo publicatum Tertullianus jam Montaniſta non ſine ſarcaſmo memorat in L. de Pudic.: *peccata fornicationis & adulterii iis remitto, qui ſuam pœnitentiam compleverint.*

4'.) Accedit *ratio theologica.* Miſericordia enim DEI, ſeu promta voluntas ad amolienda ab homine mala quævis culpæ & pœnæ, eſt infinita; nec niſi amore majoris boni communis temperari poteſt, ut eidem juſtitia prævaleat, id eſt, ut permittat ruinam peccatoris æternam. Atqui nunquam bonum majus commune exigit a Deo, ut rite quandocunque pœnitentl peccatorum veniam neget; ſed potius contrarium exigit, ut nempe veniam indulgeat; quia ſic mali invitantur ad emendationem; cum deſperatione veniæ potius creſcerent in malitia. *Pariter* Chriſti merita ſunt valoris infiniti: ergo gratiæ promerendæ peccatori poſt quæcunque peccata ſufficiunt. Cum itaque ex parte DEI voluntas ignoſcendi non obſtet; reſtrictionis nulla ſuſpicio fundata eſſe poteſt in poteſtate, quam Chriſtus dedit Apoſtolis, dicens: *quorum remiſeritis &c. &c.*

* Videntur huic dogmati *obſtare* plures *textus SS. literarum*; qui tamen explicatione ſolummodo indigent. *Sic* 1'.) I. Reg. II. 25. Heli ſummus Sacerdos ad filios Ophni & Phinees, ſacrilega rapina de ſacrificiis detrahentes, gravi cum emphaſi dicit: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit DEUS: ſi autem*

autem in Dominum peccaverit vir; quis orabit pro eo? Verum recte monet aliquis, verba Heli hiſtorice relata in SS. literis non eſſe anxie interpretanda; quaſi divinæ fidei momentum haberent. Senſus tamen eſt: ſi homo in hominem peccat, Sacerdotum eſt pro eo ſacrificiis exorare DEUM: ſi autem in ipſis ſacrificiis peccetis in DEUM; quis ſacerdos audebit pro vobis ſacrificia offerre?

2°.) Matth. XII. 31. Chriſtus Phariſæis, miracula ſua & nominatim dæmonum ejectionem ex corporibus humanis, tribuentibus Beelzebub dæmoni omnium fortiſſimo, dicit: *omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis; remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum; non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Marc. III. 3. habet textus: *qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum &c.*

At enim hebraiſmus ſolum hic occurrit, rem difficilem exprimens, non omnino non poſſibilem. Cum enim Syriaca & Hebraica lingua comparativo gradu careant; oppoſitione iſtum exprimere ſolent, uti exemplum eſt Luc. XXI. 33 *cælum & terra* (ſubintellige *facilius*) *tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt. Quæritur autem*, quale ſit hoc peccatum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum; & cur tam ægre remittatur?

Reſpondeo cum *S. Paciano* ep. 3. ad Sempron., *S. Hieronymo* Ep. 149. ad Marcellam, *S. Athanaſio* in Ep. ad Serap.; illam blaſphemiam conſiſtere in eo, quod Phariſæi agnitæ veritati reſiſterent, & opera DEI, id eſt, ejectionem dæmoniorum, per quæ veritatis

tatis de Chriſti divina miſſione convincebantur, adſcriberent principi dæmoniorum Beelzebub. Cum enim gratia illuſtrationis tam prodigioſæ præcipue S. Spiritui adſcribenda ſit (Tr. de Incarn. §§. 336. VI. 439.); qui eidem reſiſtit obſtinate, & Spiritus Sancti benevolam operationem dæmoni adſcribit, blaſphemus eſt in Spiritum ſanctum; cui blaſphemiæ blaſphemia in Filium hominis cit. loc. a Chriſto opponitur, ceu facilius remittenda; eo quod quidem Chriſti inhonorationem publicam contineat, ſed vel ex ignorantia divinitatis illius, vel ex infirmitate admiſſam: uti prioris exemplum habemus in S. Paulo, I. Tim. I. 13. de ſe ſcribente: *prius blaſphemus fui, & perſecutor: - ſed miſericordiam DEI conſecutus ſum; quia ignorans feci;* alterius vero ſpecimen in iis eſt ex mente S. Hieronymi Ep. cit., qui Chriſtum in tormentis negant ex imbecillitate. *Cur* autem blaſphemia in S. Spiritum difficillime remittatur; cauſſa præcipua eſt, quod ipſa voluntatis obſtinatio & contemtus gratiæ DEI, probeque perſpectæ veritatis odium, mentem ulterioribus gratiæ motibus ineptam faciat, ſicut qui aures obturat loquenti, incapax eſt ad audienda bona conſilia.

3'.) Ad Hebr. VI. 4. Apoſtolus ſcribit: *impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cœleſte. & participes facti ſunt Spiritus Sancti; - - & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Et ibid. X. 26. *voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem quædam expectatio judicii.*

Verum in primo loco ex mente *S. Athanaſii* in ep. 4. ad Serap. & *S. Ambroſii*, & *S. Chryſoſtomi,* in illum locum, hic ſenſus eſt Apoſtoli ad Hebræos tunc

Digitized by Google

ſcribentis, qui quotidianis baptiſmatis utebantur ex legis præſcripto ad certa peccata expianda, videlicet: impoſſibile eſt gratiam baptiſmi peccatis novis amiſſam repetitione baptiſmi, ceu remedio facili, iterum acquiri poſſe. Aliis ex adverſo opinio inhæret, hebraiſmo denuo ſummam difficultatem pœnitentiæ in iis exprimi, qui ab illuminatione fidei denuo in apoſtaſiæ tenebras prolapſi ſunt.

In altero loco ex verbis his v. 23. immediate præcedentibus, *teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibusdam*, colligere eſt, Apoſtolum loqui de Apoſtaſia a fide; cujus rei, ceu ab Eccleſiæ communione alieni, utique in eo ſtatu carent omni hoſtia pro peccatis expiandis.

4.) Denique I. Joan. V. 16. ſcribit dilectus diſcipulus: *qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.* Ubi quidem hic altera vice græcus textus oppoſitum exprimit, *& eſt peccatum non ad mortem*: ſed difficultas prioris verſus hoc ipſo confirmatur. Dici porro ſatis ſolide non poteſt, hic per *peccatum ad mortem* deſignari impœnitentiam finalem; quia hæc primum completur primum in morte; at vero Evangeliſta loquitur de peccato, pro cujus emendatione impetranda oratio adhuc fundi ad DEUM poſſit; quod in impœnitentia finali locum non habet

Itaque per peccatum ad mortem intelligit potius S. Joannes illud, cujus veniam reus ipſe, ceu obſtinatus

tus in pravo affectu, ipſe non rogat. Sic quidem explicat canon quintus Synodi generalis ſeptimæ, ſic habens: *peccatum ad mortem eſt; quando quidam peccatores incorrecti perſiſtunt.* Nota præterea, hos omnes textus, a Novatianis præcipue objectos, non tam Eccleſiæ poteſtatem illimitatam, quam Miſericordiæ DEI generalem ad ignoſcendam promtitudinem in ſpeciem impugnare.

** Circa quosdam ſeu *SS. Patres*, ſeu *ſcriptores Eccleſiaſticos*, ſequentia animadverte. 1°.) *Origenes* & *Theognoſtus* apud S. Athanaſium in Epiſt. 4. ad Serap. arguuntur, quod omnia baptizatorum peccata dixerint eſſe blaſphemias in Spiritum Sanctum, & ideo irremiſſibilia. *Primum* non obſcure videntur illi innuere; aſt ea in parte merito refutantur a S. Athanaſio: *alterum* vero, an dixerint abſolute; an ſolum exaggerata locutione ſuſpicionem præbeant ejusmodi ſententiæ, ex relatione S. Athanaſii l. cit. pro certo colligi non poteſt. Poſterius ſat certo colligere eſt ex pluribus teſtimoniis Origenis; in quibus, nullo dubio relicto, baptizantorum peccata remitti etiam ab Eccleſia poſſe ſupponit, vel expreſſe affirmat.

2°.) *S. Athanaſius* cit. loc. ſic refutat duos prædictos ſcriptores, ut affirmate neget, omnia baptizatorum peccata eſſe blaſphemias in Spiritum Sanctum; ſed ibidem diſſimulare videtur alterum Novatianorum aſſertum, nempe blaſphemiam in S. Spiritum irremiſſibilem eſſe. Interim non colligitur ex ullis Athanaſii dictis, eum credidiſſe, omnimodis illam remitti non

poſſe; ſed ſolum difficilius longe remitti, quam cetera peccata; ob rationes ſupra allatas.

3'.) *S. Hieronymi* in Epiſt. 149. ad Marcellam par eſt ſcribendi argumentum & ratio cum S. Athanaſio; uti & *S. Paciani* in Ep. 3. ad Sempron.; & *S. Ambroſii* L. II. de pœnit. c. 4.; niſi quod duo poſteriores iſti clarius etiam doceant, etiam peccatum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum abſolute remitti poſſe.

531.

Chriſtus poteſtatem remittendi peccata dedit immediate ſolis ſuis Apoſtolis, nec communem eſſe voluit omnibus in ſe credentibus. Dogma iſtud catholicum jam probatum eſt a me in Dem. Cath. §. 126.

532.

Chriſtus eandem poteſtatem ſic inſtituit in Apoſtolis, ut vellet eam manere in Eccleſia ſua perpetuam, & ab Apoſtolis transmitti ad alios illorum in munere Apoſtolico ſucceſſores. Etiam hoc dogma Catholicum jam oſtendi in cit. Demonſtr. Cath. §. 128.

533.

Remiſſio peccatorum, ſeu abſolutio a peccatis, quæ a Chriſti miniſtris vi poteſtatis iſtius remittendi peccata hominibus baptizatis, qui poſt actam rite pœnitentiam illius digni inveniuntur, actu ſecundum Chriſti inſtitutionem impertitur, verum, idemque non mere theoreticum, ſed practicum Sacramentum eſt.

Dogma

Dogma Catholicum, ſuppoſito dogmate de vera poteſtate remittendi peccata per Chriſtum inſtituta (527.), ex ſola notione Sacramenti practici (446. VII.) *evidenter infertur.* Cum enim remiſſio talis ſigno utique aliquo externo, ſeu voce, ſeu ſcripto (de quo ſuo loco), ſignificari debeat pœnitenti peccatori, cui peccata per eam remittuntur; evidens eſt, quocunque ſigno ſenſibili ex Chriſti inſtituto fiat, tale ſignum fore ſacrum, id eſt, rei ſacræ, nempe gratiæ ſanctificantis ei iterum collatæ; & cum poteſtas remittendi peccata a Chriſto inſtituta non ſolum ſit ad declarandam, ſed ad concedendam actu remiſſionem illam, ſeu gratiam ſanctificantem (528. n. 9.); evidens eſt, eam remiſſionem ſigno ſenſibili expreſſam fore Sacramentum practicum, non mere theoreticum (446. V. VII.). Unde vel ſola ſuppoſita notione talis Sacramenti, & dogmate fundamentali §. 527. ſtabilito, recte etiam hoc dogma definivit Tridentinum Concilium Seſſ. XIV. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, in catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto D. N. inſtitutum; anathema ſit.*

534.

Sacramentum remiſſionis peccatorum quorumlibet a Baptiſmo admiſſorum virtute inſtitutionis JESU Chriſti diverſum eſt a Sacramento Baptiſmi.

Dogma hoc Catholicum *probatur* 1°.) ex verbis Christi. Chriſtus enim baptiſmum Matth. XXVIII. 19. inſtituens per illa verba, *docete*

docete omnes, baptizantes eos &c., ablutionis per aquam Sacramentum tantum pro iis ordinavit, qui de novo inceperint credere in Chriſtum: unde etiam ult. 16. dixit: *qui* [*crediderit*,] *&* *baptizatus fuerit* &c.; ut adeo baptiſmus ſit initiationis Sacramentum; atque idcirco ſecundum Apoſtolum ad Hebr. VI. 1. *intermittendus* ſit in fidelibus jam baptizatis *inchoationis Chriſti ſermo*, - - *& baptiſmatum doctrina.* Unde verba Apoſtoli ad Hebr. VI. 4. *impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati*, - - *& prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam* SS. Patres communiſſime de non iterando Baptiſmo exponunt, uti *S. Athan.* Ep. ad Serap. *S. Ambroſ.* L. II. de Pœnit. c. 2. *S. Chryſoſt.* hom. 9. in Epiſt. ad Epheſ., *S. Epiphanius* hær. 59. aliique.

Ex adverſo Chriſtus concedens Apoſtolis ſuis poteſtatem remittendi *quæcunque* & *quorumcunque*, etiam jam baptizatorum peccata per illa verba Joan. XX. 21. *quorum remiſeritis peccata* &c., pro iſtius poteſtatis quolibet exercitio nequaquam requiſivit ablutionis aqua faciendæ cerimoniam, ſed remiſſionem ſimpliciter verbo factam eo, quo ipſe ſcilicet conſueverat more erga Magdalenam, erga paralyticum &c. &c. Differt proin cerimonia ſacra baptiſmi aquei a ſigno ſacro remiſſionis peccatorum poſt baptiſmum admiſſorum, ac proin duo Sacramenta vi ſuæ inſtitutionis & ratione ſigni ſenſibilis cuique proprii diverſa ſunt. *Adde* ex inſtitutione Chriſti ſecundum omnes eſſentialia in Baptiſmo verba eſſe, *baptizo te in nomine Patris* &c.; quæ in Sacramento pœnitentiæ locum non habent omnino.

2°.) SS. PATRES diſcrimen hoc agnovere. *Tertullianus* L. de pœnit. c. 4. pœnitentiæ Sacramen-

cramentum vocat *ſecundam poſt naufragium tabulam.* *SS. Ambroſius* & *Pacianus* locis ſupra citatis refellunt Novatianos, Eccleſiæ poteſtatem in remittendis peccatis ad ſolum baptiſmum limitantes, & oſtendunt, æquali jure Eccleſiam peccata remittere non baptizatis per baptiſmum, ac baptizatis per pœnitentiam. *S. Athanaſius* L. de peccat. in Spirit. S. ſcribit: *inter baptiſmum & pœnitentiam non leve eſt diſcrimen.* *S. Auguſtinus* L. II. de adult. conjug. c. 16. *Si a catechumeno factum eſt homicidium, baptiſmate abluitur; ſi a baptizato, pœnitentia & reconciliatione ſanatur.*

3'.) TRIDENTINUM idcirco Seſſ. XIV. can. 2. ſtatuit: *Siquis Sacramenta confundens ipſum pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint; atque ideo pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.* Ibidem vero cap. 2. plura diſcrimina inter Baptiſmum & Pœnitentiæ Sacramentum tum intrinſeca, tum quoad utriusque annexa a priori ac poſteriori aſſignant; nempe aliam eſſe eſſentialem Baptiſmi materiam & formam, aliud ſubjectum, alium miniſtrum, alium effectum; de quibus in ſequentibus dicetur.

* Lutherus et Calvinus, rejecto ſemel dogmate de vera poteſtate remittendi peccata a Chriſto in Eccleſia relicta, verba Chriſti *quorum remiſeritis &c.* a ſenſu proprio detorquebant ad auctoritatem prædicandi remiſſionem peccatorum, ut ſenſus ſit: quibus vos prædicaveritis remiſſionem, ſi modo crediderint, remittentur eis peccata. Ex quo intulere, perinde eſſe, ſeu fides iſta in pœnitentibus excitetur ablutione baptiſmatis,

 matis,

Digitized by Google

matis, ſeu ſola prædicatione Evangelii remiſſionis peccatorum, qua remiſſio in Baptiſmo accepta revocetur denuo in memoriam; ac proinde reipſa Sacramentum pœnitentiæ non eſſe diverſum a Sacramento Baptiſmi.

Unde licet vacillaret initio hac in parte Lutherus in L. de capt. Babyl. initio & in fine, & ipſius Auguſtanæ Confeſſionis Apologiſtæ cap. 7., & in art. XI. ejusdem auctor Melanchton; tamen ſatis communiter deinceps docuere, Sacramentum Pœnitentiæ a memoria baptiſmi non differre. Horum ceteras objectiones ſolvere in re evidenti (ſiquidem ſemel ſupponas dogma §. 527. probatum) operæ pretium non videtur.

Illam præterire tamen non poſſumus; qua *dicunt*, plures ex *SS. Patribus* illud Joannis XX. 21. teſtimonium, *quorum remiſeritis peccata &c.*, interpretatos eſſe non de remiſſione per tribunal Sacramenti pœnitentiæ, ſed de remiſſione per prædicationem Evangelii, vel per Baptiſmi adminiſtrationem; idque adeo verum eſſe, ut Pelargus Dominicanus in ipſo Tridentino admonuerit, ea verba vix ab ullo Patre de Sacramento Pœnitentiæ, a pluribus autem de Baptiſmo exponi.

Reſp. Quidam Patres etiam exponunt illa Chriſti verba de aliis modis, quibus Sacerdotes concurrunt univerſe ad remiſſionem peccatorum, id quidem verum eſt: ſed nullus negat, ea etiam exprimere poteſtatem remittendi peccata per abſolutionem & Sacramentum pœnitentiæ; imo pæne omnes hanc poteſtatem ex iisdem verbis probant, docentque idcirco conceptis verbis

bis duo eſſe diſtincta peccatorum remedia, Baptiſmum, & abſolutionem a peccatis poſt Baptiſmum confitentibus ab Eccleſiæ Miniſtris impertiri ſolitam, ut *Tertullianus* L. de Pœnit. c. 7., *S. Ambroſius* L. I. de pœnit. c. 8., *S. Pacianus* epiſt. 1. ad Sempron. Tres ſolum audiamus, teſtes ſententiæ communis.

S. Auguſtinus Epiſt. 238. ad Honorat. de perſecut. Vandal. *cum ad iſtorum*, inquit, *periculorum extrema pervenitur, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſolet concurſus ab utroque ſexu, & ab omni ætate, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam etiam pœnitentiæ actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum erogationem. Ubi ſi miniſtri deſint; quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt.*

Et *S. Cyrillus Alex.* L. XII. in Joan. *Duobus modis DEI ſpiritu afflati DEI homines peccata remittunt, ac retinent; vel cum dignos admittunt ad Baptiſmum, & indignos excludunt; vel cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt; ac pœnitentibus ignoſcunt, ſicut Paulus erga Corinthium fornicarium.*

S. Hieronymus L. I. Dial. contra Pelag. *Duobus maxime Sacramentis nobis ſanguis Chriſti applicatur, in baptiſmate ſcilicet, & in Pœnitentia, quæ imitatur Baptiſmi gratiam.* Pelargi dicta quam improbaverint Tridentini Patres, patet ex Can. 3. Seſſ. XIV.: *Siquis dixerit, verba illa Domini, quorum remiſeritis &c., non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi*

 peccata

peccata in Sacramento Pœnitentiæ; ſicut Eccleſia catholica ab initio ſemper intellexit; • *anathema ſit.*

535.

Chriſtus Dominus poteſtatem remittendi quævis peccata tam generalem, & ad nullum peccatorum numerum ac magnitudinem, neque ad ullam relapſum multitudinem reſtrictam, dare Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus non potuit, niſi ſub prudenti judicio & accurato prævio examine exercendam, tum de ſufficiente pœnitentia peccatoris, tum de promta voluntate ejusdem ſatisfaciendi & cavendi omnibus damnis, quæ ſive ex ejusdem peccatis, ſive ex ipſa tam facili, ac frequenti remiſſione illorum eidem conceſſa, redundare vel in ipſum pœnitentem ea facilitate remiſſionis forte abuſurum, vel in alios privatos fideles, ſeu in bonum majus commune omnium fidelium chriſtianorum, poſſent. Principium hæc prævium dogmati mox probando præmitto, ceu omni ex parte evidens, ſuppoſita veritate talis, tam amplæ, & generalis poteſtatis reipſa Apoſtolis a Chriſto conceſſæ; idemque jam ſupra § 528. nn. 4. 9. jam abunde explicatum.

* Poteſtas hæc ex aſſe ſimilis eſt in qualitate ſua *Juri aggratiandi,* quod ſummis reipublicæ Principibus competere ſic ex Jure naturæ ſociali publico conſtat, ut idem exercere tamen haud aliter poſſint, niſi cum ſapienti, ſecuro, & accurato judicio, nullum ex vitæ gratia cuivis delicto capitali indulta cuicunque bono civi, vel ipſi reipublicæ, damnum exinde oriturum; atque idcirco ne gratia quidem iſta fieri omnino poteſt prudenter ante inquiſitionem criminum, ac totius qualitatis eorundem, jam rite & exacte præmiſſam.

Nec

Nec vero competit ulli terreno principi tam ampla poteſtas pœnam remittendi omnibus capitalium criminum reis; modo pœniteat eos admiſſorum. Quanto magis itaque ad prudens exercitium quotidianum, tamque frequens, & poſt quosvis relapſus, poteſtatis Apoſtolicæ in remittendis peccatis requiritur exactum *examen* & inſpectio *qualitatis criminum*, & quorumvis ex eis reſultantium tum *malorum effectuum*, tum *periculorum*, ipſius pœnitentis, vel aliarum, tum *obligationum* ex eisdem in pœnitente reſultantium ad eosdem effectus ac pericula cavenda, ad hoc, ut ſapienter judicari poſſit, impertiendam eſſe reo tam liberalem quorumvis criminum, quamlibet gravium & multorum, indulgentiam?

Enimvero quin opus fuerit, ut conceptis verbis Chriſtus Apoſtolos hoc admoneret; vel ſolo lumine rationis, multo magis vero ſuperno illo lumine Spiritus Sancti, quo pleni erant, edoceri eos neceſſe fuit, opus prorſus ad hanc tam divinam poteſtatem rite a ſe exercendam eſſe, ut a volentibus frui hoc tam benevolæ remiſſionis beneficio prius accuratam omnium criminum remittendorum confeſſionem rationesque exigerent.

** Illud præterea ad majorem argumentorum firmitatem conciliandam in ſequente dogmate probando diligenter admonitum lectorem velim; nondum hic agi de neceſſitate ſingulis gravium culparum reis divinitus impoſita utendi determinate hoc Sacramentalis remiſſionis per ſacerdotes faciendæ beneficio; ſed ſolum de neceſſitate confeſſionis diſtinctæ peccatorum faciendæ a peccatoribus, & a Sacerdotibus expetendæ prius, quam iſti quibuscunque, hoc beneficio (ſeic ultro,

ultro, ſeu ex præcepto divino) uſuris, id impertiri poſſint.

Aliud enim profecto eſt, beneficio ſacramentalis remiſſionis neminem ex Chriſti inſtituto frui poſſe, niſi peccata ſua diſtincte confitentem; aliud omnino, omnes ad eo beneficio utendum obligari, nec aliter niſi ſacramentali abſolutione per ſe loquendo a peccatis ſuis poſſe liberari. Quod cum diſtinguere a ſe invicem theologi vulgo negligere conſueſſent; factum ſane, ut multa argumenta in dogmate hoc probando ab illis allata vim omnem non exererent. Exemplum clariſſimum habes in levioribus peccatis, quæ ex mente Eccleſiæ catholicæ remiſſione Sacramentali ſine diſtincta confeſſione non gaudent; quin tamen neceſſe ſit eorum remiſſionem iſto Sacramento accipere.

536.

Quisquis frui voluerit beneficio Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu remiſſionis Sacramentalis peccatorum ſuorum; virtute inſtitutionis illius a Chriſto factæ, quantum moraliter poteſt, diſtincte prius miniſtro, ea poteſtate remittendi peccata rite inſtructo, confiteri debet omnia peccata ſua, ſaltem gravia.

Dogma Catholicum *probatur* 1'.) EX VERBIS CHRISTI Joan. XX. 23. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex his enim certum eſt, Chriſtum dediſſe Apoſtolis, eorumque in hoc munera ſucceſſoribus, veram poteſtatem remittendi cuique peccata quæcunque, ſine ulla reſtrictione (530.). Atqui

Atqui talis poteſtas nec concedi, nec exerceri ſapienter & ſalvo bono communi maximo poteſt; quin ſimul ad ejus exercitium exquiratur a reis peccatoribus ſincera & diſtincta omnium eorum peccatorum confeſſio; quæ legi Dei graviter obligante prohibentur. Peccata enim, quæ ob gravitatem ſuam, id eſt, ob gravem repugnantiam ſuam cum divinis perfectionibus, cum ſalute propria, & cum ſalute communi maxima humani totius generis, neceſſitate abſoluta prohiberi a Deo ſub æternæ damnationis ſupplicio debent, ſapienter remitti non poſſunt; niſi prius prudenti judicio probe diſpiciatur; an id genus remiſſio non magis obſit tum ſaluti propriæ peccatoris, tum communi maximæ ſaluti aliorum; multo minus ſine tali judicio remitti poſſent peccata omnia quamlibet gravia; quamlibet multa; quamlibet frequenti jam relapſu poſt ſæpe indultam remiſſionem admiſſa; quamlibet noxia etiam temporali, vel ſpirituali aliorum ſaluti.

Atqui tale judicium prudens ab homine ferri non poteſt; niſi prævia ſibi facta a pœnitente confeſſione omnium ſuorum id genus gravium peccatorum quoad ſpeciem & numerum. Non enim niſi his probe cognitis judicare poteſt de obligationibus, quæ ipſi peccatori talium admiſſorum peccatorum cauſſa incumbunt tum ad ſatisfaciendum læſo honori divino, tum ad præveniendum in ea ulteriorem proprium relapſum, tum ad reparandum damnum ſpirituale & temporale exinde aliis hominibus exortum; nec niſi eisdem probe inſpectis rite judicari poteſt; an pœnitens ſit paratus ad omnes illas obligationes, ſibi a ſacro judice explicatas, ex amuſſi implendas; atque adeo, an ſalvo bono ipſius

pro-

proprio, & communi maximo temporali ac ſpirituali, tam plena remiſſio omnium peccatorum eidem indulgeri poſſit. Ergo eo ipſo, quod Chriſtus talem tam illimitatam peccata quævis remittendi poteſtatem conceſſerit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus; ſimul lege hypothetice ſaltem neceſſaria obligavit omnes, qui hujus poteſtatis beneficio uti vellent, ut peccata ſua omnia, ſaltem lege divina graviter obligante prohibita, Miniſtro eam remiſſionem impertituro prius ſincere confiterentur.

Adde 1°.) ex eo ipſo, quod Chriſtus & *retinendi* poteſtatem Apoſtolis, & *ſolvendi* poteſtatem dederit, evidens eſſe, illum voluiſſe, ut judicio illi prius ex diſtincte, cognitis peccatis diſcernerent, an *retinere*, an *ſolvere* deberent.

Adde 2°.) finem inſtitutæ iſtius a Chriſto poteſtatis remittendi quæcunque peccata haud dubie fuiſſe ſecuritatem & tranquillitatem conſcientiæ ipſorum pœnitentium, ex ea authentica remiſſione orituram. Pone vero jam, Miniſtros Chriſti accepiſſe hanc a divino hoc legislatore poteſtatem exercendam ſine id genus prævia diſtincta confeſſione peccatorum ſibi facienda a peccatoribus: quæſo, potuiſſetne aliter ab eis fieri remiſſio peccatorum, niſi ſub conditione, quod pœnitentes nullo impedimento ſalutis propriæ & communis maximæ eſſent inhabiles ad eam & indigni; ſimulque judicium de hoc omne ipſorum pœnitentium conſcientiæ integrum relinqueretur.

Jam vero conſultumne magis hoc pacto tranquillitati conſcientiarum plerorumque omnium foret; quam ſi nulla id genus poteſtate remittendi

Digitized by Google

tendi peccata proprie tali (528.), pœnitentes ad ſolum Dei judicium & miſericordiam ſub ſola Evangelica prædicatione id genus remiſſionis a Deo promiſſæ remitterentur? Enimvero vel ipſi Proteſtantes non fateri non poſſunt; quod, ſiquidem vera poteſtas remittendi peccata a Chriſto relicta in Eccleſia fuerit, ea niſi præmiſſa a pœnitentibus diſtincta peccatorum ſaltem gravium confeſſione nec ſapienter, nec utiliter, exerceri poſſet. Patebit autem ex infra §. 537. dicendis; longe plures majorisve momenti utilitates ex uſu diſtinctæ confeſſionis in publicam ac privatam, temporalem non minus, quam ſpiritualem, ſalutem ex ea neceſſitate diſtinctæ confeſſionis ubertim promanare; quæ quidem omnes ſimplici remiſſione peccatorum pœnitentibus ſine omni inſpectione cauſſarum & criminum facta obtineri nullatenus poſſent.

* Dixi: *ſaltem omnia gravia peccata* confeſſione ſincera exponi debere. Cum enim remiſſio gravium peccatorum reſtitutionem gratiæ ſanctificantis importet (528. n'. 2.); quæ cum gravi peccato nequaquam componi poteſt (Tract. IV. §. 317.): idcirco unum grave peccatum ſine altero remitti non poteſt. Ut ergo vel unum remitti poſſit, omnia exponi debent: quia, quæ non exponuntur, ſacramento pœnitentiæ nec remittuntur; uti modo oſtenſum eſt.

Levia peccata ut hoc Sacramento remittantur, ob easdem rationes hic propoſitas neceſſe quidem eſt ut item exponatur: ſed quia gratiam ſanctificantem non tollunt, nec abſolute impediunt; ſine illorum remiſſione, atque adeo etiam iis non confeſſis, tamen alia, quæ confeſſione exponuntur, remitti poſſunt.

Proba-

Probatur 2'.) EX SS. PATRUM traditione, quam in ordine ad præſens argumentum aliam adducere non oportet, quam illam, qua traditum ſemper a SS. Patribus & Eccleſiæ chriſtianæ probatis ſcriptoribus eſt, a *Sacerdotibus* poteſtatem remittendi peccata, a Chriſto illis relictam, aliter exerceri non debere, niſi cum gravi & diligenti judicio & examine, *primo* an delicta pœnitentis talia ſint, quæ remittere ſalva majore communi & ipſius pœnitentis ſalute mox oporteat: *deinde* an debitam pœnitens mentis diſpoſitionem, convenientem magnitudini & numero delictorum pœnitentiam, & omnia præſtandi chriſtiana officia promtitudinem afferat: *denique* quæ & quanta ſatisfactio, ſpectato diligenter pondere & numero delictorum a pœnitente requirenda ſit.

Quibus *adde:* quod nunquam aliter niſi prævia delictorum confeſſione hæc poteſtas exercita in Eccleſia legatur. Quæ omnia ſane ſupponunt, vel ipſo ſano rationis ſenſu dictante communiter omnes agnoviſſe, tam ſingularem poteſtatem remittendi peccata ſine diſtincto, peccatorum remittendorum cognitione, uti nec a Deo ipſo ſapienter, ita nec ab hominibus poſſe exerceri. Vice verſa iidem *pœnitentibus*, & remiſſionis peccatorum a presbyteris accipiendæ cupidis, conſtanter inculcant; opus eum in finem eſſe, ut pudore noxio omni penitus depoſito, eisdem, ceu judicibus & Medicis ſpiritualibus, ulcera animi omnia, etiam occultiſſima, detegant, eorumque judiciis & conſiliis ſe quoad ſingula ſubmittant. Quo enim pacto talem confitendorum peccatorum neceſſitatem graphice adeo aſſerere poſſent; ſi abſque illa remittere peccata Sacerdotes poſſent? Alterutrum ex

ex his affirmari probe in textibus ſingulis, quos modo afferam, obſerves; nec iſthic quidem adhuc ultra quid poſtules.

Itaque *Origenes* hom. 17. in Lucam explicans illud Luc. II. 15. *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, ſic in rem præſentem ſcribit: *Quamdiu abſconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impoſſibile erat eas penitus interfici. Unde & nos, ſi peccaverimus, debemus dicere: peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abſcondi. Si revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis delebuntur peccata noſtra.* Hom. II. in Levit. idem hujus Sacramenti remiſſionis peccatorum naturam inter alios modos varios veniæ peccatorum obtinendæ ſic deſcribit: *Eſt ſeptima, licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum; - - - cum non erubeſcit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Haud dubius de occulto peccato hic ſermo eſt. Hom. III. in Levit. porro hanc rem tractans ait: *omni genere pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda, quæ gerimus: ſiquid in occulto gerimus; ſiquid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri ab illo quidem, qui accuſator peccati eſt & incentor. - - - Tu ergo dic prior; ne te ille præveniat. - - Pronuntiare peccatum, remiſſionem peccati meretur. Præventus diabolus in accuſatione nos ultra accuſare non poterit.*

Enimvero hic Origenes intentata accuſatione diſtincta peccatorum noſtrorum in judicio divino ſuſtinenda hortatur ad accuſationem illorum diſtinctam in judicio Sacerdotum; ut hujus

ope, ceu certo remedio, illam evitemus, remiſſione per Sacerdotes jam in hac vita obtenta.

Denique Hom. II. in Pſalm. 37. commentans in illa verba, *iniquitatem meam annuntiabo*, hæc habet: *Pronuntiationem iniquitatis confeſſionem peccati frequentius diximus. Vide ergo, quid edocet nos Scriptura divina: quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſis enim, ſicut ii, qui habent intus incluſam indigeſtam eſcam, ſi vomuerint, relevantur; etiam hi, qui peccaverint, ſiquidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a phlegmate peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſſam. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas cauſſam languoris exponere; qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente; qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demum, ſiquid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſiquid conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari: - - - multa hoc deliberatione, & perito medici illius conſilio procurandum eſt.*

Nihil clarius, quam conditionatam ſaltem neceſſitatem confeſſionis diſtinctæ peccatorum ab Origene adſtrui; ſiquis nempe Sacerdotum opera obtinere remiſſionem velit. Inanis *objectio* eſt, Originem hic ſolum de confeſſione Deo facienda loqui; quippe in qua nec pudor, nec difficultas locum habet, & quam vel ipſa verba Origenis apertiſſime refutant.

Tertul-

Tertullianus L. de Pœnit. cap. 9. *Exomologeſin*, id eſt, totam illam actionem deſcribit; qua cum *pœnitentiæ externa* (ſubinde etiam *publica*) *profeſſione* venia delictorum a presbyteris Eccleſiæ petebatur. Fateor enim lubens, magis diſtincte ac explicite Tertullianum ibi loqui de eadem pœnitentia publice acta; cujus etiam adjuncta plura ibidem commemorat, dicens ex. gr.: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu & victu mandat, ſacco & cineri incubare, - - jejuniis preces alere, - - presbyteris advolvi, & earis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. Hæc omnia exomologeſis* (ſubintellige *importat*), *ut pœnitentiam commendet &c.*

At enim, etſi hic *exomologeſis* nomen ſpeciatim pœnitentiæ publicæ applicet Tertullianus; tamen eo nomine ſimpliciter aliud vulgo non intelligebat quam petitionem veniæ a Sacerdotibus cum delictorum confeſſione; ſic enim ait Lib. de orat. c. 7. *Exomologeſis eſt petitio veniæ; quia, qui veniam petit, delictum confitetur.*

Jam hiſce ſuppoſitis, videamus, qualem delictorum confeſſionem neceſſariam affirmet Tertullianus, ut ope exomologeſis qualiscunque, ſeu publicæ, ſeu privatæ, venia reipſa a Sacerdotibus obtineatur. *Pleroſque* (ita pergit lib. cit. de Pœnit. c. 10.) *hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo* (*præſumit* hoc Tertullianus; quia in ſpecie compertum non habebat de *pleriſque*: ac proin de iis, qui occultorum criminum, non qui publicorum, rei eſſent, loquitur) *pudoris*

magis memores, quam ſalutis; velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis (non humano aſpectui patentibus) *contracta vexatione* CONSCIENTIAM MEDENTIUM *vitant* (vide, ut de peccatis conſcientiam Sacerdotum adhuc fugientibus huic ſcriptori ſermo ſit) *& ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere* (ad ſatisfaciendum ergo Domino hunc pudorem deponere neceſſe eſt ex mente Tertulliani). - - *Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur: videlicet ſiquid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? adeone exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparantur? an melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi?*

Negari me hercle non poteſt Tertullianum hic de confeſſione, non præciſe Deo, ſed presbyteris facienda loqui; atque de ea quidem non ſolum generali, ſed diſtincta omnium peccatorum; non jam publice notorum, ſed etiam occultiſſimorum. Verus nempe ſenſus hujus loci eſt: pleroſque pœnitentiæ actionem, ſeu publicam, ſeu privatam, fugere; quia cum utraque neceſſitas conjungitur diſtinctæ confeſſionis omnium peccatorum; publicorum quidem publice, occultorum vero ſecreto uni ſaltem presbytero faciendæ.

Concludit exinde lib. cit. cap. 12. Tertullianus hoc modo: *Igitur cum ſcias adverſus gehennam poſt prima illa intinctionis dominicæ monimenta* (Baptiſmum) *eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia; cur ſalutem tuam deſeris?* - - - *Quid ego ultra de iſtis duobus humanæ ſalutis Pharis, ſtili potius negotium quam officium conſcientiæ meæ curans?*

Neque

Digitized by Google

Neque dicas; Tertullianum mox ibidem pœnitentiam Nabuchodonoſoris & Adami ceu veræ *exomologeſeos* exempla allegare; qui tamen peccata Sacerdoti confeſſi non fuerint: ex his enim illud ſolum relucet, *exomologeſis* nomine in genere apud Tertullianum venire petitionem veniæ cum confeſſione peccatorum plena pœnitentiæ, facienda vel DEO, vel etiam hominibus: nihilominus vero ad exomologeſin illam omnem, qua venia per Sacerdotes Chriſti miniſtros obtinenda eſt, confeſſionem peccatorum diſtinctam illis faciendam ex Tertulliani mente requiri.

S. Cyprianus Lib. de lapſis in eos invectus, qui Apoſtaliæ rei pœnitentiæ publicæ jugum ferre recuſabant, *quanto*, inquit, *& fide majores, & timore meliores ſunt, qui, quamvis nullo ſacrificii facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes DEI dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt. - - - Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum; dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt; dum admitti confeſſio ejus poteſt; dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

S. Hilarius Comment. in caput 18. S. Matth. aperte docet, Sacerdotes ita remittere crimina, ut ſimul judices agant, an remittenda, an retinenda potius crimina ſint. *Ad terrorem autem*, inquit, *metus maximi, quo in præſens omnes continentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit; ut quos in terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & ſolverint,*

confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem; hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.

Atqui judicium, cauſſæ momentis non inſpectis, nec ponderatis, an ſolvi, an retineri peccata ſaluti magis conducat, locum habere non poteſt. Addit S. Doctor continue. *Ergo venia omnis ex eo eſt, cum etiam ea, quæ in ſe ſint peccata, poſt reditum confeſſionis indulgeat.* Fruſtra in his corruptionem textus cum Dallæo Calvini aſſecla fingas; cum codices ad unum omnes conſentiant.

S. Baſilius M. in Regulis brevioribus interrog. 229. *Omnino*, ait, *in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temere aperiunt, ſed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda ſint, teneant: eodem modo etiam confeſſio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea poſſint curare.* Ne vero dubites, quos inter hunc fieri delectum S. Doctor exoptet; adverte eundem ibid. interrog. 288. ſimpliciter pronuntiare: *neceſſario iis peccata aperiri debere, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum DEI.*

S. Gregorius Nyſſenus in Serm. adverſus judicia temeraria, *major in eo*, inquit, *tibi fiducia ſit, qui te in DEO genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es: audacter oſtende illi, quæ ſunt recondita; animi arcana tanquam occulta vulnera medico detege: ipſe & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit. - - Tu vero, cujus animus æger eſt, cur non ad medicum properas? cur non ei confitendo morbum oſtendis tuum?*

S. Hie-

Digitized by Google

S. Hieronymus in cap. X. Eccleſiaſtis. *Si quem ſerpens diabolus* OCCULTE *momorderit, &* NULLO CONSCIO *eum peccati veneno infecerit; ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri; magiſter, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina non curat.* Et ne dubites, quem S. Doctor nomine medici & magiſtri iſthic intelligat; idem in Epiſt. 1. ad Heliod. *Abſit*, ait, *ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, & claves regni cælorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.* Adhuc clarius in cap. 16. Matth. commentans loquitur; *Alligat, vel ſolvit, Epiſcopus vel Presbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii* (id eſt, non alligat pro arbitrio inſontes, vel ſolvit noxios); *ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

S. Ambroſius L. II. de Pœnit. c. 6. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Et ibid. c. 8. exhortans ad pœnitentiam maturandam, hoc motivo utitur: *quia neſcit, ſi poſſit ipſam pœnitentiam accipere, & confiteri DEO & Sacerdoti peccata ſua.*

S. Chryſoſtomus inprimis Sacerdotes *judicis* officium in ligandis & ſolvendis peccatis exercere docet Hom. 5. de verbis Iſai. *Sacerdotii*, inquit, *ſolium in cælis collocatum eſt, & cæleſtia adminiſtrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe cælorum rex: quæcunque enim ligaveritis &c.: quid hoc cum honore conferri poſſit? A terra judicandi principalem auctoritatem ſumit cælum.*

 Nam

Nam judex in terra ſedet; Dominus ſequitur ſervum; & quidquid hic in inferioribus judicaret, hoc ille in ſupernis comprobat. Hom. 30. in Geneſ. vero idem ſcribit: inimicum noſtrum maxime tunc obſiſtere, omniaque moliri, ut nos ſupplantet, quando deliberamus, *peccata confiteri, vulnera medico oſtendere, & ſanitatem conſequi.* Et ne hæreas, qui ſint illi animarum medici ex mente Chryſoſtomi, idem L. II. de Sacerdot. pertractans, quomodo debeant impii ad meliorem frugem revocari, *multa quidem arte*, ait, *opus eſſe, ut ægri Sacerdotum medicinis libenter ſe ſubjicere inducantur.* Vide alium textum hujus S. Doctoris jam ſupra §. 529. lit. f. citatum.

S. Auguſtinus & *S. Gregorius M.* poteſtatem remittendi ſeu ſolvendi peccata Sacerdotibus a Chriſto datam ſæpe exemplo Lazari explicantes, textibus ſupra §. 529. citatis aperte docent, ſolvendi poteſtatem a Sacerdotibus non niſi prævia peccatorum diſtincta confeſſione & cognitione recte exerceri. Sed clariſſime *Auguſtinus* loquitur Serm. 391. de Pœnit. num. 9. *Implicatus igitur mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cælis? - - - Veniat*, inquit, *ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur; - - - a præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum. - - - Id agat, quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam ceteris ad exemplum; uti ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur antiſtiti; in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recu-*

recuſet, non reſiſtat. Enimvero iſta aperte ſupponunt, claves Eccleſiæ ab iſtius miniſtris non niſi omni cauſſæ ſpecie probe inſpecta exerceri poſſe.

S. Innocentius I. in Epiſt. ad Decent. hæc habet: *de pondere æſtimando deli&torum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrimas corrigentis; ac tunc debere dimitti; cum viderit congruam ſatisfa&tionem.*

S. Leo M. Epiſt. 83. ad Theodorum Forojulienſem (alias 91.) ait: *Mediator DEI & hominum J. Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Præclara eſt hæc declaratio naturæ poteſtatis clavium a Chriſto conceſſæ, & conditionis, ſub qua uſus illius eſſe queat. Idem in Epiſt. nunc 136. (olim 80.) datam Ricimero Conſule a. 459. prohibet: *Ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: cum reatus conſcientiæ ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta: - - quia non omnium ejusmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſſunt, non timeant publicare.*

S. Gregorius M. multa clariſſime ſcripſit de confeſſione peccatorum; exquiſitiſſime autem in rem præſentem ſerviunt, quæ habet L. 22. Moral. Hom. 26. in Evang. n. 6. in illa verba commentans, *Quorum remiſeritis &c. Videndum eſt,* ait, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſenten-*

tia abſolvat. Ubi porro reflectens ad ea, quæ a Chriſto in ſuſcitatione Lazari facta ſunt, adnotat: *Lazaro ergo dicitur: veni foras; ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breviter dixerim, ut ſub magno moderamine paſtores Eccleſiæ ſolvere ſtudeant, vel ligare.* - - Nihil magis conſentiens cum iis, quæ in prima probatione adnotavi, dicere S. Doctor potuiſſet.

Concilium Cabilonenſe an. 650. celebratum can. 8. ſic habet: *ut pœnitentibus a Sacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, univerſitas Sacerdotum noſcitur conſentire.*

Concilium Trullanum a. 692. can. 102. *oportet eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccavit, ad converſionem promtum ſtudium, & ſic morbo convenientem adhibere medicinam, ne, ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis. - - Quare qui medicinæ ſcientiam profitetur, oportet eum primum ejus, qui peccavit, affectionem conſiderare, &, ſive vergit ad ſanitatem, ſive contra propriis moribus provocat in ſe morbum, aſpicere &c.* Enimvero hæc pæne eadem ſunt cum iis, quæ in prima probatione, ratione urgens & explicans dicta Chriſti ad Apoſtolos Joan. XX. 21., propoſui.

Alcui-

Digitized by Google

Alcuinus noni ſeculi ſcriptor epiſt. 71. *quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas*, inquit, *ſi vincula non conſiderat ligati? ceſſabunt opera medici, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant; quanto magis vulnera animi ſpiritualis medici ſolatia depoſcunt?*

** Verum ſupereſt, ut uſum qnoque perpetuum diſtinctæ confeſſionis omnium peccatorum, moremque illam exigendi, antequam peccatorum remiſſio a Sacerdotibus fieret, in Chriſti Eccleſia viguiſſe oſtendamus. Quodſi enim exerceri rite ſecundum legem Chriſti poteſtas illa ſolvendi non poteſt, niſi accurato judicio & cognitione peccatorum præmiſſa: eo ipſo, quod inde ab Apoſtolis recto utique ſub ordine exercita haud dubie poteſtas illa in Eccleſia fuerit, haud dubie quoque, uſum perpetuum præmittendæ diſtinctæ confeſſionis peccatorum ante abſolutionem ſacramentalem a peccatis fuiſſe, neceſſitate conſequitur. Itaque porro

Probatur 3'.) EX USU PERPETUO CONFESSIONIS DISTINCTÆ PECCATORUM, in Eccleſia Chriſti inde a principio illius introducto. Ubi illud *inprimis adnoto;* nihil huic argumento obeſſe, cum exempla pœnitentiæ & confeſſionis publice factæ miſcentur exemplis pœnitentiæ ac confeſſionis privatæ. Utraque enim confeſſio, privata, & publica, cum fieret Sacerdoti, decernenti ſatisfactionis menſuram, Sacramentalis erat, ac reſpondebat poteſtati collatæ Eccleſiarum miniſtris ligandi ac ſolvendi. Publicæ enim confeſſioni præibat privata, facta coram proprio Epiſcopo, vel presbyteris huic muneri præfectis; qui (ut ex teſtimonio Origenis ſupra ultimo loco citato perſpicuum eſt) mandabant, ut ex

ex omnibus ſibi confeſſis peccatis ea evulgarentur, quæ, ſervatis prudentiæ legibus, cenſebant ad reprimendos temporum illorum abuſus, terrendosque perverſos, eſſe manifeſtanda; ac deinde imponebant delinquentibus canonicam pœnitentiam; quam poſtea excipiebat abſolutio, & percipiendæ S. Communionis facultas. Cum enim publica peccata ſine occultis remitti non poſſent; iſta æque ac illa prius clam Sacerdoti confiteri debebant pœnitentes, qui ad publicam pœnitentiam admitti poſtulabant; nec vero illis permiſſum erat in hac publice omnia, quæ vellent, nec ſubinde ſine gravibus ſequelis poterant, evulgare; ſed ea ſolum, quæ Sacerdos ex confeſſione percepta tuto & cum ſpirituali quodam fructu evulgari poſſe judicaſſet.

Secundo loco & illud adnoto, non omnia exempla confeſſionis publicæ perinde vim ſolidi argumenti ſe ſolis habere; ſed ſubinde aliqua occurrere, quæ, ceu non ſatis in hiſtoria temporum cum ſuis adjunctis adnotata, ob conformitatem cum aliis clarioribus veriſimillimam ſolum conjecturam faciant, quod confeſſio vere ſacramentalis ac diſtincta etiam in illis intervenerit.

Primum exemplum jam ex *S. Irenæo* L. I. c. 6. & 13. extat; ubi narrat S. Doctor, mulieres a Valentinianis hæreticis & a Marco circumventas, & poſtea ad Eccleſiam converſas, cum reliquis erroribus confeſſas eſſe, ſe amatoriis pharmacis ſibi propinatis ſeductas, ſtupri conſuetudinem cum illis habuiſſe; inter quas uxor quædam diaconi, in eandem calamitatam prolapſa, deinde magno fratrum labore converſa, omne tempus in exomologeſi conſummarit, plan-

plangens & lamentans &c. Enimvero occultiſſima delicta femineus pudor confiteri non ſuſtinuiſſet publice; niſi ſacerdotes in privata prævia confeſſione urſiſſent, ut ad palam convincendas hæreticorum illorum fraudes & ſcelera, & ad aliorum ſeductionem impediendam, publice etiam confiterentur, quid paſſæ ab illis eſſent. Aut quo denique fine ultro id eſſent confeſſæ; niſi deſiderium veniæ a Sacerdotibus obtinendæ eas primo ad occultam, horum vero ſuaſiones ad publicam talium confeſſionem adduxiſſent?

S. Cyprianus loc. ſupra cit. expreſſe meminit, quosdam etiam peccata ſolum cogitatione & propoſito admiſſa *apud Sacerdotes dolenter & ſimpliciter confeſſos, exomologeſin conſcientiæ*, id eſt, occultam, *feciſſe.*

S. Fabianus Papa teſte Euſebio hiſt. Eccl. VI. 34. tertio jam ſeculo Philippo Imperatori ad Eccleſiæ conventum (ſerio, an ſimulate, nil intereſt) accedenti in poſtrema paſchæ vigilia non permiſit ſacrorum aditum, *priusquam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iisque, qui humanitas lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſeſe adjunxiſſet.*

S. Ambroſius, ut ſcribit *Paulinus* ejus Notarius in Vita num. 39., *quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Cauſſas autem criminum, quæ illi confitebatur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus* (ita coævus Paulinus ſcribit) *ut interceſſores apud DEUM magis ſint, quam accuſatores apud homines.*

S. Chry-

Digitized by Google

S. Chryſoſtomus hom. 30. in Geneſin tempus refert, quo ex præſcripto Eccleſiæ confeſſio fieri debebat: *Venimus in magnam hanc hebdomadam: nunc maxime & jejunii curſus intendendus, - - - faciendaque diligens & pura peccatorum confeſſio.*

S. Eleutherius Tornacenſis Epiſcopus, referente Guiberto in ejus vita, DEO revelante cognovit ſecretum Clodovei regis peccatum, quod ex verecundia confiteri non audebat; de quo regem admonuit, ut confiteretur illud. V. P. Le Cointe in Annal. Franc. T. I. ad annum 499.

S. Fulgentii confeſſio, ſeu formula ab iis obſervanda, qui peccata ſua confitebantur, extat hodiedum apud Menardum in notis Sacramentarium S. Gregorii M. pag. 225.

Seculo ſeptimo de *S. Eligio* refert Audœnus Epiſcopus Rothomagenſis in ejus vita c. 7. apud Surium menſe Decembri, de *S. Tillone Abbate* Bollandus die 7. Jan., de *S. Aredio* Gregorius Turronenſis in ejus vita; de *S. Richardo* Alcuinus in ejus vita, & idem de *S. Bavone* (vide Sec. II. Benedictinum pag. 191. & 397.), quod omnia peccata ſua inde ab adoleſcentia coram Sacerdote confeſſi ſint. Theodorus Studites in vita *S. Platonis* commendat, quod iſte ab adoleſcentia paſtori animæ ſuæ confiteri conſueviſſet uſque ad intimas cogitationes. Vide Surium die 16. Dec.

Denique non contemnendum omnino documentum illud de uſu confeſſionis diſtincta mox in prima Eccleſia licet convincens ſe ſolo non ſit;

ſit; quod extat in Ep. II. *S. Clementis I. Papæ* ad Corinthios his verbis: *quamdiu in mundo ſumus, de malis, quæ in carne geſſimus, reſipiſcamus; ut a Domino ſalvemur; dum habemus tempus pœnitentiæ. Poſtquam enim e mundo exivimus, non amplius poſſumus ibi* CONFITERI *aut adhuc pœnitentiam agere.*

Inſuper in Dial. *Egberti Epiſcopi Eboracenſis* de Natali Domini ſub finem legimus: *A temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobornenſis Archiepiſcopi inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima tenebatur, ut non ſolum clerici in Monaſteriis, ſed etiam laici cum conjugibus & famulis ſuis ad Confeſſores pervenirent, & ſe fletibus a carnalis concupiſcentiæ conſortio his duodecim diebus cum eleemoſinarnm largitione mundarent; quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natali perciperent.* Sedit vero Vitalianus Papa ab a. 658. uſque ad an. 672.: Egbertus vero floruit circa annum 737.

Sed nullum exemplum celebrius illo, quod *Socrates* & *Sozomenus* referunt, nullo quidem alio contemporaneo teſte. Et *Socrates* quidem L. V. Hiſt. c. 19. ſic habet: *Sub idem tempus presbyteros Eccleſiarum, qui pœnitentiæ* (μετανοία) *præerant, placuit aboleri, idque ob hujusmodi cauſſam. Poſtquam Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxerant, eo quod cum iis, qui perſecutione Deciana lapſi fuerant, communicare noluiſſent, ex illo tempore Epiſcopi Pœnitentiarum Presbyterum Albo Eccleſiaſtico adjecerunt, ut, qui poſt Baptiſmum lapſi fuiſſent, coram presbytero ad eam rem conſtituto delicta ſua confiterentur. Epiſcopi, qui nunc Eccleſias regunt, cum hoc inſtitutum diu retinuiſ-*

tinuiſſent, tandem Nectarii Epiſcopi temporibus abrogarunt propter facinus quoddam, quod in Eccleſia commiſſum fuerat.

Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa fuerat (ἐξομολογεῖται). *Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcilicet una cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ conveniens oſtenderent. Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt* (græcus Socratis textus hic ita habet: ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει, ἔλεγε γὰρ &c.; id eſt: *at mulier longius progreſſa, & aliud facinus publicavit; dixit enim*) *Eccleſiæ videlicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe.*

Id cum dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt; populus vero graviter commoveri cœpit. Neque enim ſolum ob ſcelus, quod paratum fuerat, indignabantur; verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto aſperſa videbatur Eccleſiæ. Cum igitur eam ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur; Eudæmon quidam Eccleſiæ presbyter Epiſcopo Nectario ſuaſit, ut Pœnitentiarium presbyterum expungeret; unumquemque vero pro arbitrio & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſineret accedere. Neque enim aliter fieri poſſe, ut Eccleſia ab omni probro libera eſſet.

Addit Socrates, ſe Eudæmoni, a quo hæc acceperat, dixiſſe: *conſilium tuum, ó presbyter; utrum Eccleſiæ profuerit, an non, DEUS viderit. Ceterum anſam ex eo datam ſingulis eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant,*

nec obſervent præceptum Apoſtoli, quod ita habet, nolite communicare operibus tenebrarum, ſed potius redarguite.

Idem factum Sozomenus L. VII. hiſt. c. 16. ita narrat: *Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam gratiæ ſit & humana præſtantioris; pœnitentibus vero, licet ſæpius deliquerint, veniam dare Dominus præceperit:* CUMQUE IN PETENDA VENIA PECCATUM NECESSARIO CONFITERI OPORTEAT; *grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſt Sacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare.*

Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecere; ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſe ipſis pœnas criminum exacturos. - - Mulier quædam nobilis ob peccata, quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc presbytero jejunare, ac Deum ſuppliciter exorare; dum hujus rei cauſſa in Eccleſia moraretur, a Diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit: Quia cognitio plebs omnis vehementer ſuccenſuit; eo quod contumelia illata eſſet Eccleſiæ; nec mediocri probro expoſiti erant ſacri ordinis viri. Idcirco Nectarius *presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit.* Addit Sozomenus; factam inde peccandi licentiam majorem: *nam antea*, inquit, *minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta enuntiabant, tum ob ſeueritatem judicum, qui ad id erant conſtituti.* Subdit denique: *in aliis Eccleſiis occidentalibus & Romana ſtudioſe ob-*

obſervari, & etiamnum perdurare illud pœnitentiarii munus, quod Nectarius ea occaſione aboleverat.

His ex Socratis & Sozomeni narratione præmiſſis, ego illud ſolum in præſens, ceu manifeſtum & indubitatum, infero: 1°.) Epiſcopos, qui Pœnitentiarii illius munus primo inſtituerunt, & deinde abrogarunt, pro certo habuiſſe; ad hoc, ut poteſtate Eccleſiæ peccata, etiam publice admiſſa, & publicæ pœnitentiæ ſubjecta, remitti poſſent, opus eſſe confeſſione prævia diſtincta omnium peccatorum, non ſolum, quæ publica jam eſſent, ſed etiam occultorum: 2°.) eo autem fine, cum nimis durum eſſet, etiam publice admiſſa veluti in theatro publice coram tota multitudine confiteri; & alioquin publica peccata ſine ceteris inſuper occulte admiſſis, aut ſine horum etiam prævia confeſſione, remitti non poſſent, inſtituiſſe pœnitentiarii munus, viro *taciturno* & *prudente* ad hoc delecto; cui confeſſio tam publicorum, quam occultorum fieret; & qui utrisque peccatis, priusquam ab eis abſolveret, pœnas per Canones ſtatutas decerneret: 3°.) idem vero munus ex occaſione facti huc uſque enarrati ſub Nectario Epiſcopo abrogatum eſſe.

Primum illatum unice ad præſentem pertinet propoſitionem; in qua aliud nondum aſſero, niſi, peccata omnia prius diſtincte confitenda eſſe, priusquam prudenter remitti a Sacerdote poteſtate a Chriſto conceſſa poſſint. Hanc neceſſitatem & factum ipſum, ab utroque hiſtorico relatum, loquitur; & *Sozomenus*, ceu rem communi judicio in Eccleſia certam, conceptis verbis affirmat, dicens: *cum in petenda venia pec-*

Digitized by Google

peccatum neceſſario confiteri opporteat &c. Socrates denique expreſſe narrat, *mulierem peccata* omnia *poſt baptiſmum admiſſa ſigillatim confeſſam* fuiſſe.

Probatur 4°.) EX CANONIBUS POENITENTIALIBUS veteris Eccleſiæ, qui non ſolum pro publicis, ſed etiam pro peccatis occultis gravibus, quæ non niſi confeſſione ſecreta Eccleſiæ clavibus ſubjecta fuiſſent, certas pœnitentias ſtatuunt.

S. Baſilius Epiſt. ad Ampih. can. 34. „Adul„terio, inquit, pollutas mulieres, & CONFITEN„TES OB PIETATEM, VEL quomodocunque con„victas, publicare quidem Patres noſtri vetue„runt; ne convictis mortis cauſſam præbeamus, „eas autem ſtare ſine communione, juſſerunt; „donec impleatur tempus pœnitentiæ.„

S. Gregorius Niſſ. epiſt. ad Letoj. can. 6. „Qui latente oblatione ſibi alienum uſurpat; ſi „deinde per enuntiationem peccatum ſuum Sa„cerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium „mutato, ægritudinem curabit largiendo, quæ „habet, pauperibus.„ Idem ibid. can. 4. ſic habet: „qui ex ſe ipſo ad ſua proferenda pec„cata impulſus eſt, eo quod ſua ſponte occul„torum accuſator eſſe voluerit, - - - mi„tioribus in pœnis verſatur.„

Concilium Neocæſareenſe a. 315. can. 4. peccatum adulterii ſola cogitatione admiſſum liberum declarat ab obligatione ſubeundæ publicæ pœnitentiæ. Quorſum vero hoc; niſi ut confeſſarii, quibus iſti canones pro regulis ſerviebant, ſcirent; quid agendum ipſis eſſet, ſi

 tale

Digitized by Google

tale peccatum, ſola cogitatione admiſſum, ipſorum judicio in confeſſionibus ſubjiceretur.

Rurſus *S. Cæſarius Arelatenſis*, qui obiit a. 543. hom. 1. in Quadrag. de quibusdam gravibus ibi a ſe enumeratis peccatis dicit: „Hæc „& ejusmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione, non „poſſunt.„ Ergo erant quædam commiſſa, quæ communi & ſecreta ſatisfactione, quam videlicet Sacerdotes in confeſſione *ſecreta* imponebant, *expiari* ſolebant.

Denique memorabile documentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ & *pœnitentialium canonum* locus ille eſt *S. Auguſtini* in Hom. 50. inter quinquaginta. Cap. 11. & 12. „Implicatus ergo, inquit, „tam mortiferis vinculis peccatorum de„trectat, aut differt, aut dubitat confugere ad „ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in ter„ra, ut ſit ſolutus in cœlo; & audet ſibi „poſt hanc vitam, quia tantum Chriſtianus di„citur, ſalutem aliquam polliceri? Nec veridi„cum illud dominicæ vocis tonitruum contremi„ſcit: non omnis, qui dicit mihi: Domine, „Domine! intrabit in regnum cœlorum &c. (Ecce neceſſitatem ſubjiciendi gravia peccata clavibus Eccleſiæ!) - - - Judicet ergo ſe „ipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt; - - - „& cum in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ „ſententiam; veniat ad antiſtites, per quos il„li in Eccleſiæ claves miniſtrantur, & tanquam „bonus incipiens jam eſſe filius - - a præ„poſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ mo„dum (quæ huc uſque dixit S. Doctor, ad omnes peccatores pertinere intelliges ex diviſione, quæ mox ſequitur, in publicos & occul-

tos

tos peccatores) ut in offerendo ſacrificio cordis „contribulati devotus & ſupplex, id tamen „agat, quod non ſolum illi proſit ad recipien- „dam ſalutem, ſed etiam ceteris ad exemplum. „Ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus „malo, ſed etiam ſcandalo ſit aliorum, atque „hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur antiſti- „ti, in notitia multorum, vel etiam totius ple- „bis, agere pœnitentiam non recuſet.

Ergo, ſi peccatum erat quidam *in gravi* peccantis *malo*, ſed non *in ſcandalo aliorum*, ſufficiebat in occulto id ſubjicere *clavibus Eccleſiæ*, & ab *antiſtitibus Eccleſiæ accipere ſatisfactionis modum*: quo pacto autem hoc, niſi prævia diſtincta confeſſione? Subdit dein S. Doctor cauſſam, cur multi peccatores notorii tolerentur in Eccleſia in communione Sacramentorum, dicens: „Nos a communione prohibere quem- „quam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſ- „ſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccle- „ſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. „- - - Noluit enim (DEUS) hominem ab „homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel „etiam extraordinario uſurpato judicio; ſed „potius ex lege DEI ſecundum ordinem Ec- „cleſiæ, ſive ultro confeſſum ſive accuſatum „atque convictum.„

Ex his duo ſic concludo: 2°.) Canones iſti pœnitentiales pro regulis ſtatuuntur, quibus dirigantur Sacerdotes in exercenda poteſtate remittendi peccata adverſus eos, qui non publica, ſed occulta ſolum pœnitentia expiaturi peccata utcunque gravia ad claves Eccleſiæ confugiebant. Ergo ad uſum iſtorum clavium, & in actuali exercitio poteſtatis remittendi pecca-

Digitized by Google

ta talia, ſemper in Eccleſia Chriſti requirebatur diſtincta omnium gravium peccatorum confeſſio, etiam extra pœnitentiæ publicæ proceſſum.

2'.) Cum in pœnitentia publica dictanda tam graves regulæ præſcriberentur circa modum publicæ ſatisfactionis; uti infra uberius exponemus; nullo pacto veriſimile videri poteſt, unquam fuiſſe permiſſum Sacerdotibus in Eccleſia Chriſti, ut peccata occulta æque gravia, vel graviora iis, quæ pœnitentiæ publicæ, ſi publice de iisdem admiſſis conſtaret, ſubjici conſueverant, ſine omni prævio examine diſtinctæ confeſſionis generali abſolutione remitterent.

* Abſtineo ſciens a non nullis locis S. Scripturæ pro argumento ulteriore alligandis, quia incerta illorum interpretatio eſt. Sic Act. XIX. 18. legimus: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos*: Sed dubium eſt, utrum de converſis ex paganiſmo, & ſub generali confeſſione baptiſmum petentibus, an de jam prius Chriſtianis diſtincte confitentibus, ibi ſermo exiſtat.

Certe Act. XI. 21. de Gentilibus recens converſis ſimillime dicitur: *multus numerus credentium converſus eſt ad Dominum*: & Matth. III. 6. *baptizabantur ab eo* (S. Joanne Baptiſta) *in Jordane confitentes peccata ſua*: in quibus locis eadem verba græci textus occurrunt, πεπιςευκοτων, ἐξομολογέμενοι. Unde non niſi pauci ex Patribus hæc de confeſſione ſacramentali, nec illi quidem ex primi nominis Patribus, exponunt; ſicut & antiquiorum Theologorum vix aliqui.

Locus

Locus Jacobi V. 16., *confitemini alterutrum peccata veſtra*, etſi, ut Lorinus in Comment. oſtendit, excepto S. Bernardo, vix antiquior aliquis Patrum illum clare de ſacramentali confeſſione exponat; & Scotus, Maldonatus, Cajetanus, aliique negent, illum de ea intelligendum eſſe; communius a Theologis ſcholaſticis de confeſſione illa exponi ſolet, nec male, ut opinor attamen eo ipſo decretorium argumentum non conficit.

Minus adhuc rem certo probat locus ex I. Joan. I. 9. *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis &c.*: quia præcedentia verba, *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, & ſequentia, *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendacem facimus DEUM*, non niſi generalem confeſſionem innuunt.

537.

Poteſtatis veræ remittendi peccata uſus ſub conditione neceſſario præmittendi confeſſionis diſtinctæ peccatorum, atque ex ea concepti prævii maturi judicii de debita diſpoſitione & dignitate pœnitentis ad accipiendam ſimpliciter remiſſionem peccatorum, immenſæ per ſe utilitatis eſt in Eccleſia Chriſti: 2'.) qua utilitate omni ex adverſo continuo carebit, ſi tollas neceſſitatem præmittendæ diſtinctæ peccatorum confeſſionis.

Oſtendo primum ex natura rei. Nam 1'.) eſt medium experiendi de ſingulis chriſtianis, an in neceſſariis fidei & morum doctrinæ dogmatis, & ſpeciatim, quæ ad agendam rite pœnitentiam de

de commiſſis peccatis ſpectant,. ſatis inſtructi ſint; cum nimirum advertit ſacer judex, quo pacto reus ſe ipſum accuſet; quo pacto de peccatis ſuis doleat; & propoſitum efficax præſeferat emendationis.

2°.) Eſt medium ſingillatim edocendi omnis conditionis, ſexus, ætatis, & ſtatus Chriſtianos de officiis & obligationibus ſuo ſtatui propriis, occaſione capta ex ipſa accuſatione peccatorum, & ſupplectione examinis ab ipſo reo præmittendi; quorum officiorum quanta ſit in pleriſque ignorantia, non niſi probe exercitatus in hoc munere ſacri judicis familiariorem notitiam habere poteſt.

3°.) Eſt medium ſaluberrima conſilia dandi omnibus, in quacunque neceſſitate ſpirituali, in quocunque dubio, in quocunque periculo ſalutis conſtitutis; ſalvo ſummo arcano omnium, quæ in hoc ſacro judicio pertractantur, ob graviſſimam & abſolute indiſpenſabilem ſacri ſigilli obligationem; quam ſuppono ex Theologia Morali.

4°.) Eſt medium pæne unicum edocendi peccantes de obligationibus graviſſimis, & difficillimis, iisdemque ſummi ad publicam ſalutem temporalem & æternam momenti; quæ exoriuntur ex ipſis ſemel admiſſis, ac præſertim frequentatis peccatis; puta, de obligatione reſtituendi ablata; reparandi damna injuſte illata in bonis fortunæ, & famæ, & ſalutis per ſcandala; dandæ veniæ inimicis; fugiendæ occaſionis denuo peccandi adhibendi media neceſſaria adverſus relapſum; ſanandi malas peccandi conſuetudines utcunque inveteratas; ſu-

ſuperandi tentationes omnis generis, utcunque graves; devitandi denique omnes dæmonis fraudes.

5'.) Cogita hæc omnia & ſingula per hoc medium ex æquo perurgeri in principibus chriſtianis, in rectoribus ſummis Eccleſiarum, in utrorumvis miniſtris, in judicibus ſacris & profanis, in Medicis ipſis corporum & animorum, in univerſis alienorum bonorum adminiſtratoribus, in parentibus & liberis, in præpoſitis & ſubditis, in heris & famulis, in Magiſtris & diſcipulis, in omni ſexu, ætate, & conditione hominum &c.: & collige, quanta ex hoc uno miſericordiæ divinæ judicio ſalus ſit.

Alterum per ſe patet. Pone enim ab exercitio poteſtatis iſtius aggratiandi, & remittendi quæcunque peccata, abeſſe judicium prævium exactum ac maturum de ſtatu, de præparatione, ac diſpoſitione pœnitentis; proindeque peccata, nullo indicio prodita ſacris adminiſtris, ab his remitti ad vota pœnitentium, ſolo generali ſigno externo qualicunque pœnitentiæ ac deſiderii abſolutionis præmiſſo: evaneſcent univerſæ utilitatis iſtæ, & hypocriſis ac ſimulatio facillime eblandietur omnem peccatorum remiſſionem ſine omni ſpe & propoſito emendationis.

* Agnovit emolumenta iſta probe acatholicus licet auctor operis, quod inſcribitur *Diogenes Chriſtianus*, non ita pridem editi; quem inexpertus iſtius operis cenſor Mietavienſis ſane inepte irriſit, aggerendos ad fructus iſtos obtinendos ex confeſſione diſtincta non

opus eſſe intolerabile jugum imponere confitendi exacte omnia peccata ſua Sacerdoti, ab Epiſcopo conſtituto; libertatem potius relinquendam conſcientiæ, ut quivis ipſe ſibi deligere amicum ex cariſſimis poſſit; quocum arcana conſcientiæ ſuæ tractet, & a quo conſilia pro fiducia ſua expetat. O cœnam ſciolorum & inexpertorum hominum ſapientiam! Non advertunt illi, leges, quibus ſalus publica ſtat potiſſimum, ad communem vulgi & longe maximæ partis ſubditorum indolem exigi, & conformari debere. Eſto ſane; fore quosdam, qui, ſi liberum per divinam legem illis foret, pro arbitrio deligere medicos ſacros, quibus intimæ mentis ſuæ arcana vulnera panderent, pro gravitate negotii optimos quosque & ſapientiſſimos viros ultro deligerent. At enim quotusquisque ex millenis tam ſapientem delectum faceret? Imo quot forent, qui non ineptiſſimos animorum ſuorum medicos, & ſpiritualis ſalutis conſultores ineptiſſimos, imo noxios deligerent? An non in præſens plurimi ex ſacerdotibus, ingenti numero pro hoc ſacro tribunali ſedentibus, ineptiores eligunt?

Eheu! non ego aliam magis noxiam perniciem in Eccleſia Chriſti graſſari exiſtimo, quam nimis quam ſuperficiale ſtudium in delectu ſacrorum judicum; quo admitti ad tam grave judicium exercendum in dies videmus juvenes imprudentes, inexpertos, in regimine animorum (quæ ars artium eſt) nullo uſu verſatos, parum eruditos, ſæpe propriæ ſalutis incurios, non raro unice ex neceſſitate quærendi victus ad eam vocationem ſequendam permotos.

Con-

Digitized by Google

Conſuetudo, quæ jam irrepſit, ut in quibusdam Mendicantium religioſorum cœnobiis pæne omnes ſacerdotio initiati, licet rudi ſæpe minerva homines, publicis in Athenæis vix notam aliquam boni ſtudiorum profectus promeriti, tamen ad ſacrum tribunal exponantur, occaſionem dedit, ut etiam clerici ſeculares, religioſorum æmulatione ducti, & ipſi pæne omnes, etiam adhuc ſumme juvenes, ac ſe ipſos regere neſcii, ad divinum hoc tribunal occupandum aſpirare nihil vereantur; & proh dolor! importunitate ſua impetrant ab Ordinariis, quod ſumma poſtulant temeritate. Ego vero optem, ut ad quartam ſaltem partem ſacrorum judicum numerus, qui hodie eſt, in religioſorum cœnobiis reduceretur; & univerſe non niſi primæ notæ ſacerdotes, debita ſcientia omnium confeſſione, multo autem magis juſto ac prudente Zelo DEI gloriæ & alienæ ſalutis eximie ad hoc munus inſtructi tam grave, tam angelicis humilis intolerabile, admoverentur.

Tum ſane fructus uberior in oculos brevi incurreret; quin opus eſſet apparatum veterem publicæ pœnitentiæ, olim Eccleſiæ familiarem (quod multi, neſcio an prudentes, exoptant), in uſum denuo revocare. *In iis probandis*, qui ad confeſſiones audiendas exponendi ſunt, ait S. Carolus Borrom. in Concil. Mediolan. I. parte 2., *hanc habeant rationem Epiſcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum ſalute ſolliciti, & fideles cuſtodes ſint eorum, quæ in confeſſione dicuntur; provecta etiam ætate, præſertim illi, quibus confeſſiones mulierum erunt audiendæ.*

His

Digitized by Google

His tamen inſuperhabitis tum ex natura iſtius inſtituti per ſe patet, tum iis, qui non nullo uſu hujus ſacri judicii, prudenter & ſancte adminiſtrati, pollent, notiſſimum eſt, immenſos exinde fructus in ſalutem animorum æque ac felicitatem publicam etiam temporalem redundare.

538.

Virtute divinæ inſtitutionis Sacramentum abſolutionis pœnitentium (533.) *ita neceſſarium medium ſalutis eſt pro univerſis, qui poſt baptiſmum gravia committunt peccata, ut, niſi illo utantur reipſa, cum poſſunt; aut, cum non poſſunt, ſincero voto ſaltem id expetant, peccatorum veniam a DEO, & ſalutem ſperare omnino non poſſint.*

Dogma Catholicum *probatur* 1°.) EX VERBO DEI. Chriſtus Dominus dixerat jam alias Joan. V. 22.: *Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium; ſicut honorificant Patrem:* idque dixerat, ut rationem redderet illius, quod ibidem præmiſerat, *filius, quos vult vivificat*; quod de vita animæ maxime intelligitur; quo loquendi modo non negat, Patrem quoque judicare, ſed ſolum dicere vult, patrem non ſine filio judicare quemquam, ſed judicium exercere per Filium.

Cum itaque idem Chriſtus Dominus Joan. XX. 21. ad Apoſtolos ſuos: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. - - - Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* quid aliud voluit dicere quam hoc: ſicut Pater neminem judicat niſi per me, & idcirco me miſit,

miſit, ut judicem ipſe, quamdiu in terris præſens ſum, & miſſio hæc mea durat: *ſic* pariter *ego mitto vos*, ut me non amplius coram præſente vos meo nomine judicetis. Non ego jam excerbo hoc judicium ſine vobis, ſed per vos: non niſi quorum vos remiſeritis peccata, iis remittuntur; & quorum vos retinueritis (id eſt, non remiſeritis) eis remiſſa nec apud me ſint. Pariter Matth. XVI. *claves regni cœlorum* S. Petro ſeu Primati Eccleſiæ daturum ſe Chriſtus promiſit; id eſt, non niſi per Petrum ut Vicarium ſuum applicandas.

Unde vox *retinueritis*, *ligaveritis*, explicita quidem emphaſi dicit poſitivam retentionem ex prævio judicio cenſentis, non eſſe remittenda; ſed eo ipſo etiam implicitum ſenſum negativum importat; *quorum vos non remiſeritis, eis non ſint remiſſa:* ſecus enim retineri non poſſent omnino etiam poſitive peccata; niſi ſolum publice admiſſa; ſaltem donec publica de eis ſufficiens, per ſe mere externa, pœnitentia ageretur: occulta vero retineri non poſſent; quia officium ſacri judicis ad remiſſionem illorum nec jure divino neceſſarium eſſet; nec jure divino abſente confeſſio jure humano imperari, vel exigi de certis ſolum peccatis occultis poſſet; id quod plerique Theologi admittunt; ſine prævio autem diſtincto judicio circa particularia quævis individua certa peccata etiam occulta univerſe a remiſſione excludere; aut eis pœnitentias præſcribere, poſt quas retentio tollatur; quin de pœnitentiæ internæ ſufficientia ullum judicium ferri poſſet; enimvero id genus retentio enervis, nimis quam limitatæ poteſtatis effectus, parumque auctoritatis Chriſti Vicariis conciliatura eſſet, nec exprimeret ullo pacto vim ver-

verborum Chriſti: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* cum ne quidem ſcirent, in quos occultos individuos peccatores vim ſuam retinendi exercerent.

Quodſi dicas: Eccleſiæ rectores poſſent certorum criminum etiam occultorum reos ad confeſſionem obligare, & niſi uſque ad præſtitum obſequium retinere illis ea peccata: *repono*; ſi vel hoc admittas ſemel, male incuſas generale Eccleſiæ præceptum confitendi ſemel in paſchate, eos adſtringens; qui gravium peccatorum ſunt rei: quia poteſtas retinendi a Chriſto conceſſa eſt generalis: *quorum retinueritis* &c.

Deinde ſi Eccleſiæ hanc Chriſtus dedit poteſtatem videlicet retentione peccatorum obligandi fideles ad confeſſionem; ſapientius ipſe hanc impoſuit neceſſitatem; quia hoc pacto ingens ille fructus confeſſionis, de quo §. præc., multo certius & uberius obtinetur, faciliusque legi divinæ quam mere Eccleſiaſticæ obſequium reſpondebit. *Si rurſum dicas*: fore, ut retineri poſſent peccata iis, qui ultro venerint ad ſacros judices, & confeſſi fuerint: *ajo*, fore, ut nullus veniat, qui retentionem talem metuendi habebit cauſſam.

Probatur 2°.) EX TRADITIONE SS. PATRUM. Attuli jam §. 536. *Probat.* 2. ex *Origene*, *Tertulliano*, *ex S. Cypriano* & *S. Baſilio*, aliquos textus, præſenti dogmati conſentaneos; item *Probat.* 3. ex *Sozomeno*; *Probat.* 4. ex *S. Auguſtino.* His porro ſequentia addamus.

S. Pazianus a. 390. florens in Exhort. ad pœnit. „rogo ergo vos, fratres, inquit, per il-

„lum

Digitized by Google

„lum Dominum, quem occulta non fallunt; de-
„ſinite vulneratam tegere conſcientiam: pru-
„dentes ægri medicos non verentur, ne in oc-
„cultis quidem corporis partibus ſecaturos,
„etiam peruſturos; - - - & peccator eru-
„beſcet perpetuam vitam præteriti pudore mer-
„cari? — An ſic illi melius eſt perire? Enim-
vero his neceſſitas uſus medicorum ſpiritualium
exaggeratur.

S. Chryſoſtomus Hom. de Samaritana mu-
liere, poſtquam probaverat, occultum fuiſſe;
quod illa confeſſa erat, peccatum; „imitemur,
inquit, „& nos mulierem Samaritanam, & ob
„propria peccata non erubeſcamus. - - -
„Qui enim homini detegere peccata erubeſcit,
„- - - neque confiteri vult, & pœnitentiam
„agere; in die illa non coram uno, vel duo-
„bus, ſed uni verſo terrarum orbe ſpectante
„traducetur.

S. Leo M. Epiſt. 83. ad Theodorum Foroju-
lienſem (alias 91.) clariſſime ſic habet: „Mul-
„tiplex miſericordia DEI ita lapſibus ſubvenit
„humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam,
„ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vi-
„tæ reparetur æternæ; ut, qui regenerationis
„dona violaſſent, PROPRIO SE JUDICIO CON-
„DEMNANTES (id eſt, in confeſſione accuſan-
tes) „ad remiſſionem criminum pervenirent;
„ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut in-
„dulgentia DEI non niſi ſupplicationibus Sacer-
„dotum nequeat obtineri. Mediator enim DEI
„& hominum J. Chriſtus hanc præpoſitis Ec-
„cleſiæ dedit poteſtatem, ut & confitentibus
„actionem pœnitentiæ darent, & eosdem ſalu-
„bri ſatisfactione purgatos, ad communionem
„Sa-

„Sacramentorum per januam reconciliationis „admitterent.„ Et infra. „Multum utile ac „neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante „ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſol„vatur.

S. Auguſtinus Serm. 49. inter 50. (nunc 392.) „Qui poſt uxores veſtras vos illicito con„cubitu maculaſtis, - - agite pœnitentiam, „qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis „Eccleſia. Nemo ſibi dicat: occulte ago; „apud DEUM ago: novit DEUS, qui mihi „ignoſcat; quia in corde meo ago. Ergo ſine „cauſſa dictum eſt: quæ ſolveritis in terra, „ſoluta erunt & in cœlo? Ergo ſine cauſſa „ſunt claves datæ Eccleſiæ DEI? fruſtramus „Evangelium? fruſtramus verba Chriſti? Pro„mittimus vobis, quod ille negat?

Ecce! neceſſitatem clavium Eccleſiæ? Proximum ſermonem inter 50. ultimum (nunc 393.) poſtquam impium admonuit, ut pœnitentiam agat, dum ſanus eſt, ita concludit: „quia ſi „ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit, ſi ipſam „pœnitentiam accipere, ac DEO & Sacerdoti „peccata ſua confiteri poterit.

Probatur 3'.) EX PRAXI PERPETUA ECCLESIÆ. Nihil enim ignorantius dici poteſt, quam neceſſitatem iſtam ab Innocentio III. Pontifice primum a. 1215. in Lateranenſi IV. Concilio impoſitam fuiſſe canone, *omnis utriusque ſexus* &c. Ex una enim parte uſus confeſſionis jam inde a primis Eccleſiæ ſeculis conſtans viguiſſe §. 537. oſtenſus fuit: ex altera parte hodiedum æque, ac omnibus anterioribus ſeculis, in omni orbe chriſtiano, uſus & præceptum confeſſionis gra-

gravium peccatorum viget; &, vigebat omni tempore, ad quod hominum chriſtianorum memoria ſe extendit. Vigebant ea æque in græca orientali & occidentali Eccleſia; atque idcirco Innocentio III., illum Canonem proponenti, nemo unus Epiſcoporum ſe oppoſuit; ceu in quo novi in ſubſtantia nihil, ſed obligatio Eccleſiæ chriſtianæ coæva, proponebatur.

Itaque *Innocentius III. auctor non erat hujus neceſſitatis.* Idem vero iterabo argumentum adverſus quemlibet alium, qui inſtituiſſe, vel induxiſſe hanc neceſſitatem in Eccleſiam fingetur. Cumque nullus auctor primus oſtendi poſſit in re tam gravi; tam, ut ajunt, cunctis moleſta; quidnî recte inferam cum Tertulliano & Auguſtino, hanc traditionem cum ipſa praxi a Patribus, ab Apoſtolis, a Chriſto acceptam fuiſſe? Et vero *in latina Eccleſia* eam traditionem viguiſſe vel ſolus *S. Leo M.* probat. præc. citatus teſtis eſt omni exceptione major.

Eccleſiam vero orientalem eo tempore, quo Innocentius III. canonem illum edidit, veteri ſtabilitam lege jam habuiſſe confeſſionis neceſſitatem, patet ex libro *Simeonis Theſſalonicenſis* de Sacramentis, qui Seculo XI. inter græcos ſcriptores floruit; ex cenſura *Gabrielis* Philadelphienſium Antiſtitis, nec non ex poſterioribus *Joachimi* Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Calvinianos Epiſtola, ex ſynodis adverſus *Cyrillum Lucarim* Apoſtatam Patriarcham celebratis. Extat hujus rei præclarum teſtimonium Pœnitentiale *Joannis II. Jejunatoris* Patriarchæ Conſtantinopolitani S. Gregorio. M. coævi, Nomocanan editus a *Joanne* Neſteuta, & *Euchologia* græcorum complura, Sacramenti confeſſionis

formam ritumque præſcribentia. Certe hodiedum eadem doctrina & praxis Græcæ Eccleſiæ eſt cum latina in hac parte; quod conſtabit cuique, quem ſubeat animus peragendi regiones græcorum.

Nihil obſtat, presbyteros græcorum perraro confiteri. Etſi enim perraro, aliquando tamen confitentur. Fit vero iſtud ex metu, ne ſeveritate Canonum Baſilianorum arceantur a ſacris; qua perverſitate confirmant, non evertunt majorum diſciplinam & inſtitutum; qua etiam de re graviter increpuit Græcos Eugenius IV. in Florentino. Exploratiſſimum tamen eſt, ipſos græcorum ſacerdotes aliquando confeſſione purgari; ex laicis vero nullum ad ſacram ſynaxin inconfeſſum accedere. Eadem Armenis Coptisque diſciplina eſt Joanne Bapt. Sollerio teſte Tom. V. menſis Junii in Actis SS.

Probatur 4.) EX CONCILIO TRIDENTINO Seſſ. XIV. cap. 5. ſic ſtatuente. *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: quia D. N. J. Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui vicarios reliquit, tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur; in quæ Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate clavium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem in pœnis injungendis ſervare potuiſſe; ſi in ge ere duntaxat, & non potius in ſpecie ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.* Et ibid. can. 7. *Siquis dixe-*

Digitized by Google

dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria habeatur, etiam occulta; - - ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad canonicam pœnitentiam imponendam &c. *anathema ſit.*

* Non fuit ante Lutherum ex univerſis Eccleſiæ catholicæ hoſtibus, qui aut neceſſitatem confeſſionis ad Sacramentum pœnitentiæ recipiendum, aut ipſius Sacramenti abſolutionis pœnitentiæ neceſſitatem in gravium criminum reis chriſtianis, inficiaretur. *Novatiani* enim fere ſolum negabant, poteſtatem remittendi certa crimina graviora Eccleſiæ conceſſam eſſe (530. not. 1. in fine). *Wicleffitæ*, & *Waldenſes* teſte Boſſueto in Hiſt. Variat. L. XI. n. 104. & n. 165., ex Concilio Conſtantienſi, ex Thoma Valdenſi, atque ex ipſo Wicleffi Trialogo L. IV. c. 10. id probante, a Sacerdotibus improbis ſolum ad probos laicos transtulere poteſtatem ſolvendi peccata.

Primus Lutherus in Serm. de Confeſſione & Euchariſtia edito a. 1519. docuit, *confeſſionem non a DEO, ſed a Papa eſſe præceptam*: utilem tamen eſſe confitetur in Viſitat. Saxon. a. 1528.; in Artic. Smalcald. a. 1537. de ea ait, *debere eſſe liberam, ut quisque enumeret, quæ voluerit.*

Melanchton in locis communibus editis a. 1522. negat, in edit. 1543. & in Artic. XII. ad Franciſcum I. Galliæ regem miſſis admittit. Quidquid autem ſit; ne-

Digitized by Google

gat cum Luthero Magiſtro, abſolutionem ſacramentalem eſſe actum judicialem, atque ſolum eſſe declarationem extrinſecam, qua abſolutus excitatur ad fidem &c. Unde Artic. XI. Confeſſionis Auguſtanæ (cujus ille eſt auctor) definitur, neceſſariam non eſſe pœnitenti delictorum enumerationem; *modo ex Evangelio, ſeu abſolutione, credat, propter Chriſtum remitti peccata.* Saxones tenent catechiſmum minorem Lutheri; in quo tit. *de Confeſſione* hæc quidem præſcribitur q. 1. & 2., ſed abſolutio Sacerdotis per præconium Evangelii explicatur.

Calvinus L. IV. Inſtit. cap. 15., confeſſione rejecta, totum Sacramentum abſolutionis pœnitentium ad Baptiſmi memoriam revocat (434. not.). Idem ſenſit *Zwinglius* in L. de vera & falſa religione. Supponimus autem hic dogma de vera poteſtate remittendi peccata a Chriſto ſuis Apoſtolis relicta, quod ſupra contra iſtos novarum ſectarum auctores §. 527. abunde evicimus; cujus quidem everſio præcipuum illorum fundamentum erat tollendi confeſſionem diſtinctam: ſiquidem ad fidem de futura per unius Chriſti meritum remiſſione præciſe in pœnitente excitandam a præcone Evangelii utique neceſſaria diſtincta peccatorum confeſſio non foret. Unde non niſi ea argumenta refutabimus; quæ dogmata inde a §. 536. propugnata, eorumque probationes, proprius attingunt.

** Itaque *contra neceſſitatem diſtinctæ confeſſionis præviæ ad rite a Sacerdotibus exercendam poteſtatem remittendi peccata* Objiciunt 1'.)

a.) Verba

Digitized by Google

a.) Verba Chriſti Jo. XX. *quorum remiſeritis &c,* æque exprimunt poteſtatem remittendi peccata infidelibus converſis per Sacramentum Baptiſmi, atque chriſtianis pœnitentibus poſt Baptiſmum: atqui ad exercendam illam poteſtatem per baptiſmum opus non eſt tam exacto judicio prævio & inſpectione cauſſæ totius per præviam diſtinctam confeſſionem omnium peccatorum, quæ remittenda ſunt: ergo nec ea opus eſt ad Sacramentum abſolutionis pœnitentium Chriſtianorum. *Major propoſitio* vim obtinet ab interpretatione *S. Cyrilli Alexandrini* Comment. in Joan.; quem ſecutus eſt *Janſenius Gandavenſis.*

Reſp. Nego majorem; quam unius, vel alterius interpretis, quanticunque cetera nominis, opinio firmare non poteſt. *Baptiſmus* non pro peccatoribus actualium culparum reis *præciſe,* ſed pro cunctis hominibus, etiam infantibus, ſolo originali peccato irretitis, per ſe ac primario loco inſtitutus eſt, ceu Sacramentum regenerationis ſecundum ſpiritum, cuivis ſecundum carnem nato ex Adam neceſſarium; ſecundum illud Jo. III. 5. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto &c.* Unde nec Chriſtus generatim aliud præſcribit pro aſſociandis Eccleſiæ ſuæ infidelibus & Judæis, niſi illud Matth. ult. *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes eos.*

Præceptum vero pœnitentiæ, quod Apoſtoli adultis ante baptiſmum inculcabant (ex. gr. Act. II. 38. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum &c.* vide §. 451. n'. 4.) eſt juris naturalis, non poſitivi. Pœnitentia ſemel præmiſſa, quæ omne impedimentum gratiæ removet, baptiſmus proprium ſuum parit effe-

ctum, nimirum vitam ſpiritualem in omni nato ſecundum carnem (456). Unde nec Eccleſia univerſalis unquam ſibi ſumſit officium judicis in nondum baptizatos; etſi illos officii naturalis pœnitentiæ admonuerit; nec niſi rite probatos, ac vere pœnitentes, ad ſacrum fontem baptiſmi admiſerit.

Sic certe clariſſime ſcribit Apoſtolus I. Cor. V. 12. poſtquam admonuiſſet, communionem eorum, qui *fratres*, id eſt, Chriſtiani, nominantur, ſi ſcelerati ſint, ceteris probis Chriſtianis vitandam eſſe: *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, judicatis? Nam eos, qui foris ſunt, DEUS judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.*

Ex adverſo Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis pro regenda Eccleſia ſua viſibili, id eſt, pro jam baptizatis (Dem. Cath. §§. 95. 112. Cor. V.), poteſtatem veram remittendi peccata æque ac retinendi dedit, eo quidem fine, ut auctoritatem illis, ceu rectoribus ſpiritualibus, conciliaret inter Chriſtianos, ceu ſubditos; utpote qui & poteſtate aggratiandi, id eſt, DEI gratiam peccatoribus reſtituendi, & poteſtate retinendi peccata, id eſt, immorigeros ſubditos a DEI gratia excludendi, præditi divinitus eſſent (Dem. Cath. §§. 121. 122. 123.).

Hanc fuiſſe Chriſti mentem, manifeſte patet ex eo; quod Matth. XVIII., cum de fratrum id eſt, chriſtianorum, correptione agens (*Si autem peccaverit in te frater tuus* v. 15.) dixiſſet, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, ad oſtendendum grave pondus auctoritatis eorum, quos Eccleſiæ rectores eſſet conſtituturus, mox addiderit promiſſionem

nem de concedenda Apoſtolis poteſtate remittendi & retinendi peccata: *Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Porro quod promiſit Matth. XVIII. cit., idem & ſub eadem ratione actu conceſſit Joan. XX, dicens: *quorum remiſeritis peccata &c.*

Unde nec ritum alium ſenſibilem in remittendis chriſtianorum peccatis Chriſtus Apoſtolis præſcripſit; niſi qui in ſignificatione remiſſionis per verba convenientia conſiſteret: cum ex adverſo pro initiatione viſibilium membrorum Eccleſiæ ablutionem corporis in aqua inſtituiſſet.

Ratio vero hujus conſilii Sapientiæ divinæ tam diverſi in remittendis per Baptiſmum peccatis, & in iisdem remittendis per Sacramentum abſolutionis pœnitentium Chriſtianorum, etſi nos imbecilles ſcrutari eam perfecte vix poſſimus, *in genere* quidem indubitato illa fuit; quia prævidit, minus profuturam converſioni infidelium legem confeſſionis diſtinctæ de peccatis ante baptiſmum admiſſis; profuturam vero magnopere eandem jam baptizatis impoſitam de peccatis poſt baptiſmum admiſſis, ſecundum regulam de omnibus legibus divinis poſitivis in Eth. Univ. Chriſt. §§. 399. 400. a me jam ſtabilitam.

Cur autem minus profutura erat ea lex nondum baptizatis, veriſimillime exinde erat; quod ex una parte nondum baptizatos, ceu minus adhuc illuminatos in toto negotio ſalutis, multoque debiliores, ejus legis difficultas in ipſo ingreſſu Eccleſiæ nimis quam

abſterruiſſet; ex altera vero parte omnes utilitates, ex ejus legis obſervantia extituræ, abunde obtinentur, ſi omnes Chriſtiani mox inde ab accepto baptiſmo obligentur peccata deinceps ab eo temporis momento admiſſa confiteri; quo ipſo periculis, ex facilitate remiſſionis per Baptiſmum acceptæ fors metuendis, ſatis cavetur.

Atque hæc ipſa haud dubie vera ratio eſt, cur in Baptiſmo plena remiſſio fiat ſine ullo reſiduo reatu pœnæ temporalis; etſi pœnitentia non perfecta, ſed imperfecta ſolum, præmittatur: quia nimirum pericula, ex tali nimis quam liberali prima remiſſione fors exoritura, facile conſequentis poſt nova peccata exinde admiſſa obligationis, tam confitendi, quam perfecte pœnitendi, ſeveritate caventur.

Atque iſthæc reſponſio, multo, ni fallor, magis completa, quam quæ vulgo a Theologis ad hoc argumentum dari ſolent, ſupplementi loco dictis a me in Eth. Univ. Chriſt. §. 271. n. 3. not. 1. Verbo: ſemel conceſſa liberalior remiſſio, ex ſpeciali titulo primæ agnitionis & conceptæ fidei de meritis JESU Chriſti ceu veri DEI Filii, non obeſt, ſed prodeſt potius facilitati inchoandæ ſalutis. Aſt par ſemper facilitas in peccatis remittendis quovis deinceps tempore ſine omni judicio, inſpectione cauſſæ, & cautela relapſuum, ipſa impunitate ſcelerum licentiam provocat.

b.) *Objiciunt* porro ſilentium Chriſti de confeſſione exigenda in exercitio poteſtatis remittendi peccata.

Reſp. Cum ejus poteſtatis ſapiens exercitium per ſe confeſſionem ex parte reorum, & accuratam cauſ-

ſæ

ſæ inſpectionem ex parte judicis abſolventis, depoſcat; nec aliter fidelium ſaluti utile eſſe queat; opus non erat diſtincta expreſſione obligationis confitendi. Fortaſſis autem declaravit etiam illam neceſſitatem Chriſtus Apoſtolis conceptis verbis: neque enim omnia Chriſti dicta in Evangeliis deſcripta ſunt. Sufficit uſu perpetuo obſervatam illam confeſſionis legem, & ab ipſis proinde Apoſtolis mox hanc exactam fuiſſe.

*** *Objiciunt 2°.) contra antiquitatem ac perpetuitatem uſus confeſſionis diſtinctæ in Eccleſia Chriſti:* a°) Ex hiſtoria ſuperius ex Socrate ac Sozomeno relata (536. probat. 3.) patet *primo*, ex occaſione hæreſis Novatianæ recens introductum fuiſſe ſeculo III. uſum illius confeſſionis; eundemque poſt ſeculo IV. finiente a Nectario primum, hujusque exemplo etiam a reliquis Epiſcopis denuo abrogatum. *Novitatem* illius aperte videtur aſſerere Socrates, & ad Novatianorum ætatem ejus initium referre.

Abrogationem vero non ſolius pœnitentiæ publicæ, ſed omnis confeſſionis peccatorum cuicunque Sacerdoti faciendæ, probant *tum* ea verba Socratis: *Nectarius unumquemque pro arbitrio ſuo & animi conſcientia permiſit ad communionem Sacramentorum accedere*: *tum quod* Eudæmon obtentu reſiduæ adhuc confeſſionis ſecretæ ad Excuſationem conſilii Epiſcopo ſuo dati uſus non ſit: *tum quod* Socrates Eudæmonem reprehenderit idcirco, quod *anſam dederit ſingulis, ut delicta ſua invicem non coarguant*; quod objici non poterat ſtante confeſſione ſecreta: *tum quod* addat Sozome-

Digitized by Google

menus; *antea minora fuiſſe peccata, partim ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta enuntiabant, partim ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti. Denique* conſtat, pœnitentiam publicam de peccatis publicis a Nectario abolitam non fuiſſe; cum etiam poſt ipſum tempore S. Chryſoſtomi hæc adhuc Conſtantinopoli viguiſſe legatur.

Reſpondeo: omiſſis variis aliorum Theologorum catholicorum, quæ manifeſta mihi in hoc facto videntur, proponam.

1°.) Sozomenus manifeſte dicit, *in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oportere*, & tamen jam *inde ab initio* (ἐξαρχῆς, vel ut ſcribit idem factum referens Nicephorus ex Sozomeno, *ἀπὸ τοῖς ἔγγυςα Χριςῦ ἱερεῦσιν*, *ab Epiſcopis, qui proxime a Chriſto fuere*) *grave ac moleſtam jure merito viſum eſſe Sacerdotibus tanquam in theatro circumſtante multitudine crimina ſua evulgare*: igitur confeſſio ſecreta occultorum quorumvis criminum teſte eodem hiſtorico fuit Eccleſiæ coæva; neque tempore atque occaſione Novatianæ hæreſis confeſſio ſecreta primum inſtituta eſt; ſed ſolum munus Pœnitentiarii (*πρέσβυτερ ἐπι τῆς μετανοίας*, *presbyter, qui præeſt pœnitentiæ*; uti ambo illi hiſtorici vocant; non, qui præeſt *confeſſionibus*), cujus officium erat, tum publicorum ſcelerum reos ad pœnitentiam publicam adigere & huic præeſſe; priusquam ad Sacramentorum, pœnitentiæ & Euchariſtiæ admitterentur; tum eorundem confeſſiones ſecretas etiam occultorum criminum audire; imo vero etiam eorum, qui etſi

etſi publica crimina non haberent, foro externo Pœnitentiarii per ſe ſubjecta; attamen ultro de ſuis gravioribus delictis, licet plane occultis, & ſecreta ſolum confeſſione expoſitis, ſecundum illius conſilium ac præſcriptum publicam tamen pœnitentiam ſubire ultro decreviſſent.

Talis erat illa mulier, nullius publici criminis rea, & tamen *delicta a Baptiſmo admiſſa ſigillatim* Pœnitentiario confeſſa. Neque enim ſtetit illa in ordine pœnitentium; ſed diutius in Eccleſia manens, & orationibus vacans, corruptelam a Diacono paſſa eſt. Conſtupratio poſt ſecuta a muliere ipſa propalata eſt, nullo juſſu Pœnitentiarii præcedente (κατηγόρει, ἔλεγε, *ipſa propalavit, dixit*): ſecus Pœnitentiarii, id jubentis, imprudentiam aut Socrates, aut Sozomenus, alicubi notarent. Sozomeni certe narratio omnis hoc ſolum innuit.

2.) Non unum Pœnitentiarium confeſſionibus audiendis præfuiſſe, ſed præter illum plures alios Sacerdotes quavis in Eccleſia excepiſſe confitentes occulta peccata, manifeſtum eſt ex *Origenis* textu ex Hom. II. in Pſal. 37. ſupra §. 536. probat. 2. ultimo loco citato; ex *Cypriano* L. de lapſis ſcribente, exomologeſin fieri *apud Sacerdotes*; ex *Euſebio* VI. 44. referente, Serapionem, qui in perſecutione lapſus fuerat, morbo correptum exclamaſſe: *properate, quæſo, & me quantocius abſolvite: accerſe mihi unum ex presbyteris.*

3.) Ve-

3'.) Verum exiſtimo, quod expreſſius dicit Socrates; ex occaſione hæreſis Novatianæ conſtitutum fuiſſe munus Pœnitentiarii, ſeu *presbyteri, qui pœnitentiæ præeſſet*: quia presbyteri exomologeſin excipientes jam inde *ab initio* fuere, fatente Sozomeno; qui & demonſtrare volens, pœnitentiarium in Eccleſiis occidentalibus, ac præcipue Romæ, perſeveraſſe, poſtquam Conſtantinopoli jam fuerat abrogatus, deſcribit omnem apparatum publicæ pœnitentiæ etiam poſt adhuc in illis Eccleſiis uſurpari ſolitum. Cujus rei etiam ipſa Novatianorum criminatio occaſionem præbuit; objicientium, quod in Eccleſia omnes lapſi indiſcriminatim reciperentur; ad quam evitandam data opera eſt, ut ne ſine publica etiam pœnitentia publicorum ſcelerum rei admitterentur ad Sacramentorum communionem: cujusmodi exempla legimus in Concilio ſexaginta Epiſcoporum Romæ a. 251. a S. Cornelio Papa coacto, & in Ep. 52. S. Cypriani ad Antonianum.

Certe ſublato licet iſto Pœnitentiario, tamen in Eccleſia Conſtantinopolitana ſedebant adhuc Presbyteri, qui pœnitentium confeſſiones exciperent, monente S. Chryſoſtomo Nectarii ſucceſſore in hom. 33. in Matth.: omni cura ante Communionem ad fidelibus recipiendam eſſe reconciliationem & pacem, atque *hujus rei cauſſa in Eccleſia ſedere presbyterum.*

4'.) Nectarius non quidem abrogavit omnem uſum publicæ pœnitentiæ, cum utique officio Epiſcopali præjudicare non poſſet; bene tamen munus ſuſtulit ſpecialis Pœnitentiarii; cujus executio ſucceſſu temporis

Digitized by Google

ris nimis ample excreverat, ita, ut non ſolum publicorum ſcelerum rei, aut de ſemi occultis delictis ad eundem delati & accuſati, ejus obedientiæ in ſubeundis pœnitentiis per canones præſcriptis *in foro externo* ſe ſubmittere cogerentur; ſed multi identidem etiam *in foro interno*, de occultis delictis ultro apud eundem ſe accuſantes, pro fervore converſionis ſuæ publicas pœnitentias ab eo acciperent, & ex ejus præſcripto peragerent. Ex qua ampliatione exercitii muneris iſtius cum anſa aliqua data fuiſſe videretur, ut ob diutinam frequentiorem pœnitentium in Eccleſia commorationem ſtuprum illud conſequeretur; abrogavit Nectarius ſuadente Eudæmone hoc munus, ac revocavit curam pœnitentiæ publicæ ad ipſum munus Epiſcopale.

Eo ipſo autem *ſinebat unumquemque pro arbitrio & animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accedere*; quatenus, pœnitentiarii munere ſublato, occaſio tollebatur de *peccatis occultis* quosdam deferendi ad ipſum, aut ſe ipſos deferentibus agendi publicam pœnitentiam ſub ejus directione, imo Epiſcopo ipſo remiſſius agente, delectus confeſſarii ex pluribus pro ſacro tribunali ſedentibus etiam publicorum ſcelerum reis relinquebatur: qui confeſſarius, cum publicæ pœnitentiæ cura ad ipſum non pertineret, occultis ſolum remediis pœnitentibus apud ſe confeſſis ſuccurrebat, & ob grave ſigillum pœnitentium conſcientiæ relinquere debebat eorum executionem: cum econtra pœnitentiarius non expletis pœnis a ſe præſcriptis ad forum ſuum externum ſemel delatos a Sacramentorum communione arceret.

Hiſce

Digitized by Google

Hisce vero ſtantibus non inveriſimiliter Socrates arguit; ſecutum exinde neglectum officii correctionis fraternæ: & Sozomenus; auctum inde numerum & gravitatem peccatorum; cum antea minora fuiſſent peccata *ob verecundiam eorum, qui ſua delicta enuntiabant, & ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti*: quia & ſponte de occultis delictis publice ſub Pœnitentiarii directione pœnitentium fervor, & rigor judicum de publicis delictis, vel etiam occulta ſolum delatione a ſe cognitis, ex proprio peculiari officio exigentibus publicam ſatisfactionem, pompa quadam ſeveræ juſtitiæ terrorem cunctis incutiebant; qui terror omnibus ad Epiſcopale officium denuo revocatis, quod aliis negotiis facile diſtraheretur, eo ipſo evaneſcebat.

5'.) Etſi ſublato Pœnitentiario, qui ex primario officio publicæ pœnitentiæ de publicis delictis ex præſcripto canonum urgendæ præerat, vigor ille priſtinus pœnitentiæ publicæ multum apud orientalem Eccleſiam elanguerit, ita, ut probante Morino L. VI. c. 22. nullum extet poſt Nectarii ætatem publicæ ſaltem ſolennis apud Græcos pœnitentiæ veſtigium: nihilominus, cum adhuc in recente memoria eſſent canonicæ pœnæ, antehac pro certis delictis præſertim publicis ſtatutæ; potuit ſane fieri, ut pars aliqua pœnarum illarum ſubinde cujusquam ſucceſſoris Epiſcopi juſſu adhuc occaſione data revocaretur in uſum.

Sic ex *S. Chryſoſtomi* Commentariis in Epiſt. ad Epheſ. & ad Hebr. (cetera enim pæne omnia, in quibus de pœnitentia publica meminit, ſcripſit adhuc presby-

Digitized by Google

presbyter, & ante factum illud Nectarii) plane colligimus, ab eodem, tum quidem Epiſcopo, ac Nectarii ſucceſſore, uſitatam adhuc fuiſſe excluſionem peccatorum publice pœnitentium a ſacrificio altaris; ſine ceteris tamen ſolennitatibus publicæ pœnitentiæ olim uſitatis.

S. Gregorii Nyſſeni Canones pœnitentiales in Epiſtola ad Letojum Metilenes Epiſcopum veriſimillime ante factum Nectarii (quod contigit circa annum 391.) ſcripti ſunt. Licet enim ſenem ſe ſcribere illam Epiſtolam ipſe dicat; nec Letojus ante annum 381. Metilenes Epiſcopus factus fuerit; ipſe autem S. Gregorius anno non niſi 372. Epiſcopatum obtinuerit: ſi tamen vir ſanctus jam tum ultra annos quinquaginta habuit, cum fieret Epiſcopus profecto poſt annum 381. jam ſenex ſcribere illam epiſtolam potuit.

Pariter Canon 86. Concilii Trullani memorat quidem, quid pœnarum *a Patribus* olim *ſtatutum* eſſet in certa crimina publica ad oſtentandum veterem rigorem; ſed non probat ullo pacto, ſeculo ſeptimo finiente circa a. 688. adhuc in uſum illas pœnas (publice ſaltem & communiter) deductas fuiſſe: fere uti *S. Jo. Damaſcenus* a. 730. de hæreſi Maſſalinorum ſeculi quarti hiſtoriam ſcribens, eosdem incuſat, quod ſuæ ætatis diſciplinam publicam circa uſum pœnitentiæ publicæ penitus neglexerint.

6°.) Denique cum Socrates & Sozomenus aliud non intenderent narrare, quam variationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa uſum pœnitentiæ publicæ; cujus cura primo ab *Epiſcopo & Presbyterio*, pœnitentibus pu-

publicis *velut in theatrum* pro confeſſione publicorum ſcelerum vocatis, gerebatur; deinde *Pœnitentiario* commiſſa; huic vero dein rurſus ex occaſione prædictæ mulieris ademta, atque ſic pedetentim penitus dimiſſa fuerit: nihil mirum eſt, quod de confeſſione ſecreta delictorum occultorum in ſpecie in decurſu narrationis iſtius nihil ex profeſſo memorent: etſi *Sozomenus* generatim neceſſitatem confeſſionis in omni petitione veniæ graphicis verbis adſtruat; atque inſuper ambo de *confeſſione omnium delictorum* inde *a Baptiſmo* commiſſorum ab illa muliere *ſigillatim* facta teſtentur.

Abolitam certe illam a Nectario non fuiſſe, uſus omnium conſequentium ſeculorum apud Græcos, ad hanc uſque diem etiam poſt ſchiſma ſine interruptione continuatus, evidentiſſime evincit; tum vero quod nunquam hac in parte diſceſſionem aliquam ab uſu Romanæ Eccleſiæ latini Patres Græcis, ſeu in Lugdunenſi, ſeu Lateranenſi, ſeu in Florentino Concilio neque novitatem Græci latinis, uſpiam objeciſſe ullo verbo legantur.

**** *Objiciunt* 3'.) *contra neceſſitatem Sacramenti abſolutionis & ſacramentalis confeſſionis* §. 538. aſſertam.

a.) Chriſtus Jo. XX. non dixit: *quorum vos non ſolveritis peccata, non ſoluta erunt in cœlo;* ſed *quorum retinueritis, retenta ſunt*: ergo ex lege Chriſti per ſe neceſſarium non eſt Sacramentum abſolutionis; niſi in caſu, quo Eccleſiæ poſitive retinet quædam peccata. Atqui Eccleſia non poteſt prudenter alia peccata retinere, niſi quæ alioquin jam publica ſunt, & ob ſcandali enormitatem noxia. Ergo non niſi in talibus abſo-

Digitized by Google

ſolutionis Sacramentum & pœnitens confeſſio neceſſaria eſt; in ceteris ambo liberæ ſunt voluntatis. *Propoſitio minor ſubſumta* eo certior videtur; quod plerique ex ipſis Theologis catholicis in id conſentiant, fore, ut, niſi DEI lege præcepta eſſet confeſſio diſtincta omnium etiam occultiſſimorum peccatorum, eadem ſola humana Eccleſiæ lege præſcribi non poſſet.

Reſp. 1°.) quidquid vulgo Theologi Catholici huc uſque ſenſerint; poſita ſemel generali aſſeveratione JESU Chriſti Domini, *quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*, etſi confeſſio diſtincta peccatorum divina lege præſcripta & conſtituta non eſſet; tamen, poſtquam ſemel Eccleſia generali lege eam ſic præſcriberet, ut univerſis omnia gravia peccata retenta tamdiu vellet, donec eadem Sacerdoti, cujus copiam liberam haberent, confiterentur; dubium prudens mea opinione non ſuperfuturum; quin ea lex Eccleſiæ omnes gravium peccatorum reos obligaret ita, ut ea non impleta nec in foro DEI remiſſionem ullam ſperare poſſent. Profecto enim verba illa Chriſti nimis quam aperta, ac propria ſua emphaſi abſolute generalia ſunt.

Theologi, qui contra ſenſerint, mihi non ſatis determinaſſe propoſitionem ſuam hoc in argumento videntur; quod peccatum bonæ Logicæ regulis adverſum in veterum ſcriptorum aſſertionibus rarum non eſt. Voluere dicere: niſi Chriſtus Eccleſiæ dediſſet poteſtatem retinendi omnia peccata ſine exceptione, non poſſet Eccleſia retinere omnia ſic, ut ad omnium confeſſionem obligemur.

Unde equidem evidente hanc concluſionem habeo: ſuppoſita ſemel aſſeveratione Chriſti prædicta, *quorum remi-*

remiſeritis &c, *quorum retinueritis peccata &c.*, ſi Eccleſia retineat peccata quæcunque gravia univerſis confitentibus; obligabit ea lex Eccleſiæ unica non confitentibus; obligabit ea lex Eccleſiæ unica non confitentibus reverſos ita, ut nec in foro DEI non confitentibus remittantur: foretque eo caſu adhuc confeſſio jure divino hypothetico neceſſaria; ſi nempe Eccleſia, jure divino auctoritatem ad hoc habens, eam præcipere vellet. Aliud eſt, an ſapienter hanc legem primum ferendam Eccleſiæ ſuæ dicto modo reliquiſſet Chriſtus? an, ſi eam ferri ſimpliciter vellet, ſapientius ipſe tulerit? eo quod leges Eccleſiæ, hoc ipſo, quod per ſe variabiles, quin & mutabiles abſolute univerſe ſint; nimis exoſæ ſint, ſi nulla abſoluta divinæ legis neceſſitate urgente quid valde arduum & difficile communiter jubeant.

Unde *reſpondeo* 2°.) ea ipſa verba generaliſſime pronuntiata, *quorum retinueritis peccata &c.*, conſideratis reflexionibus modo allatis aperte ſatis evincunt, Chriſtum etiam ſenſu illo negativo verba illa protuliſſe, ac proinde ſingula utcunque occulta graviora peccata, quæ per ſe a cœlo excludunt, judicio Eccleſiæ, id eſt, Apoſtolorum, & qui iſtis in hoc munere legitime ſuccedunt, voluiſſe ſubjecta, ac confeſſione diſtincta exponi: ſecus enim tam generali emphaſi illorum verborum non reſpondiſſet effectus; eo quod ſine confeſſione diſtincta occultorum quorumvis peccatorum, jam ipſius Chriſti lege anticipato præſcripta, Eccleſiæ rectores non niſi odioſiſſima lege humana, ac proinde non ſapienter, alia quam præciſe publica ſcelera, eaque præ ceteris enormia, retinere poſſent; id eſt, non *quorumvis*, ſed ſolum publicorum malefactorum peccata.

Hac ipſa ex cauſſa Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, non ſolum publicorum, ſed quorumvis etiam occultiſſimorum peccatorum judicium virtute verborum JESU Chriſti ad ſe pertinere, omnesque proinde ad confitenda ſibi quævis etiam occulta peccata obligari credidere; ut ait Tridentinum ſupra citatum §. 538. prob. 4.; id quod evincit uſus generalis & perpetuus in univerſa Chriſti Eccleſia mox obſervatus; qui nunquam tam univerſe fuiſſet propagatus & divulgatus; niſi fideles omnes de illius neceſſitate abſolute ad obtinendam peccatorum quorumvis veniam fuiſſent communiter & publice ab Eccleſiarum rectoribus edocti. Sive itaque de neceſſitate iſta Apoſtoli a Chriſto aliis adhuc verbis in Evangelio non ſcriptis, iisque clarioribus, edocti fuerint; ſive ipſimet prædicta Chriſti verba, in Evangelio conſignata, ſic interpretati fuerint; perinde eſt: quia nec Chriſtus, uberius ſe declarans, fallere eos potuit; nec iidem interpretando illius dicta falli potuere, ceu a Spiritu Sancto illuſtrati.

Ceterum illa verba, *quorum retinueritis &c.*, certiſſime vim negativæ etiam propoſitionis habent; eo quod *remiſſio* poſitivum actum importet ſecundum dicta §. 528. nn. 2. 5. 8.: unde *retentio peccatorum* eſt ex certo ac ſapiente prævio judicio negata remiſſio. Senſus ergo eſt: *quorum peccata non remittenda eſſe judicaveritis, ac proin non remiſeritis, non remiſſa maneant.* Atqui quo pacto judicabunt, non eſſe remittenda; niſi minutim ſecundum omnia adjuncta ea cognoſcant?

Digitized by Google

b.) *Objiciunt* paritatem peccati venialis, in quo remittendo etiam ſecundum nos catholicos ſacerdotes, ſtante vi verborum Chriſti, tantum ſunt judices voluntarii, non neceſſarii: item *ajunt*: DEO, ceu Principi, manus a ſuis miniſtris Sacerdotibus ligari non poſſe, ac proinde non eſſe neceſſarium ad Sacerdotes pro venia accedere.

Reſp. Peccata venialia Eccleſia non judicat non eſſe remittenda ſine confeſſione; atque idcirco, etſi ipſa non confitentibus ea non remittat; hoc ipſo tamen nec retinet: ergo acta de iis perfecta pœnitentia etiam ſine confeſſione a DEO remittuntur. *Ad alterum ajo*: non a Sacerdotibus DEO manus ligantur, ſed DEUS ipſe ſibi, ut ita loquar, certo decreto ſuo invariabili ligavit: *Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio;* Filius autem dedit miniſtris ſuis Sacerdotibus: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: . . . quorum remiſeritis &c.*

c.) *Objiciunt dicta SS. Patrum*, inficiantium neceſſitatem confeſſionis peccatorum homini faciendæ. Præ omnibus urgent auctoritatem *S. Chryſoſtomi*; qui 1°.) in hom. 21. ad populum Antioch. id commendat in DEO, quod dimittat peccata, quin *cogat in medium procedentes ea enuntiare: ſed ſibi ſoli rationem reddere jubeat, & ſibi confiteri, - - -, nec cogat præſentibus quibusdam peccata enuntiari, - - - ſolo noſtro teſtimonio contentus.*

2°.) Hom. 2. in Pſal. 50. ſcribit: *pudet te peccata confiteri: dic ea quotidie in oratione: non dico, ut conſervo exponas, qui probris te impetat: - - - dic DEO, qui iis medetur.* Similiter hom. 31. in Epiſt. ad Hebr.:

Digitized by Google

Hebr.: *non dico tibi, ut peccata tua tanquam pompam in publicum proferas, neque ut apud alios te accuſes: ſed ſuadeo, ut pareas prophetæ dicenti:* revela Domino viam tuam: *apud DEUM ea confitere; apud judicem confitere peccata tua, orans, - - - ut tui miſereatur.*

3°.) Sermone de Lazaro ita habet: *cur igitur erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num conſervo confiteris, ut in publicum proferat? - - Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes. Mihi ſoli (DEO), mihi ſoli dic peccatum privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem.*

Reſp. in *primo loco* S. Doctor locutus eſt ad *illuminandos*, id eſt, primum baptizandos, qui ad confitendum non tenentur: *in ſecundis* locis commendat examen conſcientiæ & dolorem quotidianum de peccatis; cujus facilitatem inde probat, quod ad utriusque exercitium difficultas illa ſuperanda non ſit, quæ occurrit in confeſſione publica & judicio publico reorum: *denique* in omnibus allegatis locis, aliisque plurimis ſimilibus S. Chryſoſtomus ſolum hoc vult; peccata non eſſe aperienda coram populi multitudine (ut fieri ſolebat anterioribus Nectario temporibus a publice pœnitentibus, ſive de publicis, ſive ex conſilio Pœnitentiarii aliquando etiam de occultis peccatis) unde oriri poſſit pudor & erubeſcentia: ſufficere autem, ſi manifeſtentur ſoli DEO, ac ſine teſtibus, ſcilicet Sacerdoti DEI miniſtro, nullo alio præſente. Neque enim S. Doctor unquam ait,. *Sacerdoti* non eſſe confitenda peccata; ſed ait, *conſervo* non eſſe confitenda; per quem intelligit irriſorem laicum, vel quemcunque, *qui palam*

 enun-

enuntiet, & manifeſta faciat, uti judex eum coram teſtibus convincit. Ubique nempe vir Sanctus ſtudebat adducere peccatorem ad ſuperandam verecundiam, abſterrentem a confeſſione peccati, ideoque opponit privatam confeſſionem factam Sacerdoti, ſolo audiente DEO, manifeſtationi criminum aliquando coram pluribus hominibus faciendæ, eandemque ait fieri *ſoli Deo,* ſed ſcilicet in miniſtro ſuo.

Hoc ſenſu in Homilia, qua docet, non eſſe ad gratiam concionandam, ait: *apud conſcientiæ rationes fiat inquiſitio delictorum: ſine teſtibus fiat judicium: DEUS te confitentem ſolus audiat; DEUS, qui peccata non exprobrat, ſed confeſſione delet. - - - Hic judicium ſit ſine teſtibus: - - - at illic in medium orbis terrarum cuncta pandentur.*

Hoc ſenſu hodiedum Sacerdos apud Græcos, excipiens confeſſionem Sacramentalem, ſic alloquitur pœnitentem: *Frater! cur acceſſiſti ad DEUM, & ad me? Ne quæſo erubeſcas: non enim mihi peccata enuntias, ſed DEO; apud quem conſiſtis.* Vide Arcudium L. IV. Concord. pag. 350. Reſponſionem iſtam cuilibet amanti veritatem perſuadebit tum lectio ipſa contextus ſermonum S. Doctoris in locis citatis, tum textuum ejusdem ſupra iterato allegatorum.

d.) Poſt hæc *opponunt* ſenſa contraria, vel ſaltem incerta, & in utramque partem vacillantia, *Gratiani,* & aliorum doctorum ſeculo undecimo & duodecimo, circa neceſſitatem confeſſionis. Quo in argumento ut quam ſinceriſſime agam; animadverto *primum,* Gratianum de Pœnit. diſt. 1. initio certiſſime ſolam illam quæſtionem, ea ætate inter Doctores in utramque

par-

partem defendi ſolitam, tractare: *an ſola contritione prævia jam fiat remiſſio peccatorum ante confeſſionem; an vero non niſi in ipſa confeſſione:* de qua, qui priorem partem affirmabant, minime propterea negabant confeſſionis nihilominus contritioni ſubjungendæ neceſſitatem jure divino injunctam.

Unde & cap. 34. ibid. Gratianus poſt allata pro illa priore parte argumenta non niſi ita concludit: *Ex quo datur intelligi, quod, antequam Sacerdotibus peccata noſtra confiteamur, a lepra peccati mundamur:* quam eandem concluſionem præciſe repetit cap. 35. 36. 37. Exinde negativam ſententiam firmans, nempe *ſine confeſſione oris neminem poſſe a peccato mundari, ſi tempus habuerit;* poſt cap 60. concludit: *ſine confeſſione nullum veniam poſſe promereri.* Inde novis teſtimoniis hanc illationem probans, poſt cap. 87. denuo ſubjicit: *His auctoritatibus aſſeritur, neminem ſine confeſſione propriæ vocis a peccatis poſſe mundari. Unde præmiſſæ auctoritates, quibus videtur probari, ſola contritione cordis veniam præſtari, aliter interpretandæ ſunt, quam ab eis exponantur.* Quas & continuo aliter exponit Gratianus.

Verum eſt, quod mox inde ſub titulo 2. *pars* refutet quædam argumenta, quæ immediate ante pro neceſſitate ipſius confeſſionis attulerat; ceu non ſolida, vel certe ſententiæ neganti illam neceſſitatem confeſſionis ad remiſſionem peccati obtinendam non contraria. Unde nec aliud ibi in fine concludit, niſi hoc: *præmiſſis auctoritatibus latentia peccata* NON PROBANTUR *ſacerdoti neceſſario confitenda;* Cum vero initio mox ait: *unde evidentiſſime datur intelligi, quod ſine confeſſione oris peccata poſſunt deleri;* id ſolum dicit relate

 ad

ad argumenta allata minus ſolida; innuere volens: ex ipſis teſtimoniis Proſperi & Chryſoſtomi allatis poſſe potius contrarium inferri.

Quod modo dixi; probo exinde manifeſte, quod mox ſubjiciens titulum 3. *pars*, etiam refutet ea argumenta, partim ut *falſa*, partim ut *carentia pondere*, quæ *pro aſſertione* ejusdem *ſententiæ*, negantis neceſſitatem confeſſionis ad remiſſionem peccatorum, ante attulerat. Ubi & illud graphice dicit: *Porro ſine confeſſione oris, ſi facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adverſum.* Quod & continuo probat: tumque concludit: *evidentiſſime apparet, ſine confeſſione propriæ vocis peccata non dimitti.*

Cum itaque poſt cap. 89. ſic infert: *quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis, confeſſionis, innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem horum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros*: itidem non intelligendus eſt niſi de gemina ſententia Doctorum; quarum una affirmat, altera negat, ſola contritione prævia jam ante confeſſionem peccati remiſſionem fieri; non autem de gemina ſententia, quarum una affirmet, altera neget, confeſſionem jure divino eſſe neceſſariam, vel præſcriptam. Certe ſi mox ſubjectum caput 90. ex Theodoro Cantuarienſi legatur eo modo, quo a Burchardo allegatur; id prorſus cum iſto ſenſu concluſionis ultimæ Gratianæ conſentit.

Gra-

Gratiano conſenſit *Magiſter ſententiarum* Diſt. 17. L. IV. art. 1. & 2. defendens expiari peccata contritione, & tamem art. 4. ſimul adſtruens, *oportere DEO primum, & deinde Sacerdoti offerri confeſſionem, nec aliter poſſe perveniri ad ingreſſum paradiſi; ſi adſit facultas.*

S. Bonaventura idem prorſus docuit in IV. diſt. 17. art. 2. q. 4.: ſed exiſtimavit tamen, Gratianum & Magiſtrum ſententiarum, etſi ipſi aſſererent neceſſitatem confeſſionis, ſententiam adverſam probabilem cenſuiſſe; quæ tenet, fuiſſe Eccleſiæ ſolum præcepto introductam; eosque ſimul excuſat, quod ante Lateranenſe IV. Concilium ita ſine hæreſis nota ſentire potuiſſent. *Scotus* & *Durandus* itidem in IV. Diſt. 17. pro certo habuere neceſſitatem confeſſionis jure divino conſtitutam eſſe, ſed negavere, eam ex illis verbis Chriſti recte inferri; *quorum remiſeritis &c.*

Etſi enim per illa confeſſionem a Chriſto inſtitutam faterentur; ejus tamen neceſſitatem credebant unice exinde probari; quod ex præcepto ordinatæ caritatis erga nos ipſos teneamur uti remedio peccatorum certiſſimo; cujusmodi eſt confeſſio. Simili modo Hugo a S. Victore & Alenſis negarunt, a Chriſto expreſſo præcepto ſtatutam fuiſſe confeſſionem; fatentes tamen, ratiocinio certo ejus neceſſitatem ex Chriſti verbis inferri. Jam vero id genus variantes ſententiæ circa accidentia dogmatis ante ſolennem omnem ab Eccleſia editam definitionem non obſtat; nec conſenſum quidem eorundem circa dogmatis ſubſtantiam evertit.

Digitized by Google

e.) Nono ſeculo multos fuiſſe, qui docerent, ſufficere confeſſionem ſoli DEO factam, diſcimus ex *Alcuino* Epiſt. 71. ex Haymone Halberſtadienſi in Evang. Dominica XV. poſt Pentec., & ex *Concilio Cabillonenſi* II. a. 813. can. 33.; quin tamen illi ab his graviore aliqua cenſura notentur. At nempe hoc minime negamus ipſi; nec illos idcirco pro hæreticis habemus; ſed cum *S. Thoma Aquinate* & *S. Antonio* & ipſi hoc nomine eos excuſamus; quod ante claram Eccleſiæ de hac re definitionem errarint. Quodſi tamen idem de ſeculo XI. vel XII. quis affirmare cum Gratiano voluerit; petimus, ut quemdam ex ſcriptoribus nobis nominet, qui laudem ac nomen aliquid in ſchola vel Eccleſia meruerunt.

f.) Græcos non confiteri peccata, putida fabula eſt; quam non ſolum omnia antiqua & recentiora Euchologia græcorum, ritum ac formulam abſolutionis, orationesque prævias & ſubſequas, imo & ipſam confeſſionem presbyteris ad altare acceſſuris de gravibus peccatis præſcribentia, clara teſtimonia Græcorum ſcriptorum Joannis Jejunatoris, Simeonis Theſſalonicenſis, Nicephori, Gregorii Protoſyncelli, Meletii Syrigi, ac inprimis ſolennis conteſtatio Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, reſponſi loco ad Proteſtantes Germaniæ miſſa, refutant apertiſſime.

Quid quod duobus Patriarchis Alexandrinis Jacobitis, *Joanni* & *Marco*, ſeculo primum duodecimo confeſſionem abolere tentantibus conſtet ex Chronico Orientali reſtitum publice fuiſſe a *Marco* Monacho & Presby-

Presbytero, eosdemque ſeculo ſequente refutatos ab utroque *Ebnaſſallo*, Theologo, & Canonum Doctore, & ab ipſo Patriarcha Antiocheno, Michaële dicto. Quodſi tamen error a dictis Jacobitis propagatus in non nullis Orientis provinciis hodiedum graſſatur; nihil communi Eccleſiæ veræ traditioni præjudicare poterit.

539.

Confeſſio diſtincta, quam hac usque neceſſariam eſſe oſtendimus ad abſolutionem ſacramentalem & veniam peccatorum obtinendam, non opus eſt, ut ſit publica de peccatis occultis, ſed ſpectata inſtitutione divina ſufficit ſecreta.

Dogma hoc catholicum negans neceſſitatem publicæ confeſſionis de quibusvis gravibus etiam occultis peccatis *probatur tum* ex univerſis pro neceſſitate diſtinctæ confeſſionis huc usque allatis argumentis; quæ univerſe ad hæc duo capita revocantur, videlicet ſine abſolutione ſacerdotum veniam non poſſe obtineri; & abſolutionem iſtam ſacramentalem a Sacerdotibus ſine accurato judicio & inſpectione cauſſæ prudenter dari non poſſe: nihil autem eſt, quod exigat judicium illud univerſe cum publica diffamatione pœnitentis exerceri, aut delicta illius ad totius plebis chriſtianæ notitiam divulgari.

Et vero tam enormiter gravis obligatio, prudentiæ adverſa, & humanæ fragilitati intolerabilis, nullique per ſe uſui & emolumento futura, Chriſti ipſius exemplis, nec non ſuavi illius jugo repugnat; qui non confundebat peccatores pœnitentes, ſed ſuaviter ſanabat; *tum*

proba-

Digitized by Google

probatur dictis Origenis, S. Baſilii, & ex reſcripto clariſſimo *S. Leonis M.* Papæ in Epiſt. 136. ſupra citatis §. 536. in probat. 2da; quibus adde Sozomeni narrationem de Pœnitentiario taciturno & prudente ibid. probat. 3ia; *tum ex Tridentini Concilii* definitione Seſſ. XIV. can. 6. *Siquis dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, alienum eſſe ab inſtitutione & mandata Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.* Et ibid. cap. 5. ita docetur: *Ceterum, quoad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publice confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum; nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda.*

540.

Non minus neceſſaria eſt abſolutio Sacramentalis graviter lapſis poſt Baptiſmum, quam eſt neceſſarius ipſe Baptiſmus omnibus adultis, originali, vel etiam actuali graviore peccato infectis; nimirum in re, ſi ejus accipiendæ copia ſuppetat pœnitenti; in voto, ſi non ſuppetat ejus copia.

Rationes eædem ſunt, quæ jam de Baptiſmo allatæ ſunt §. 460.; tum vero neceſſitas illius ceu medii ſalutis, jure divino talis, ſimpliciter jam aſſerta §. 538.

Digitized by Google

541.

Ad ipſam abſolutionem Sacramentalem a præſente Sacerdote abſolute accipiendam præter ceteras vere pœnitentis animi diſpoſitiones, alibi memorandas, per ſe neceſſaria eſt confeſſio diſtincta actualis omnium gravium peccatorum; ſi fieri abſolute, quocunque demum adhuc ſigno, poſſit (538); *ſi vero fieri, ex. gr. a moribundo, jam porro non poſſit; ſufficit ad eam ſub conditione impertiendam quodcunque probabile ſignum; ex quo Sacerdos prudenter præſumere poſſit, reum habere & animum vere pœnitentem, & ſincerum confeſſionis faciendæ & Sacramentalis abſolutionis accipiendæ votum: quo caſu, ſi reipſa is animus & votum in reo adſit, valorem & effectum actu habebit Abſolutionis Sacramentum.*

Ratio eſt: quia Chriſtus, conferens poteſtatem remittendi Apoſtolis, aliud per ſe & neceſſitate ſapientiæ ſuæ infinitæ non exegit, niſi ut ea cum judicio tam certo ac prudente prævio uterentur; quanto in quibusvis rerum adjunctis & pro præſente peccatoris neceſſitate, & pro utilitate tum iſtius privata, tum communi, cujus cauſſa ejus poteſtatis inſtitutio ab ipſa facta erat, foret neceſſarium. In caſu itaque extremæ neceſſitatis, quo major certitudo & notitia ſtatus pœnitentis citra ullam ipſius culpam porro poſſibilis non eſt; cum nec utilitati publicæ uſus illius poteſtatis etiam ſine confeſſione ulla diſtincta prævia ullo pacto obſtare poſſit; ad exercendam illam prudenti cum judicio ſufficient quævis ſigna ſinceræ ejus voluntatis ac diſpoſitionis.

His

Digitized by Google

His *praxis antiquiſſima Eccleſiæ* conſentit: quam diſcimus ex *S. Auguſtino*, qui Lib. de adult. conjug. cap. 26. ait; in mortis articulo baptizandos eſſe catechumenos; etſi non amplius poſſit petere Baptiſmum; idque cap. 28. extendit etiam ad eos, qui prius perpetuo vixere in adulterinis conjugiis: tum addit: *quæ autem baptiſmatis, ea reconciliationis eſt cauſſa: ſi forte pœnitentem vitæ periculum præoccupaverit: nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire debet velle Mater Eccleſia*: Arrha autem pacis Eccleſiæ eſt adminiſtratio mediorum neceſſariorum ſalutis; inter quæ primum eſt abſolutio Sacramentalis: ex *Concilio Arauſicano I.* relato Can. *qui recedunt* 26. q. 6. ubi ſtatuitur: *ſubito obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt; ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu*: ex *S. Leone M.* epiſt. ad Theodorum Forojul. Epiſc. ſcribente: *ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut, quod paullo ante poſcebant, ſub præſentia, Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium, & circumſtantium, prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium accipiant.*

Denique *Paulus V.* Papa in *Rituali Romano* (quod a. 1614. editum Bulla præfixa declarat continere receptos & approbatos Eccleſiæ ritus; quos ipſe pro paſtoralis officii debito toti Eccleſiæ ſervandos proponat tanquam publicam & authenticam obſervantiæ communis normam) de Sacram. Pœnit. §. Ordo Miniſtr. Sacram. Pœnit. ita præcipit: *Quodſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere;*

ſcere; quibus utcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis; vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

* Ut Theologi quidam ſigna expreſſiora requirerent voluntatis confitendi, inter alia argumenta movebantur; quia putabant, actus pœnitentis, dolorem & confeſſionem, debere eſſe ſenſibiles; eo quod Sacramenti, ſenſibilis nempe ſigni ſacri, eſſentiam conſtituerent. *At enim* oſtendam infra, hoc quidem oppido falſum eſſe; omnemque Sacramenti hujus eſſentiam ſola abſolutione Sacerdotis abſolvi, actus pœnitentis autem ſolum eſſe requiſita, vi inſtitutionis divinæ alios aliis pro diverſis verum adjunctis magis minusve neceſſaria.

542.

Remiſſio peccatorum, ſeu abſolutio Sacramentalis, non niſi verbis, hiſce, abſolvo te a peccatis, remitto tibi peccata, *vel æquivalentibus, confertur valide; & ad minimum temerarium eſt tenere, nutu, aut aliis ſignis, eam conferri cum effectu poſſe.*

Primum ex verbis Chriſti patet, Joan. XX. dicentis: *quorum remiſeritis* &c.: & ſicut ex verbis Chriſti, *baptizantes eos in nomine Patris* &c. accedente perpetua Eccleſiæ obſervantia certam verborum formam neceſſariam eſſe ad Baptiſmum inferimus; ita idem de Sacramento abſolutionis pœnitentium recte pariter colligimus. Cui etiam *Chriſti exemplum* accedit, vulgo per ſimilia verba remittentis peccata.

Alte-

Alterum ex eo concludo; quia in mediis ad ſalutem univerſe neceſſariis, a ſola Chriſti inſtitutione, id eſt, libera voluntate, vim medii ejusmodi habentibus, quidquam privato judicio, vel arbitrio, præter certam vim inſtitutionis a Chriſto factæ aſſerere, temeritate vacare non poteſt; maxime ſi univerſalis Eccleſiæ obſervantia adverſetur; uti in hoc puncto certo adverſatur. *Tridentinum* quidem *Concilium* Seſſ. XIV. cap. 3. ita docet: *Forma Sacramenti pœnitentiæ in miniſtri verbis poſita eſt. Eugenius IV.* Papa quoque in Decreto ad Armenos ſtatuit: *illam conſiſtere in verbis, quæ Sacerdos profert, dum dicit: Ego te abſolvo.*

* Olim Paludanus, Medina, Petrus de Soto, pluresque alii docuere, in caſu neceſſitatis ſufficere nutus, aut alia ſigna: propoſitio, prout a me determinata eſt, certa haberi poteſt. Neque enim in rebus ab inſtitutione divina pendentibus paritas cum humanorum judiciorum ſententiis quidquam probare poteſt.

543.

Forma, ut vocant, indicativa verborum Sacramentalis abſolutionis convenientiſſima eſt exercitio inſtitutæ a Chriſto poteſtatis abſolvendi, nimirum hæc, abſolvo te a peccatis, remitto tibi peccata. Per hanc enim apte declaratur, quod miniſter Chriſti pro poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa ipſe, prævio maturo judicio, & cauſſa omni rite examinata, remittat peccata: id quod utique convenientiſſimum eſt inſtitutioni divinæ iſtius poteſtatis, quam huc usque explicavimus. Id ipſum declarat *Tridentinum* Seſſ. XIV. cap. 3., nempe *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præ-*

Digitized by Google

præcipua ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: ego te abſolvo &c. &c.: *quibus quidem de Eccleſiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.*

* Stante hac Tridentini declaratione profecto illicitum foret cuique Sacerdoti in latina Eccleſia uti alia quacunque forma abſolvendi.

544.

Per ſe tamen & divina inſtitutione ſpectata, invalida non eſt forma abſolvendi pœnitentes per preces, quibus Sacerdos prævio examine & judicio cauſſæ abſolute deprecatur DEUM, ut remittat illis peccata.

Natura enim & totus conceptus exercitii poteſtatis iſtius remittendi peccata per homines faciendi, cum ſit per ſe & principali modo propria ſoli DEO, ſecundum dicta §. 528. n. 7. & 8. conſiſtit in eo, quod non niſi interveniente illorum officio judiciali, & voluntate ſeria, requiſita a Divino Patre applicatio actualis meritorum mortis Chriſti imparticulari ad hoc ſubjectum quodvis in individuo fiat; atque hoc modo DEUS Pater non niſi per Chriſtum ut hominem, nec Chriſtus homo niſi per vicarios miniſtros, peccata remittat, id eſt, non niſi per eos ſerio volentes applicet ſua merita ad impetrandam denuo DEI Patris gratiam & benevolentiam.

Atqui natura iſta & conceptus exercitii iſtius, etſi aptiſſime exprimatur verbis indicativo

modo conceptis, *ego te abſolvo*, *ego tibi remitto peccata* &c.; tamen præmiſſo debito cauſſæ examine & judicio etiam non inepte exprimitur deprecatione ad Deum facta, eaque minime conditionata, ſed abſoluta; qua Sacerdos, veluti offerens actu & applicans merita Chriſti, pari efficaci prece rogat Deum Patrem, ut in vim remiſſionis peccatorum hujus pœnitentis acceptet merita Chriſti a Sacerdote miniſtro Chriſti actu ſerio applicata. Nunquid enim Chriſtus ipſe potuiſſet abſolvere orando Patrem divinum Nunquid ab Excommunicatione abſolvere *judex* Eccleſiaſticus poteſt? Ergo &c. &c. *Adde*, nullo verbo invalidam, ſeu a *Tridentino*, ſeu alio Decreto Eccleſiaſtico, declaratam unquam fuiſſe id genus formam.

* Seculo XIII. *S. Thomæ Aquinatis* ætate controverſia quædam hac de re exarſit in Schola Theologica. Cum enim poſt Petrum Cantorem a. 1200., Guilielmum Pariſienſem a. 1230., & Antiſiodorenſem a. 1240., atque Hugonem Cardinalem a. 1244. florentes, Anonymus quidam Doctor opuſculo edito propugnaſſet, ſolam deprecatione formam abſolutionis validam conſtare poſſe; eandemque ſemper unice in Eccleſia uſitatam fuiſſe; *S. Thomas Aquinas* opuſculo 22. *de forma abſolutionis* a. 1266. edito ex adverſo propugnavit, non niſi indicativo modo prolatam valere, in eamque ſententiam conſentire omnes Doctores Pariſinos ſui ævi, affirmavit, negavit vero, ſola deprecatione unquam uſam Eccleſiam fuiſſe.

Cum S. Thoma pro more ſuo ſenſere plerique ex ordine S. Dominici, cum Suario, Vaſquio, Lugone, & Ber-

Digitized by Google

& Berthio. Pro valore & antiquo uſu formæ deprecatoriæ pugnarunt Morinus, Tournelius, Gotti, Martene &c. &c. In qua quæſtione mere hiſtorica non maximi momenti breviter ut pertranſeam: AJO 1'.) *in latina Eccleſia uſque ad Seculum XII. perquam veriſimiliter vulgo in uſu fuiſſe formam deprecatoriam:* 2'.) *in aliquibus tamen Eccleſiis latinis etiam indicativam additam fuiſſe; quin tamen neceſſaria una præ altera haberetur.*

Primam partem diſcimus *primo* ex omnibus pæne antiquis Ritualibus, nominatim ex Sacramentario S. Gregorii M., ex Ordine Romano antiquo, ex Alcuini (qui obiit a. 804.) libro de Offic. div., omnibusque aliis, a Goario, Morino, Martene, aliisque recenſitis; in quibus nullius alterius formæ quam deprecatoriæ ſit mentio.

Verum quidem eſt, quod objicit Berthi; quod nempe horum librorum aliqui videantur ſubinde (nominatim Alcuinus) ſolum deſcribere formam reconciliationis canonicæ pœnitentium: *at enim* nec veriſimile eſt, quod non ſimul complectantur formam Sacramenti abſolutionis, nec uſquam omnino de hac faciant mentionem. Quid quod in eisdem agatur etiam de peccatis cordis aliisque occultiſſimis; ſicuti & ritus presbyteris præſcriptus in eis recenſetur; cum tamen ſeculo nono reconciliatio publica non ad presbyteros, ſed Epiſcopos pertineret.

Diſcimus id ipſum *ſecundo* ex teſtimoniis S. Patrum, qui, per preces Sacerdotum remitti peccata, ſæpe affirmant. S. AMBROSIUS quidem L. 3. de S. Spiritu ait

de Sacerdotibus remittentibus peccata: *iſti rogant, divinitas donat.* S. HIERONYMUS in Pſ. 28. *vox Domini quotidie in unoquoque noſtrum flammam libidinis per orationem Sacerdotis ceſſare facit.* *S. Auguſtinus* L. III. contra Donat. c. 19. de impoſitione manuum in pœnitentiam ait: *quid eſt impoſitio manus niſi oratio ſuper hominem.* Et hom. 23. ex quinquaginta c. 7. in verba Chriſti, mulierem peccatricem, recipientis, dicendo: *remittuntur ei peccata,* arguens Donatiſtas, qui Sacramentorum vim a miniſtrorum meritis repetebant, ait: *medicus bonus non ſolum ægros præſentes ſanabat; ſed & futuros prævidebat: futuri enim erant homines, qui dicerent: ego peccata dimitto, ego juſtifico.* Atqui hoc argumentum ineptum fuiſſent; ſi ætate S. Doctoris hac ipſa forma indicativa abſolvere conſueviſſent. *Ait quidem P. Berthi,* Patres etiam dixiſſe, *Euchariſtiam precibus conſecrari:* *verum* iidem omnes tamen addunt, eam conſecrari *verbis Chriſti.*

Alteram partem colligimus ex Ritualibus a P. Martene de Antiq. rit. Eccleſ. L. I. c. 6. art. 5. relatis, iisque perantiquis; nempe ex *Pontificali Egberti Eboracenſis Epiſcopi* (circa a. 737.), quod literis ſaxonicis eleganter ſcriptum exhibet hanc formam: *abſolvimus vobis* (vos) *vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi & ſolvendi dedit;* ex *Pontificali Anglicano,* cujus character nongentos annos refert; ex *Codice Ebroicenſi,* quem Martene putat ſuperare ætatem 800. annorum; ex *Ordine Eccleſiæ Aquenſis,* item *Gellonenſi* antiquiſſimo, ac demum *Rhemenſi* S. Rhemigii; literis Longobardicis exarato.

Ajo

Ajo 2°.) *certum eſſe, quod latina Eccleſia a Seculo XIII. conſtanter adhibuerit formam indicativam.* Teſtis eſt *primo* S. Thomas a. 1266, tunc iſtam fuiſſe *communem ſententiam Magiſtrorum Pariſiis regentium*, non valere niſi indicativam formam; teſtis S. Bonaventura, Alenſis, aliique contemporanei Doctores; ex quibus Franciſcus Mayronis ex Ord. S. Franc. (qui obiit an. 1325.) narrat in IV. Sent. diſt. 14. q. 1.; fuiſſe ſua ætate in Provincia (Provence) in uſu hanc formam: *abſolvat te DEUS Pater, DEUS Filius, & DEUS Spiritus Sanctus;* ſed ſequente judicio fuiſſe improbatam.

Teſtes *deinde* omnes libri Rituales ab eo tempore editi; qui ſolam formam indicativam ceu eſſentialem præſcribunt. Ceterum *Morinus* L. VIII. c. 9. n. 27. ait, ſeculo XII. utramque formam fuiſſe conjunctam, *quod multis durum viſum fuerit ab uno extremo in alterum repente ferri.* Id quidem S. Thomas opuſc. 23. teſtatur voluiſſe adverſarium, quem ipſe refutandum ſuſceperat.

Ajo 3°.) *in Eccleſia Græca ſemper obtinuiſſe, & hodiedum obtinere formam deprecatoriam;* id quod evincunt omnia Euchologia, Scriptores Græci, quotquot extant de hac re alicujus nominis, & inprimis teſtatur Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Cenſura Confeſs. Auguſt. c. 11.; idem aſſerit *Clemens VIII.* Papa in Inſtruct. ſuper ritibus Græcorum a. 1595. edita; & Morinus L. VIII. c. 12. ait, ſe idem Romæ ex quodam regente Collegii Græcorum intellexiſſe.

Nec obſtat a Goario ex Euchologio Græcorum referri duas formulas indicativas; Menardum quoque in notis

Digitized by Google

notis ad Sacrament. S. Gregorii M. teſtari, Græcos proferre hæc verba: *habeo te venia donatum;* Gabrielem Philadelphienſem probaſſe formam indicativam, quam etiamnum retineant Ruſſi & Rutheni; & a Georgio Fhelavio in ritibus Eccleſiæ Græcæ latine verſis c. 22. Edit. Francof. p. 37. item talem formam referri.

Nam conſtat, non diffitente Goario, has formas poſtremis primum temporibus a latinis ad Græcos manaſſe, nec communi Græcæ Eccleſiæ uſu receptas eſſe; ſicuti & Arcudius refert eandem formam, a Menardo relatam, in nullo quidem Euchologio reperiri licet in multorum confeſſariorum verſetur, publicæ ceteroquin approbationis expers.

** Ceterum ex dictis §. 528. n. 8. jam patet, quis ſenſus ſit formæ ejusmodi abſolutionis: eſt videlicet iſte: cauſſa conſcientiæ tuæ, ut præſentia adjuncta permittunt, rite examinata, ego auctoritate JESU Chriſti tibi applicata volo merita Chriſti ad impetrandam tibi certa cum efficacia remiſſionem peccatorum tuorum, & reſtitutionem gratiæ DEI Patris ipſius.

545.

Cum Epiſcopi ſoli ſint Apoſtolorum ſucceſſores ex officio ſuo (Dem. Cath. §. 180. n. 2. lit. b.) ; evidens eſt per dicta §§. 531. 532., *ad ſolos Epiſcopos jure divino pertinere propriam poteſtatem completam immediatam remittendi abſolutione Sacramentali peccata ſuis diœceſanis, perinde atque juriſdictionem propriam immediatam in foro externo.* 2.) *Ex adverſo delegatione non niſi*

Epi-

Epiſcoporum, ſeu approbatione, ut hodie vocatur, *eadem poteſtas completa competit*, *parochis*, *aut aliis quibuscunque regularibus*, *vel ſecularibus*, *Sacerdotibus*, *quibus eandem Epiſcopi delegant.* Vide dicta in Dem. Cath. a §. 178. ad §. 186. & §. 286. adnot. 2.

Hoc fundamento innixum *Tridentinum Concilium* Seſſ. XXIII. de Reform. c. 15. omnes Pontificum Romanorum Bullas revocavit, & abrogavit; quæ Regularibus indulgebant facultatem audiendi *confeſſiones ſecularium*, *etiam Sacerdotum*, non obtenta Epiſcoporum approbatione. *Epiſcopi galliæ* univerſi tam conſtanter huic principio inſiſtunt, ut in Conventu Cleri Gallicani a. 1645. mox reclamarint contra Innocentii X. Papæ confirmationem, qua Decretum S. Congregationis Interpretum Concilii Tridentini ſtabilierat; quo ſtatuebatur, Epiſcopum *non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica*, *quin a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare valeant ſecularibus perſonis Sacramentum confeſſionis.*

Similiter ad poſtulationem Cleri Gallicani Senatus conſulto cautum eſt, ne Conſtitutio Clementis X. a. 1670. edita ab ullo imprimeretur, venderetur, aut diſtribueretur; eo quod in ea ſtatueretur, *regulares ſimpliciter ab Ordinariis approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore*, *etiam paſchali*, *& quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire*, *absque ulla Parochorum*, *vel Epiſcopi licentia:* ex quo ſequeretur, approbationem ſimpliciter limitari ad tempus paſchale non poſſe ab Epiſcopis, nec ſemel conceſſam ſuſpendi.

* Celebris eſt controverſia, orta inter Parochos & Regulares Mendicantes ex occaſione CANONIS *Omnis utriusque ſexus* in *Conſilio Lateranenſi IV.* ſub Innocentio III. a. 1215 editi, in quo omnes jubentur *omnia ſua peccata confiteri fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti. - - - Siquis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſſa confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare.*

Mirum eſt, dubitari potuiſſe; quis nomine *Sacerdotis proprii* in hoc canone intelligeretur a Concilio; quis nomine *Sacerdotis alieni.* Mihi extra dubium poſitum videtur, utroque nomine *parochum*, aut curam animarum determinati cujusque gregis chriſtiani ex delegatione Epiſcopi proprii gerentem, deſignari; & nomine *Sacerdotis proprii* parochum cujusque proprium, nomine *Sacerdotis alieni* parochum alienum ſeu paſtorem alterius gregis, intelligi.

Senties idem, amice lector, quisquis mecum animadverteris; *primo* ætate Concilii Lateranenſis IV., nimirum a. 1215. ſedente Innocentio III., nondum extitiſſe privilegium illud Ordinum mendicantium; quo ipſis conceditur facultas audiendi confeſſiones ſecularium; id quod primus poſtea Ordini Prædicatorum conceſſit Gregorius IX., qui poſt Honorium III. Innocentio III. ſucceſſit in Romana ſede: *ſecundo* quia veriſimile non eſt, parochis permiſſum fuiſſe, ut aliis licentiam cum poteſtate completa dare poſſent ad audiendas confeſſiones ſuorum parochianorum; niſi qui jam prius ab Epiſcopo ſuo eſſent alioquin deputati ac appro-

approbati ad audiendas confeſſiones alterius gregis fidelium; & ſimul quia id ætatis nullum veſtigium extat, Epiſcopos, quosdam Sacerdotes *communiter* in ſua diœceſi & quaſi *vage* ad audiendas confeſſiones approbaſſe; quin certis parochiis, vel certo gregi aut numero fidelium eſſent præfecti, vel ſaltem in auxilium certi alicujus parochi deputati; qui proinde eo caſu relate ad commiſſum ſibi gregem jam non *alieni Sacerdotes* dici potuiſſent: *tertio* quia (ut adnotat doctiſſimus Tournelius Tract. de Sacram. Pœnit. quæſt. 6. art. 3. Edit. Venet. pag. 186.) occaſio prima Canonis Lateranenſis prædicti fuiſſe videtur avaritia non nullorum Parochorum; qui, cum fideles ſolerent iis parochis decimas ſolvere, a quibus Sacramenta tempore paſchali percepiſſent, extra limites parochiæ ſuæ excurrentes, alienos parochianos ad ſe pertractos audita illorum confeſſione ad paſchalem communionem admittebant: unde rixæ circa decimas; quas ab iisdem fidelibus diverſi ſimul Parochi exigebant.

Abuſum hunc jam comprimere ſatagebat an. 897. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in ſuo Capitulari cap. 14. Quia tamen nec inveriſimilis eſt altera conjectura Tournelyi (pag. 187. ibid.), videlicet, aliam occaſionem prædicti Canonis fuiſſe temeritatem non nullorum Regularium, quorum ea ætate multiplex inſtitutus eſt ordo, inter quos *Humiliati*, a S. Joanne Columbino fundati, teſte Abbate Urſpergenſi, *nulla habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in alienam meſſem, populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere ſatagebant, & confeſſiones audire, & mi-*

& miniſteriis Sacerdotum derogare: idcirco ſub nomine *Sacerdotis alieni* mea pace ex mente Concilii Lateranenſis prædicti intellige quemcunque, qui ordinariam, ſeu propriam, ſeu delegatam, jurisdictionem in foro interno relate ad certos fideles non habet.

Patet vero ex his quam luculenter; nihil hoc Canone Concilii generalis in præjudicium Epiſcoporum conſtitutum fuiſſe; ſed his plenum arbitrium relictum fuiſſe; ut ſeu ſolos parochos porro deputare ad curam ordinariam animarum vellent, ſeu partem curæ iſtius etiam religioſis mendicantibus, ſibi ad hoc munus tum proprio illorum ſtudio & diligenti præparatione, tum Romanorum Pontificum favore & ſecundo judicio commendatis, concéderent.

Ex quo conſequitur, quantum illis Epiſcopi quique in ſua Diœceſi de hac cura actu conceſſere; tantum poteſtatis illis actu citra dubium competiiſſe; nec ullo jure conceſſionibus Epiſcoporum Parochos in Gallia fuiſſe refragatos. Ex adverſo illud pariter extra dubium eſt poſt deciſionem Tridentini hoc §. allegatam; quæcunque Regulares Mendicantes citra conſenſum Epiſcoporum, ſolis Pontificum privilegiis innixi (quæ privilegia conditiones, virtute divinæ hierarchicæ inſtitutionis, neceſſarias, ſemper ſupponunt) in cura animarum ſibi vendicabant, ordini Eccleſiaſtico, a Chriſto Domino conſtituto, conſentanea non fuiſſe.

Profundioris vero indaginis quæſtio illa eſt; an cura animarum, ab Epiſcopis ex commendatione Romanorum Pontificum non ſine præjudicio aliquo parochialis

chialis officii in Religioſos mendicantes transmiſſa, ſeu per ſe, ſeu per accidens, utilis majori fidelium ſaluti fuerit. Qua in quæſtione, ſi de præteritis temporibus agatur præciſe; equidem certo confido, S. Spiritum, a quo non minus in diſciplinæ optimis legibus, quam in dogmatis fidei ſtatuendis, Chriſti Eccleſia certiſſime regitur, id quod maximæ communi ſaluti fidelium opportuniſſimum erat, huc uſque Romanorum Pontificum & Epiſcoporum mentibus inſpiraſſe.

Quin imo nullus dubito; quin, quo uſque nulla regularis educatio, nec regularis vita parochorum, Eccleſiæ legibus fuerit introducta, utilius Eccleſia & communi fidelium ſaluti futurum ſit, præter ordinarium & ſtabile officium parochorum religioſis viris partem illam exercitii curæ animarum committi, quæ huc uſque Regularibus Mendicantibus commiſſa eſt.

Cum enim ſine regulari & religioſa tum educatione, tum vitæ inſtituto, & ſubordinatione, a majore numero parochorum communiter ea præparatio ad tam grande officium (cui ſæpe admodum juvenes admoventur) minus etiam illud ſtudium in omnibus ejus partibus implendis, & accuratio, conſiderata humana fragilitate, & uſu communi vitæ humanæ, prudenter expectari non poſſit, quod illius grande momentum poſtularet: cumque recta adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ inprimis fructus uberiores præ ceteris officii curæ animarum partibus afferre per ſe ſoleat: idcirco ſapientiæ eccleſiaſticæ pars erat, & certiſſimus effectus; quod Romanorum Pontificum, communi Eccle-

ſiæ

ſiæ bono potiſſimum invigilantium, opera id effecerit, ut viri religioſi, in propriæ ſalutis cura ſtudioſiore a teneris enutriti, & vitæ ſpiritualis perfectiore ſcientia eruditi, in ſecularium parochorum ſubſidium ex parte admitterentur.

Interea tamen negari non poſſe exiſtimo, diſciplinam Eccleſiaſticam, quoad ejus vigor a foro interno Sacramenti Pœnitentiæ dependet, ex ea occaſione multum remiſiſſe; idque ex ea potiſſimum ratione; quod cum religioſi in hoc foro non niſi judicii *voluntarii* ſpeciem quamdam gererent, eo ipſo Parochorum officium judiciale, quod prius *neceſſarium* erat, vim neceſſarii judicii & energiam amiſerit. Ex quo factum, ut ne ſpecies quidem ulla priſtini pœnitentiæ etiam occultæ rigoris in gravioribus quibusdam criminibus ſeveritate pœnitentiæ éliminandis in Eccleſia conſervaretur: cum ex tot religioſis voluntariis judicibus facile remiſſiores aliqui invenirentur; nec alii ſeveritatis ſingularitate lubenter a ſuo tribunali pœnitentes abſterrerent.

Illud ergo omnibus exoptandum votis Eccleſiæ foret, ut Clericorum, ſeu Sacerdotum, religioſum ac regulare inſtitutum; quale in prima Eccleſia ſub oculis & directione Epiſcoporum erat, denuo reſtitueretur; cujus ope & educatio, & inſtitutio, & exercitatio jam inde ab adoleſcentia ſuſcepta, prævie homines Eccleſiaſticos ad grandis illius muneris officia quæque rite & pro momenti gravitate obeunda præformaret. Tum vero haud dubie animarum cura & fori interni judicium neceſſarium a paucis regularibus paro-

parochis; eorumque adjutoribus ab Epiſcopo deputatis, utilius, quam hodiernum voluntarium ab immodico confeſſariorum numero, exerceretur.

** Ceterum cum Joannes Morinus, etſi modico fundamento, docuerit L. 8. de pœnit. c. 23., olim Diaconis conceſſam fuiſſe poteſtatem Sacramentali abſolutione remittendi ſibi confitentibus peccata in defectu Sacerdotum; quæri poteſt, an abſolute hæc poteſtas ab Epiſcopis alteri quam Sacerdoti delegari poſſit. Et vero cum jurisdictio in foro externo paſſim etiam talibus, qui non ſunt Sacerdotes, delegari conſueverit; nec Chriſtus ipſe aliis verbis jurisdictionem in externo aliis in interno foro, ſed hisce iisdem inſtituerit, *quorum remiſeritis &c.*, *quorum retinueritis peccata &c.*: videri poſſit internam æque ac externam abſolute delegari etiam non Sacerdoti poſſe; maxime quod ipſa presbyterii ſeparatio ab Epiſcopatu non divino, ſed apoſtolico & humano jure, facta fuerit; ac proin æque poteſtas conſecrandi SS. Euchariſtiam ſeparari poſſe a poteſtate remittendi peccata videatur.

Qua quidem in re, cum nunquam huc uſque Eccleſia dederit cuiquam poteſtatem remittendi peccata, niſi jam prius donato poteſtate conſecrandi SS. Euchariſtiam; temere nemo aſſerere debet, illam ſine iſta revera dari poſſe; maxime cum ne Chriſtus quidem illam Apoſtolis niſi jam prius ſacerdotio conſecratis dederit.

Facile ex adverſo intelligitur, poteſtatem conſecrandi dari poſſe ſine poteſtate remittendi peccata; id eſt illam ab hac, ſaltem completa, ſeparari; ac proinde etiam Sacerdotio, id eſt, ſacrificandi DEO poteſtate, jam initiatis opus adhuc eſſe *jurisdictione* in foro inter-

interno ab Epiſcopis concedenda, ſeu peccata remittendi ac retinendi poteſtate, eaque vel ad omnes diœceſanos extenſa (ultra quos nec Epiſcopi propria poteſtas ſe extendit) vel ad certam illorum partem reſtricta. Poteſtas iſta, ſeu jurisdictio, an proprio Sacramento ordinis, an ſine eo, conferatur, par quæſtio eſt, atque illa; an *confirmandi* poteſtas ſimplici Sacerdoti virtute Sacramenti ordinis presbyteratus, an extra tale Sacramentum, conferatur: de qua quæſtione vide dicta §. 488. not. 3.

Ad cujus item quæſtionis ſolutionem illud adnotare proderit, quod ex ſententia valde communi Theologorum verba illa Epiſcopi ad Sacerdotes recens poteſtate conſecrandi initiatos proferri ſolita, *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata &c. &c.*, ad ſubſtantiam ac valorem ordinationis nullo pacto pertineant.

*** Denique jurisdictio delegata a quovis delegante delegari poteſt vel generalis & ad remittenda quæcunque peccata ſe extendens, vel reſtricta ſolum ad aliqua peccata, reſervatis quibusdam certis peccatis poteſtati privativæ ipſius delegantis; quæ reſtrictio vulgo *reſervatio* appellatur. *Epiſcopus* itaque *ex rationibus ſapientibus Eccleſiaſticis ſibi reſervare certa graviora peccata poteſt*; quæ rationes nimirum a majore bono communi ſpiritualis ſalutis Eccleſiæ ſuæ petitæ eſſe debent. *De reſervationibus Pontificis Romani* vide dicta in Dem. Cath. §. 287. not. 2.

Interim cum ratio communior & præcipua talium reſervationum eſſe ſoleat frequentatio certorum criminum in aliqua Diœceſi, vel provincia, ex occaſione aliqua

aliqua tranſeunte ad tempus nimis invaleſcens, aut nimia ſacrorum judicum remiſſio fortuita negligentia in maximum illorum eumerum diffuſa; ſapientia rectoris Eccleſiaſtici item poſtularet, ut ea criminum frequentia ſublata, aut emendata jam ſacrorum judicum nimia abſolvendi facilitate, reſervatio deinceps denuo tolleretur; nec citra neceſſitatem boni publici & ſacri judices & pœnitentes, ingenti reſervationum, ſucceſſu temporis auctarum, numero moleſtentur.

At videmus, jam a multo tempore, conſuetudine magis, quam certa deliberatione, reſervationum ſemel ſtatutarum leges paſſim prorogari. Id quod in Pontificiis æque reſervationibus, ac multarum Diœceſinm, obſervare licet. Atqui non conducit vulgo multiplicare ultra certam neceſſitatem humanas leges; cum facile homines ſapientia illa deſtituat, quæ ad leges maximo communi bono utiles & conſentaneas ſtatuendas requiritur (Eth. Univ. Chriſt. §. 399.).

546.

Effectûs abſolutionis Sacramentalis abſente omni impedimento ex parte pœnitentis eſt gratia ſanctificans & habitualis, per quam culpa, ac pœna omnis, æterna, ac temporalis, remittitur.

Probatur ex ſenſu & ſignificatu diſtincto verborum Chriſti, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quem ſupra §. 528. n. 1. & 2. fixi. Deus enim non remittit peccata, perfecte, vel imperfecte, niſi concipiendo denuo efficacem benevolam voluntatem poſitivam erga pœnitentem; qua & velit eum liberare ab omnibus effectibus naturalibus peccatorum, iisdemque pœnalibus, & denuo eundem perducere per omnes neceſ-

neceſſarias actuales gratias ad beatitatem æternam. Neque vero Deus infinite benevolus & miſericors per ſe, & proprio veluti motu, reſtringit effectus ſuæ benevolentiæ; ſed integre & pro tota capacitate creaturæ rationalis eosdem exerit; niſi quodam impedimento ex parte ipſius creaturæ ſe tenente impediatur. Ergo abſente omni tali impedimento remiſſio, quam concedendi poteſtatem ſimpliciter commiſit Apoſtolis Chriſtus verus DEUS & Homo, plena eſt: quoad omnem culpam & pœnam.

* Evidens undequaque argumentum hoc eſt; ſi modo terminos rite penetres.

547.

Impedimentum omnis abſolute effectus abſolutionis Sacramentalis eſt quilibet prædominans habitualis affectus gravis peccati, nullo adhuc contrario actu, vel affectu actuali, deſtructus & retractatus.

Gratia enim ſanctificans, quæ per eam reſtitui deberet ceu principalis effectus, cum peccato gravi componi non poteſt (Tract. de gratia §. 317.); nec fieri poteſt juſtificatio hominis adulti ſine converſione cordis (ibid. §. 310.). Cum ergo ſtatus omnis vitii, ſeu habitualis gravis peccati, conſiſtat in amore terreno prædominante habituali (Eth. univ. Chriſt. 683. IX.); niſi is actu quodam contrario deſtruatur, effectum Sacramentalis abſolutio habere non poteſt in animo peccatoris.

548.

548.

Impedimentum effectus completi, ſeu perfectæ remiſſionis peccatorum, abſolutione Sacramentali conſequendi deſtructo etiam habituali prædominante affectu peccati eſt pœnitentiæ imperfectio accidentalis, quæ nimirum ſufficit quidem prædominio affectus vitioſi deſtruendo, ſed non extirpandis omnibus reliquiis ejusdem vitioſi affectus.

DEI enim ſapientiæ & juſtitiæ proprium eſt, poſt male acta a quovis homine peccatore perfectam pœnitentiam exigere, nec imperfecte pœnitentibus niſi item imperfecte remittere peccata, ita, ut nec Chriſtus ipſe Dominus aliter voluerit ſatisfactionem ſuam peccatoribus applicari (Eth. univ. chriſt. 256.).

549.

I. *Itaque ad remiſſionem gravium peccatorum ſimpliciter ope ſacramentalis abſolutionis obtinendam peccatori opus eſt, ut præter confeſſionem diſtinctam peccatorum prius actu quodam pœnitentiæ deſtruat in ſe omne vitioſi amoris prædominium, & reſtituat rectum ordinem amoris* (Eth. cit. §§. 716. 717.).

II. *Ut vero remiſſionem perfectam* (ib. 263.) *conſequatur, opus eſt, ut in ſe deſtruat omnes reliquias vitioſi habitus cujuscunque peccati pœnitentia perfecta* (ibid. 255. 256.).

III. *Ad pœnitentiam imperfectam requiritur intenſio actuum contrariorum ſaltem talis, quæ par imo major potius ſit intenſione actuum peccaminoſorum, ac numero quoque illorum proportionata.* Se-

cus enim par non erit *prædominio* illi deſtruendo (quod & intenſione & numero actuum pro more omnium habituum roboratur) ſimulque prædominio reſtituendo ordinati ac divini amoris. *Unde in aliis peccatoribus major, in aliis minor intentio pœnitentiæ ſimpliciter requiritur, pro intenſiva magnitudine videlicet, & pro numero actuum peccati*, ſecundum illud dictum Chriſti de peccatrice Luc. VII. 47. *remittuntur ei peccata multa; quia dilexit multum.*

IV. *Ad pœnitentiam perfectam requiritur intenſio actuum par omnibus eliminandis reliquiis habitus peccati, ac proin multo major intenſione actuum peccaminoſorum, atque item ſub eo exceſſu numero illorum proportionata.* Nam ad imperfectam pœnitentiam jam requiritur intenſio iſtius major habitu peccati (Cor. præc.) ergo multo majore opus eſt ad perfectam pœnitentiam, qua omnes reliquiæ malorum habituum penitus eliminandæ ſunt; & cum in majore numero actuum malorum etiam ſingulorum reliquiæ tollendæ ſint; patet, intenſionem pœnitentiæ perfectæ etjam illi numero proportionatam eſſe debere.

550.

Malitia cujusque peccati completa importat 1°.) *contrarietatem* (Eth. chriſt. univ. 410. II.) *cum bono phyſico naturæ rationalis intrinſeco*, ſeu proprio, ſeu communi aliorum hominum, eoque præſente, vel futuro, intra ſtatum quidem vitæ præſentis; quæ contrarietas animadverti poteſt etiam ſine omni reflexione ad Deum, aut ad vitam aliquam futuram, ex. gr. in quarumlibet voluptatum corporis immoderatione, in

inimi-

Digitized by Google

inimicitia, injuſtitia &c. (Eth. cit. §§. 300. 304.) *importat* 2'.) *contrarietatem cum bono proprio, vel alieno, Theologico* vitæ item præſentis, quod conſiſtit in rectitudine morali actionum; per quam DEI & divinarum perfectionum ſimilitudinem participamus; cum peccatum econtra nos ipſos turpitudine theologica, id eſt, diſſimilitudine & contrarietate cum divinis perfectionibus inficiat (loc. cit.), ac ſæpe pravitate exempli, vel mali conſilii &c., etiam in alios eandem turpitudinem traducat; *importat* 3'.) *contrarietatem moralem, ſeu vim demeriti, reſpectu beatitatis noſtræ*, id eſt, fruitionis æternæ DEI ceu ſummi unius ac puri boni in vita futura, quam DEUS in pœnam illius ſe ſubtracturum, vel certe dilaturum, ſi leve ſit peccatum, intentat; *importat* 4'.) *nexum phyſicum, & moralem ratione ſui demeriti, cum poſitiva temporali, vel æterna, infelicitate*; quam DEUS in ejusdem pœnam ſe permiſſurum lege ſua peccatum vetante intentat (loc. cit. 207. 406. 410.); *importat* 5'.) *abſolutam contrarietatem cum perfectionibus divinis ſecundum ſe infinite pulcris*; quæ etiam abſolute ſecundum ſe ceu diſplicens DEO infinite amabili conſiderari poteſt; etſi non referatur ad proprium ſubjectum ceu turpitudo illius, de qua diximus paullo ante hic n. 4.

551.

I. *Omne itaque peccatum in primitivo & principali ſuo actu aut amor boni, aut odium mali ſeu moleſtiæ, vitæ præſentis eſt, prædominans actu* 1'.) *vel amori veri boni noſtri phyſici proprii, aut alieni*, etiam ſtatui vitæ præſentis reſpondentis; 2'.) *vel prædominans amori boni theologici, proprii, vel alieni, item vitæ præſenti jam convenientis;*

tis; 3'.) *vel prædominans amori ſecuritatis de conſequenda mox a morte iſtius corporis beatitate noſtra æterna*, 4'.) *vel prædominans odio ac fugæ periculi incurrendæ æternæ, aut temporalis, poſitivæ infelicitatis*, 5'.) *vel prædominans amori complacentiæ de infinita pulcritudine divinæ perfectionis, & odio diſplicentiæ, ſeu fugæ, omnis eidem contrarii objecti*; 6'.) *vel prædominans ſimul his omnibus ſimul, vel ſaltem pluribus ex iſtis affectibus*; prout nempe in admiſſione peccati cujusque vel ad omnes, vel ad unam tantum & alteram ex contrarietatibus ejusdem, præc. §. enumeratis, animadverſum eſt.

II. *Actus ergo primitivus & præcipuus deſtruens quodcunque habituale peccatum*, vel ſolum quoad prædominium ſuum, vel etiam quoad omnes ſuas reliquias (549. I. II.), *eſſe poteſt* 1'.) *vel amor veri boni mere phyſici*, noſtri, ſeu alieni, huic præciſe præſentis vitæ ſtatui convenientis; 2'.) *vel amor boni theologici præſentis vitæ*, proprii, vel alieni (præc. n. 2.), id eſt ſimilitudinis cum DEO; qui concipitur ex apprehenſa pulcritudine DEI & poſſibili ejus participatione per actus quosvis virtutis; 3'.) *vel amor beatitatis noſtræ æternæ in futura vita, & ſecuritatis ejusdem, atque accelerationis mox a morte corporis*; 4'.) *vel odium ac fuga æternæ, aut temporalis, poſitivæ infelicitatis in vita futura, omnisque periculi ejusdem*; 5'.) *vel amor complacentiæ in infinita pulcritudine Dei, & diſplicentiæ odium erga omne objectum illi contrarium*; 6'.) *vel plures ſimul ex iſtis actibus, iisque vel ſinguli ſeorſum, vel ſaltem ſimul juncti, conatus ſui efficacia prædominantes affectui habituali primitivo peccati* (Cor. præc.), *vel etiam intenſione ſua pares extinguendis cunctis ejus reliquiis.*

III. *Tres*

III. *Tres primi actus Cor. II. hic memorati ad amorem concupiſcentiæ (vel in peccatis, quæ aliena vocamus*, eoquod cauſſæ ſint alienorum peccatorum, *ad amorem benevolentiæ erga proximum) imperantem pertinent; quartus item ad eundem amorem concupiſcentiæ*, quo nobis ſaltem in confuſo bene univerſe volumus, *ceu actus imperatus, ſpectat: quintus puri amoris complacentiæ proprius eſt actus.* 2°.) *Primus tamen & quartus actus nullum per ſe amorem DEI plane importat:* 3°.) *ſecundus vero & tertius verum DEI amorem, tum complacentiæ, tum concupiſcentiæ, ſimul natura ſua & origine involvunt* (Vide Pſychol. §§. 255. 256.).

* Dixi §. præc. in Cor. I. n. 3. peccatum eſſe actum prædominantem *amori ſecuritatis de conſequenda mox a morte corporis beatitate æterna*: quia peccatum quodvis, cum adhuc pœnitentia expiari durante vita poſſit, non immediate pugnat cum ipſa beatitate futura, vel ejus continua conſecutione poſt mortem; etſi grave ſit: ſed ſolum periculum illius amittendæ: ſi grave, diutius differendæ, ſi leve peccatum ſit, inducit. Eadem ex cauſſa dixi n°. 4. *prædominans odio ac fugæ periculi &c.;* quia peccatum non abſolute cum infelicitate illa connectitur, ſed ſolum ſub conditione non ſecuturæ pœnitentiæ ſeriæ & ſufficientis. Similes rationes ſunt eorum, quæ dixi analoge Cor. II. n. 3. & n. 4.

552.

Amorem boni phyſici §. præc. Cor. II. n. 1. memoratum dicemus deinceps *amorem virtutis philoſophicæ* (Eth. chriſt. univ. §. 659.); Amorem vero boni theologici eodem Cor. II. §. præc.

 n. 2.

Digitized by Google

n. 2. deſcriptum *amorem honeſtatis theologicæ* appellabimus; amorem beatitatis ibid. n 3. deſcriptum vocabimus *amorem DEI concupiſcentiæ;* odium & fugam poſitivæ infelicitatis vitæ alterius, æternæ, vel temporalis n. 4. occurrens dicemus *timorem gehennæ, & purgatorii;* denique amorem complacentiæ de DEO n. 5. recenſitum appellabimus *amorem purum caritatis DEI.*

553.

Cum in omni peccato theologico (Eth. cit. §. 409.) contemtus aliquis DEI practicus, id eſt, prædominium practicum amoris boni creati adverſus amorem ſeu honeſtatis theologicæ, ſeu adverſus amorem DEI concupiſcentiæ, ſeu adverſus amorem puræ caritatis, interveniat. pro diverſa nimirum reflexione ad cujuslibet talis amoris motiva (loc. cit. §. 406.); idcirco, *ut quivis iſtiusmodi amor ſufficientem vim in pœnitente habeat ad deſtruendum omne præſens adhuc habituale peccatum, facta reflexione ad quodvis peccatum admiſſum & nondum expiatum continuo imperare debet efficax odium diſplicentiæ de eodem ceu ſibi e diametro contrario, triſtitiam ſeu dolorem de illo in præſens jam contracto, deteſtationem,* ſeu votum ſincerum, quo velis id nunquam factum fuiſſe, *fugam denique abſolutam* ejus in futurum, *ſeu firmum & efficax propoſitum non omnino peccandi de cetero; ac proinde utendi omnibus mediis neceſſariis ad peccata vitanda, & fugiendi eorum quævis propingua pericula.*

Prædominium enim affectus cujusque in eo conſiſtit, quod ipſe affectus ceteros ſibi conſentaneos imperet ac determinet a priori, ac per eosdem excludat omnes ſibi contrarios affectus; quin

Digitized by Google

quin ad completum ejusmodi actuale imperium alia re opus ſit, quam ut reflexio accedat ad motiva ſingulorum id genus imperandorum affectuum; ſine quibus motivis poſſibiles non eſſent; cum velle absque motivo nil omnino poſſimus.

554.

Præterea vero, cum quovis peccato gravi theologico evertatur conſtans illa habitualis eaque efficax intentio directa finis ultimi creationis noſtræ, parata adhibere media omnia ad illum conſequendum neceſſaria, & removere omnia ejus impedimenta; ad quam in nobis conſervandam omni tempore obligamur lege Dei naturali (Eth. cit. §§. 310. 373. 386. 683. IX.): idcirco *ut remiſſio peccatorum gravium Sacramento abſolutionis Sacerdotalis obtineri queat, reſtitui quoque in pœnitente hæc intentio generalis efficax finis ultimi, ſeu deſiderium atque amor æternæ beatitudinis, novo quodam efficaci actu debet; qui ſe ad omnia ejus utenda media neceſſaria, & vitanda certa pericula extendat.*

Huc profecto pertinent illa Dei verba Deut. IV. 29. *cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen ex toto corde quæſieris eum, & ex tota tribulatione animæ tuæ.* Quæ verba non ſolam deſtructionem voluntatis priſtinæ peccandi exprimunt, ſed etiam renovationem intentionis prædictæ ad Deum ut finem ultimum de novo directæ.

555.

Affectus moleſti §. 553. recenſiti, ab alterutro amore ex §. 552. deſcriptis in ordine ad

ad deſtruendum habituale peccatum imperati, nempe odium diſplicentiæ, triſtitia de peccato admiſſo, ejusdem deteſtatio, in genere *contritio* vocantur. Hæc vocatur *contritio imperfecta* (ſeu *attritio* recepta jam in ſcholis nomenclatione) ſi eum meriti moralis gradum affectus eam imperans non attingat, ut conjunctus voto efficaci Sacramentalis abſolutionis poſt confeſſionem præviam adipiſcendæ, juſtificationem peccatoris jam ante Sacramenti perceptionem per ſanctificantem gratiam poſt ſe trahat: *perfecta contritio* ex adverſo appellatur, ſi conjuncta cum voto Sacramenti effectum illum mox conſequatur, etiam nondum percepto Sacramento. *Perfectiſſimam contritionem* appello, quæ ut reliquias omnes peccati habitualis ex integro deſtruit, & plenam culpæ omnisque pœnæ remiſſionem, cum gratia ſanctificante, etiam ante perceptum Sacramentum jam meriti ſui congruitate & conatus intenſione obtinet.

* Tridentinum Concilium hac de re ſic habet Seſs. XIV. c. 4. *Contritio animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. . . . Docet præterea* SS Synodus; *etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque DEO reconciliare; priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat - - donum DEI eſſe & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis*

Digitized by Google

tantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quam-vis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat; tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.

556.

Omnis contritio ab amore DEI ſubſtantiali gradu perfecto imperata (Eth. Chriſt. univ. §§. 384. 385.) *juſtificat peccatorem jam ante perceptum Sacramentalis abſolutionis Sacramentum.*

Probatur 1°.) EX SS. SCRIPTURIS. a) Prov. VIII. 17. Sapientia divina declarat de ſe ipſa: *Ego diligentes me diligo*: quorum verborum alius ſenſus eſſe non poteſt, niſi iſte: ego diligentes me amore ſerio etiam ſimili amore redamo; ac proin diligentes me amore ſubſtantialiter perfecto diligo viciſſim amore ſubſtantialiter perfecto, id eſt, quo ſubſtantiam culpæ & pœnæ peccatorum omnium remitto, & ſubſtantiam gratiæ ſanctificantis eis reſtituo; ex adverſo non niſi amore prorſus etiam omni accidentali perfectione ornato me diligentes tam perfecte redamo, ut non ſolum ſubſtantiam peccati, ſed omnem prorſus pœnam illius remittam, & inſigniore quodam gratiæ ſanctificantis gradu eos exornem.

b) I. Joan. IV. 7. dilectus Chriſti diſcipulus teſtatur: *omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt*; id eſt, vita ſpirituali gratiæ ſanctificantis vivit; qui ſenſus manifeſtus eſt ex illis Chriſti verbis Joan. III. 6.: *quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Et v. 5. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*

Digitized by Google

ſancto &c. Et vero Chriſtus ipſe Joan. XIV. 23. deſcribit proprietatem ſubſtantialem *dilectionis*, quæ juſtificet hominem, dicens: *ſiquis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Ecce! qui ſermonem Chriſti quoad ſubſtantiam ſervat; is diligit eum; & Chriſtus, ceu Sapientia Patris, *diligit diligentem ſe; & Pater* Chriſti pariter *diliget eum;* hic quidem præſentia ſua per gratiam (quæ communis ceterorum eſt interpretatio) illic vero per gloriam beaturus illum; uti S. Auguſtinus Tract. 75. in Joan. ſingulari opinione interpretatur. Idem vero S. Doctor priorem interpretationem manifeſte adoptat Tract. 9. in Joan., ubi de caritate ait: *quam cum habere cœperit homo, S. Spiritum habet; ſi non habuerit, ſine S. Spiritu erit.* Et Tr. 5. in I. Epiſt. S. Joan. cap. 3. ita ſimpliciter enuntiat: *Non diſcernuntur filii Dei a filiis diaboli, niſi caritate. Qui habent caritatem, nati ſunt ex Deo; qui non habent, non ſunt nati ex DEO.* Ecce! ut Auguſtino *natum eſſe ex Deo* idem eſt, ac eſſe *filium DEI.*

Probatur 2'.) auctoritate Summorum Pontificum *Pii V., Gregorii XIII., & Urbani VIII.*, qui damnarunt has *Michaëlis Baji* propoſitiones, videlicet 31am: *caritas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum:* 32da *caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum:* 71ma *per contritionem etiam cum caritae perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum con-*

Digitized by Google

conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

Circa quas propoſitiones *notandum* 1'.) Bajum ſemper loqui in illis de actu caritatis; uti ſonant verba illa, *quæ eſt ex corde puro, quæ eſt plenitudo legis, & quæ conjunctum habet votum Sacramenti &c.*: quippe qui nec admiſerit habitualem caritatem ullam ab actu diſtinctam, & exploſerit omnes habitus virtutum infuſos: 2'.) per *remiſſionem peccati* aliud non intellexiſſe Bajum, quam remiſſionem reatus pœnæ; quippe qui omnem culpæ reatum diverſum a reatu pœnæ negaverit: 3'.) illum locutum eſſe de caritate extra Sacramentum; uti patet ex propoſitione 71ma: quod enim caritas cum Sacramento juſtificet, non negavit Bajus: 4'.) de caritate non ſolum intenſa, ſed remiſſa hæc docuit Bajus; uti ipſe ſe explicavit in Apologia; quæ nimirum præciſe amet Deum ſuper omnia eidem graviter adverſantia: 5'.) denique docuit is, juſtificationem fieri per actum caritatis, non per aliquam gratiam ſanctificantem habitualem & infuſam; in Sacramento vero remitti ſolum reatum pœnæ.

Probatur 3'.) RATIONE. Actu quovis amoris divini ſubſtantiali gradu perfecto, imperante contritionem pari gradu ſeriam & efficacem, qui actus, ceu ſalutares, non niſi per gratiam Dei actualem ſupernaturalem elici a peccatore poſſunt, deſtruitur omne prædominium habitualis peccati, & reſtituitur prædominium ordinati amoris erga Deum, una cum efficaci intentione & deſiderio finis ultimi (554.) ad uſum omnium mediorum ſeſe extendente (Eth. cit. 384. 385.)

Digitized by Google

385.); ac proinde peccator non ſolum avertitur a peccato, ſed etiam toto cordis prædominio convertitur ad Deum, ceu finem ſuum ultimum. Jam vero præter hoc nihil ſane requiritur, ut Deus infinite ſapiens, miſericors, & juſtus, per Chriſti meritum continuo remittat pœnitenti ſic contrito peccatorum gravium pœnas æternas, ac reſtituat eidem efficacem ſuam benevolentiam, qua velit eum per omnes actuales gratias fidei, ſpei, caritatis, aliarumque virtutum, quoad illæ ſunt media ad ſalutem neceſſaria, perducere ad beatam æternitatem; id eſt, ut gratia ſanctificante eidem reſtituta, illum mox juſtificet ante perceptum abſolutionis Sacramentum (Tract. de grat. §§. 307. 310. 312.).

Neque enim requiri ad hoc poteſt præterea omnes etiam accidentalis perfectio divini amoris, qua per energiam ſui imperii excludat ab animo pœnitentis ſeu omnes reliquias mali habitus peccati, ſeu omnes etiam leviores culpas actuales, & imperet actus omnium conſiliorum ac ſummæ perfectionis; ultra quam alia illius intenſio, vel perfectio, porro fingi non poteſt. Omnes enim reliquiæ mali habitus, ac leves actuales culpæ, ne per Sacramentum quidem univerſe tolluntur; nec per ſe ullo pacto obſtant ſubſtantiæ juſtificationis & gratiæ ſanctificantis; ſicuti nec eam deſtruunt, ſi eidem præexiſtenti ſuperveniant. *Nec denique* ulla ratio eſt, cur Deus lege naturali neceſſaria obliget pœnitentem, ut mox perfectiſſimo amore ſe ad ipſum convertat; cujus legis neglectus conſtitueret novum peccatum & impedimentum gratiæ. Ergo &c. &c.

* *Adrianus*, *Franciſcus Sylvius*, *Eſtius*, aliique Doctores, Belgæ ut plurimum, & Galli, quos noſtro ſeculo plurimi ſecuti ſunt, volebant, contritionem non niſi ab amore DEI maxime intenſo imperatam extra Sacramentum juſtificare peccatorem. Aliqui ex dictis Doctoribus conceſſere, in caſu mortis ſufficere quamlibet contritionem caritate perfectam; quod ineptum eſt: cum talis contritio a mortis adjunctis utiquem vim novam, quam per ſe non habet, minime acquirat.

Tridentinum Concilium hac ſuper re quidem nihil definivit, ſolis erroribus Proteſtantium proſcribendis intentum: id quod ex citato illius textu (555. not.) patet; cum ſolummodo dicat, *contritionem aliquando caritate perfectam eſſe, hominemque DEO conciliare, priusquam Sacramentum actu ſuſcipiatur*: relinquens in medio, in quo perfectio illa caritatis conſiſtat. Certe qui præter intentionem Concilii eo textu ad probandum utuntur, non niſi conjecturas & rationes probabiles inde exſculpere ſolent; quibus ſuperſedere malim; cum argumenta allata jam nimis quam clare propoſitum evincant; in Tridentino autem quæſtio præſens examini ſubjecta non fuerit.

** *Objiciunt Doctores* iſti *ſcholæ* 1'.) *in SS. literis* etiam *fidei* ſoli, *ſpei*, ac *timori* juſtificationis effectum attribui, & tamen ubique ſubintelligi hanc conditionem, *ſi cetera, quæ porro alibi requiruntur; accedant*; ex. gr. Ecclci I. 27. *timor Domini expellit peccatum*: ad Rom. VIII. 24. *ſpe ſalvi facti ſumus*: ad Rom. III. 28. *arbitramur juſtificari hominem per fidem*: ergo & in locis Scripturæ allegatis ſimilis ſubintelligenda eſt

eſt conditio, nempe ſi vel debita intenſione diligatur DEUS, vel Sacramentum abſolutionis accedat. *Et vero* Chriſtus Magdalenæ remittens peccata (Luc. VII. 47. *remittuntur ei peccata multa*) expreſſe addidit hanc rationem: *quia dilexit multum.*

Reſp. Nuſpiam in citatis locis *timori, ſpei,* aut *fidei* immediate effectum juſtificationis & gratiæ ſanctificantis adſcribi. Nam *timor Domini* dicitur *expellere peccatum,* id eſt, vel prohibere, ne committatur a juſto; vel deſtruere illud, ſi prædominari timor ille denuo incipiat in animo peccatoris: at ſola deſtructio peccati habitualis nondum abſolvit juſtificationem peccatoris; niſi accedat gratia DEI ſanctificans, quæ in DEI dilectione ſeu benevolentia erga hominem efficaci conſiſtit (Tract. de Grat. §. 310); quam DEI gratiam ſolus *timor gehennæ* non obtinet; ut infra docebimus. Quodſi tamen ſit *timor caſtus* & filialis, id eſt, ab amore DEI imperatus, ſolam DEI amati offenſam refugiens; juſtitiam quoque producet: ſed tunc objectio evaneſcit.

Ad Rom. VIII. 24. ſenſus ex contextu iſte eſt inde a v. 23.: *nos ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum DEI expectantes, redemtionem corporis noſtri: ſpe enim ſalvi facti ſumus*; id eſt: nunc enim nondum re, ſed ſolum ſpe, felices & beati ſumus. Ecce! ut nihil ad rem hic profertur.

Ad Rom. III. 28. Apoſtolus *fidem* opponit *operibus legis*; ac, poſtquam oſtendit, operibus legis qua talibus nullam vim omnino ineſſe perducendi homines ad juſtitiam

tiam; ſed ad hoc fidem in Chriſtum prorſus neceſſariam eſſe; loc. cit. concludit: *arbitramur enim juſtificari* (id eſt, juſtum fieri) *per fidem, ſine operibus legis*: ubi non inquit Apoſtolus, hominem ſola fide juſtum eſſe, ſed *per fidem* ceu medium neceſſarium juſtum fieri; non item opera legis tale medium omnino eſſe. Ex adverſo dilectioni immediate ac univerſæ mutua DEI dilectio, & nativitas vitæ ſpiritualis, in locis in probatione prima citatis addicitur.

Denique non ſine emphaſi Chriſtus de Magdalena illam cauſſam remiſſionis factæ expreſſit, *quia dilexit multum.* Jam enim ſupra § 549. III. oſtendimus, ubi multa ſunt peccata, & vehementi affectu patrata, ad eadem deſtruenda & ad reſtituendum denuo divini amoris prædominium gradumque perfectionis ſubſtantialem hoc ipſo eo majorem pœnitentiæ, atque adeo & amoris contritionem imperantis, intenſionem eſſe neceſſariam.

Objiciunt & illud ex Deut. IV. 29. *cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen quæſieris ex toto corde tuo, & tota tribulatione animæ tuæ;* ex quo opus eſſe inferunt intenſiſſima contritione. Aſt enim hæc amplius non exprimunt; niſi quod in *toto corde*, id eſt, omnibus omnino pravis affectibus, DEI timor & ſtudium recuperandæ illius gratiæ, prædominari, & ſic omnes pravi prædominantes affectus efficaci dolore deſtrui, debeant, nullo excepto.

Quo ipſo ſenſu præceptum caritatis urget, ut ex *toto cordo* diligamus DEUM, & *ex tota anima*: quoad vero additur, *& ex totis viribus tuis*, conſilium, non præceptum eſt; ſecus, quisquis non diligeret ex totis

tis viribus, & perfectione ſumma, damnaretur denique; id quod univerſo ſenſui Eccleſiæ adverſatur; quæ talem legem ſtricte obligantem non agnoſcit.

*** *Objiciunt 2'.) ex SS. Patribus.* 1. *S. Cyprianus* Serm. de lapſis ait: *quam magna deliquimus, tam grandia defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit.* Similia habent *S. Ambroſius* ad Virg. lapſam, *S. Auguſtinus* ſerm. 14. de diverſis &c.

2. *S. Gregorius* hom. 33. in Evang. de Magdalena ait: *nondum lota, ſed lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit: quæ ad medicum venerat ægra, ſanata eſt.* Et *S. Auguſtinus* hom. 23. inter 50. cap. 2. *acceſſit immunda, ut rediret munda; - - & tum demum delictorum veniam obtinuit; cum ad præſentiam divini illius ignis fortius amando arſit.*

3. *S. Auguſtinus* Tract. 13. in Joan. ſcribit: *quantumcunque catechumenus proficiat; adhuc ſarcinam iniquitatis portat: non ei dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum.*

Reſp. ad 1. Nos idem docuimus §. 549. III. *Ad* 2. Si Magdalena primum in præſentia Chriſti exarſit ad amorem DEI prædominantem multis & grandibus peccatorum affectibus; nos objectio non tangit. Si jam ante multum dilexerat; ſolvant ipſi adverſarii objectionem; quia ſequeretur, nec intenſum amorem ſufficere.

Ad 3. S. Doctor ibi arguit catechumenos, qui, qualicunque profectui ſuo in virtute confiſi, negligebant

bant baptiſmum, ad quem ſuſcipiendum agnita veritate religionis Chriſtianæ divina lege obligabantur. Ergo eo ipſo carebant DEI amore gradu ſubſtantiali perfecto; vel ſaltem recte admonentur, quod confidere ſine Sacramento Baptiſmi de accepta jam DEI gratia non poſſint; cum contritio nulla ſine ſerio Sacramenti voto ſufficere poſſit. Sic enim de Cornelio Centurione ſcribit S. Auguſtinus L. IV. de Bapt. c. 23. *Cornelius, ſi etiam Spiritu ſancto accepto baptizari noluiſſet, contemti tanti Sacramenti reus fieret. Denique* his univerſis in locis alia agunt citati SS. Patres, nec de præſente quæſtione ex propoſito tractant.

**** *Objiciunt* 3°.) rigorem pœnitentiæ publicæ in primis Eccleſiæ ſeculis; ex eoque concludunt, olim Eccleſiam judicaſſe, non niſi per grandem ac intenſiſſimam pœnitentiam obtineri peccatorum remiſſionem a peccatore pœnitente. *At enim* improvide diſputant. Nunquid enim talis rigor etiam ad ipſum Sacramentum abſolutionis impertiendum exigebatur? Ergo etiam ad Sacramenti fructum conſequendum dolor ab intenſiſſimo amore DEI imperatus requiretur.

Nempe longe aliæ erant cauſſæ illius rigoris; atque inprimis ſcandalum reparari, rigore imperatæ pœnitentiæ a relapſu deterreri, edoceri item de criminis gravitate debebant Chriſtiani iis temporibus, quibus jam deferbuerat primus fervor illorum, & tamen perdurabant adhuc graviſſimæ perſecutiones, ſimulque ruditas quædam morum adhuc univerſe obtinebat: quibus cauſſis decurſu temporum ſublatis etiam ille pœnitentiæ publicæ rigor eſt denique ſublatus.

Digitized by Google

***** Dixi in propoſitione: *omnis contritio ab amore DEI ſubſtantiali gradu perfecto imperata juſtificat &c.*, nihil diſtinguens inter *amorem caritatis puræ*, & *amorem concupiſcentiæ*, nec inter *amorem boni noſtri theologici* §. 550. n. 2. & §. 551. n. 2. deſcriptum; neque vero diſtinguendum exiſtimans, idque ex ſequentibus rationibus ſat manifeſtis.

Nam 1'.) etiam amor concupiſcentiæ ſubſtantiali gradu perfectus, quo ferimur in fruitionem DEI beatificam ceu finem noſtrum ultimum, æque ac amor boni noſtri theologici, ſeu ſimilitudinis noſtræ cum DEO jam in vita præſente, jam naturæ ſuæ neceſſitate verum amorem DEI complacentiæ & puræ caritatis, ceu affectus compoſitus primitivum ſuum & imperantem, importat: cum utique acquieſcere in fruitione DEI, ſeu illius ſimilitudine, hancque deſiderare nobis, ceu bonum quovis bono creato majus, præ iſtis omnibus non poſſimus; niſi nobis DEUS tum ſecundum ſe abſolute tum relate ad nos, id eſt, ut nos ſui fruitione beatos, vel præſente ſimilitudine felices interim facturus, placeat (Eth. cit. §. 676.): ex quo etiam principio præcipue, & fortaſſis unico, exiſtentia legis naturalis neceſſario a DEO ferendæ de exercendo frequenter etiam puræ caritatis actu ſubſtantiali gradu perfecto probatur (Eth. cit. §. 387.); qui nimirum nullo amoris concupiſcentiæ actu commixtus, tamen perfectionis ſubſtantialis gradum ſe ſolo attingat.

2'.) Tali amoris concupiſcentiæ, vel amoris boni theologici actu, ſubſtantiali gradu perfecto, reipſa

DEUS

DEUS formaliter honoratur pro rebus creatis univerſis, quarum amor DEO graviter adverſatur (loc. cit. §. 677.).

3'.) Actus amoris concupiſcentiæ, quo in finem ultimum tendimus, non eſt reipſa niſi deſiderium beatifici amoris complacentiæ DEI, ceu boni noſtri majoris omnibus creatis bonis. Unde beatificus amor complacentiæ finis ultimus eſt, quem ut nobis (non ut ſibi) bonum DEUS ipſe creando intendit. Ergo amor concupiſcentiæ illius finis, ceu actus imperans reliquas omnes noſtras actiones, ſimilitudinem habet cum actu imperante in DEO omnes DEI actiones ad extra.

4'.) Actus puræ caritatis ſeu complacentiæ de DEO ſecundum ſe abſolute ſpectato (*benevolentiæ* enim amorem, proprie talem, revera non cadere in DEUM jam alias oſtendi Eth. cit. §. 83.) nulli amori concupiſcentiæ mixtus, & tamen ſe ſolo ſubſtantiali gradu perfectus, perquam difficulter in peccatorem etiam ſerio pœnitentem cadit; multo minus quaſi momento, aut intra breve tempus, ſed non niſi prævio frequenti exercitio inferioris nominis actuum, inprimis *ſpei* ſeu fiduciæ de venia a DEO miſericorde impetranda, ac *amoris* ipſius concupiſcentiæ, animus pœnitentis ab habituali peccato ad illius excellentiam transferri, ac veluti per gradus elevari poteſt; ut ex dictis a me in Eth. cit. §. 68. conſideranti patebit; cum nempe poſſibilitatem puri id genus amoris (*deſinteraſſati*, ut vulgo eum ſcholæ vocabant) probarem; quam Ill Boſſuet cum multis aliis omnino negavit: quorum ſenten-

tia ſi vera eſſet; enimvero ſuperſedere omni hac quæſtione deberemus. Unde niſi contritio ab amore concupiſcentiæ perfecto imperata etiam ſine Sacramento ſufficeret; nunquid pæne certi eſſemus de interitu omnium peccatorum gravium, repente ſine Sacramento morientium?

5'.) Mirum ſane eſt, nullibi in SS. literis occurrere diſtinctionem iſtam amoris DEI in amorem puræ caritatis ſeu complacentiæ de DEO, & in amorem concupiſcentiæ. *Neque enim dicas*, vocem *diliges* non niſi pro puro amore accipi aut ubique in SS. literis, aut ex indole latinæ dictionis, aut ex uſu conſtante SS. Patrum.

Quid enim? Nonne paſſim hæc vox de hominibus ſeſe mutuo *diligentibus* in SS. literis adhibetur? Hinc vero ſeſe vulgo ſolo amore puro caritatis, an amore concupiſcentiæ *diligunt*? Nunquid homines *vanitatem* (Pſal. IV. 3.) *iniquitatem* (Pſal. 10. 5.) *tabernacula Domini virtutum* (Pſal. 83. 1.) *vitam* (Eccli. IV. 13.) *aurum* (ibid. XXXI. 5.) *munera* (Eſaj. I. 33.) *Phariſæi primos accubitus* (Matth. XIV. 7.) *hominum gloriam* (ibid XII. 43.) *mundum* (Jo. II. 15.) dicuntur *diligere*. Ex quibus apertum eſt, ea voce, *diliges DEUM tuum*, utrumque amorem ex æquo & veluti ſine diſcrimine præcipi, tum puræ caritatis, tum concupiſcentiæ? Aut ubi denique, quibus verbis, ſeorſum iſte, ac ille, præcipitur? An unus tantum alter nullibi, erit præceptus?

6'.) Sed & *SS. Patres*, etſi diſcrimen utriusque amoris ſubinde faciant, atque puræ caritatis amorem ceu

Digitized by Google

ceu præ altero perfectiorem commendent; nuſpiam tamen explicate docent, illum ſolummodo, non iſtum, extra Sacramentum juſtificando peccatori ſufficere. Legeſis S. Auguſtini ſermonem de tempore 349. (alias 52.); in quo *triplicem caritatem*, *humanam licitam*, *humanam illicitam*, & *divinam* diſtinguit; & intelliges, nec voce *caritatis* olim Eccleſiæ Patres præciſe purum ab omni concupiſcentia amorem deſignari exiſtimaſſe.

Citra dubium eſt, in ſcholis natam hanc diſtinctionem duplicis contritionis eſſe; quarum una, ceu a puro (deſintereſſato) amore, ſubſtantiali ſaltem gradu perfecto, imperata, peccatorem etiam ſine Sacramento juſtificet; altera, imperata licet ab amore concupiſcentiæ pari gradu perfecto, eundem effectum non præſtet. Credamus vero, medii ſalutis naturam tam parum in Eccleſia explicatam ac propoſitam fuiſſe, quod non raro unicum eſt ob deficientem copiam Sacramenti? Et ubi doctrinæ hæc veteribus ante Chriſtum divinis in Scripturis prædicata fuiſſe legitur; quibus tamen talis perfecto ab amore caritatis imperata contritio unicum fuiſſet ſalutis remedium poſt peccatum? *Converſio ad DEUM ex toto corde*, ſeu ut peccator *Dominum quæreret ex toto corde* (Deut. IV. 29); præciſe requirebatur in veteri teſtamento: atqui qui ſuam beatitatem in DEO unice præ omnibus aliis ponit, eoque frui tam efficaciter deſiderat, ut præ illo alia omnia illi beatitati contraria contemnat, profecto *toto corde convertitur ad DEUM* ut finem creationis ſuæ, & *toto corde quærit Dominum.*

7'.) Quid quod *græci* non multum huc uſque de hoc diſcrimine amoris puri, & amoris concupiſcentiæ,

 impe-

imperantis contritionem, cogitaſſe videantur: quia de eo vix mentio apud illorum ſcriptores Eccleſiaſticos de contritione tractantes reperitur.

Nicephorus Paſchalius, Theophanis Philadelphici Metropolitæ diſcipulus, in Enchiridio de Sacr. Pœnit. *contritio cordis*, inquit, *triſtitia animæ eſt & deteſtatio peccati, quo DEUS ſuper omnia diligendus offenſus eſt: - - - ſufficit autem, ut eo dolore perculſus pœnitens peccatum tanquam verum ſuum malum reſpiciat, deteſtetur, ac fugiat. Oportet inſuper hunc dolorem quovis alio dolore longe eſſe majorem: quemadmodum enim DEUS, quia ſummum hominis bonum eſt, ſuper omnia eſt amandus; ita peccatum, quo DEUS offenditur, ſupremum eſt malum, atque adeo ſuper omnia abſolute deteſtandum.*

Gregorius Protoſyncellus in Synopſi Sacram. *Contritio, inquit, tria continet, peccati deteſtationem, de eo contra DEUM perpetrato dolorem, & firmum deinceps non peccandi propoſitum. Ad hæc omnia fervente in DEUM caritate excitatur; de qua Theologi affirmant, quod, odio peccati conjuncta, vera pœnitentia ſit. Motivo namque triplici ad cordis contritionem homo adducitur, malitia nimirum peccati, caritate erga DEUM, & æterni timore ſupplicii. Quapropter pœnitenti timere gehennam non ſufficit; ſed præterea opus, ut de peccato ideo doleat; quia contra DEUM ſuum benefactorem peccavit.* Ecce! quid caritatis nomine intelligant Græci.

His adde *S. Chryſoſtomum* hom. 4. in II. Corinth. meris pæne motivis amoris concupiſcentiæ inſtruentem peccatores in elicienda contritione. *Cum peccaveris,* inquit,

inquit, *ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis; nihil enim hoc eſt: ſed quod Dominum tam benignum. tam te amantem, tam denique ſalutis tuæ cupidum offenderis: ut filium quoque ſuum tui cauſſa tradiderit.*

S. Auguſtinus ubique *caſtum DEI amorem* deſcribit eſſe, quo nil niſi DEUM ipſum videre, & eo frui deſideremus præ omnibus. Sed nec S. Auguſtinus diſtinguit uſpiam, niſi *caritatem inchoatam, provectam, & perfectam* (L. de Nat. & Grat. cap. 70.); cui ibidem reſpondere ait *inchoatam, provectam,* & *magnam juſtitiam. S. Gregorius M.* pariter (in c. 15. L. I. Regum) *in veraciter pœnitente* non niſi *juſtitiæ amorem* requirit dicens: *cum quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſionis.*

Adde denique omnes illos Theologos, qui noſtro ſeculo magno numero & multa cum contentione docuere, amorem purum caritatis deſintereſſatum, ut appellabant, id eſt, nullo amore concupiſcentiæ, ne quidem cadere in mentem hominis. Ex quo illud ſaltem colliges; quæſtionem hanc nequaquam ad dogmata ab Eccleſia jam deciſa, ſed ad argumenta quæſtionum mere ſcholaſtica pertinere.

****** *Sed neque ex his ſequitur,* ſolvi præceptum puræ caritatis DEI; ſi ſolo amore concupiſcentiæ incitatus peccator ſic dolere de peccatis poſſit, ut juſtificetur. Etſi enim juſtitiam dolore tali conſequatur, antequam Sacramentum percipiat; adhuc tamen obligabitur naturali lege, ut etiam ad puræ caritatis actus ſtatis temporibus eliciendos ope jam acceptæ gratiæ porro connitatur. Quem conatum qui non om-

ni ſtudio adhibuerit; næ is amore concupiſcentiæ quidem ſatis efficaci DEUM ut finem ſuum ultimum nequaquam dilexerit.

Illud ſolummodo ſequetur, ut, ſi forte ex invincibili ignorantia, aut quocunque, repentinæ ex. gr. mortis, impedimento præpeditus peccator omittat exercere etiam actum puræ caritatis, ſe ſolo jam gradu ſubſtantiali perfectum; modo doluerit de peccatis ex amore concupiſcentiæ ſubſtantiali gradu perfecto, etiamſi nec Sacramenti copiam habuerit, eo ipſo jam juſtificatus ſalutem conſequatur; eo quod dolor præciſe ex amore puræ caritatis etiam citra copiam Sacramenti non ſit medium unicum veniæ peccatorum & gratiæ DEI conſequendæ; ſed ad hoc etiam ſufficiat dolor ab amore concupiſcentiæ perfecto imperatus. Secus profecto admitti illud paradoxum deberet, damnari poſſe hominem, qui DEUM ceu finem ſuum ultimum æternæque ſuæ beatitudinis auctorem plus rebus creatis omnibus actu dilexerit: a qua ſequela admittenda quantum animus quisque genuino de divina pietate conceptu imbutus, naturali quodam naturæ ſenſu communi dictante, abhorreat, vide exemplum in Tournelyo de Sacr. Pœnit. quæſt. 4. art. 1. ſub finem *Inſtabis &c.*

557.

Nulla alia contritio, niſi ab amore Dei gradu ſubſtantiali perfecto imperata, ſine Sacramento abſolutionis ſe ſola juſtificare peccatorem poteſt.

Proba-

Probatur 1'.) quia nulli alteri talis promiſſio facta a DEO in SS. literis eſt : 2'.) quia nullo alio actu imperante, nec ulla alia contritione, Deus ſecundum ſe & propter propriam perfectionem, vel bonitatem, honoratur præ omnibus creaturis, harumque amori præponitur, ſeu ut bonus in ſe, ſeu ut bonus nobis. Unde nec ipſe *amor DEI*, *ſubſtantiali gradu ſecundum ſe immediate non perfectus*, ea virtute per ſe pollet. *Amor* enim *virtutis philoſophicæ*, etſi imperet dolorem, de DEO tamen ne quidem cogitat (552. 521. I.). *Timor gehennæ* ſolum gehennæ pœnas plus timet, quam inordinatus amor amet bona quæcunque apparentia, vel quam timor inordinatus timeat quævis vitæ iſtius apparentia mala. Alius porro actus imperans contrarius peccato, eique deſtruendo idoneus, non ſuppetit (551. II.). *Præterea neuter* ex his duobus par eſt ſe ſolo reſtituendæ intentioni generali efficaci finis ultimi; ſine qua tamen remiſſio gravium peccatorum ne quidem Sacramento abſolutionis obtineri poteſt (554.). 3'.) Nec *SS. Patres*, nec ullum *Concilium* Eccleſiæ alteri contritioni ſine Sacramento juſtificationis effectum attribuunt, quam quæ a DEI amore aliquo perfecto imperatur. Ergo &c. &c.

* *Quærunt Theologi*, an contritio ex motivo quidem caritatis deteſtans peccatum, ſed a nullo formali præcedente actu proſecutivo caritatis imperata (quam vocant *contritionem ex virtuali caritate*) juſtificet extra Sacramentum.

Reſpondeo: quamlibet virtutem moralem æque habere actus jucundos, quibus objectum ei proprium proſequimur; & moleſtos, queis objectum ei contra-

 rium

rium averſamur; qui utrique actus ad eandem virtutis ſpeciem pertineant. Sic ex. gr. ad eandem virtutem caritatis erga proximum pertinet velle illi bonum, & nolle malum. Ergo talis contritio ex motivo bonitatis divinæ, abſolutæ, vel reſpectivæ, deteſtans peccatum, ceu illi contrarium, formalis actus caritatis eſt: ac proinde haud dubie per ſe juſtificat: etſi obligatio ſimul maneat, ut primum animum quis advertit, in caſu neceſſitatis, in quo Sacramenti copia non eſt, etiam eliciendi actum caritatis, quo DEUM amore proſequatur.

558.

Ad remiſſionem peccatorum virtute Sacramenti abſolutionis pœnitentium obtinendam prævie non requiritur Contritio perfecta, quæ juſtificet jam ante perceptum Sacramentum.

Probatur 1°.) EX SS. LITERIS. Chriſtus per ea verba Joan. XX., *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, aperte declaravit, per officium apoſtolicum peccatoribus per ſe remitti poſſe primo peccata, quæ aliunde adhuc nequaquam illis remiſſa ſunt, ita, ut effectus proprius ac præcipuus hujus Sacramenti ſit reſtitutio gratiæ amiſſæ, non vero augmentum jam recuperatæ. Sicut & Apoſtolus II. Cor. V. dicit: *poſuit in nobis miniſterium reconciliationis.* Atqui ſi ſemper requireretur contritio prævia perfecta; nunquam officio Sacerdotum primo reconciliatio peccatorum cum DEO ac culparum remiſſio fieret; nec gratia amiſſa reſtitueretur; ſed ſolum jam ante recuperata augeretur. Ergo &c.

Proba-

Digitized by Google

Probatur 2'.) *ex ſenſu veterum* PONTIFICUM & SS. PATRUM. Sic *Julius I.* Papa can. 12. cauſ. 26. q. 6. declaravit: *ſi presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit; reus erit animarum. S. Cœleſtinus I.* can. *agnovimus.* 13. eodem. l. cit. de eisdem presbyteris ait: *quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejusque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? S. Auguſtinus* Ep. 188. ad Honorat. ſcribit: *Si miniſtri deſunt* (in tempore perſecutionis) *quantum exitium ſequitur eos, qui ex iſto ſeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.* Atqui hæc omnia dicta falſa ſunt; ſi ſemper alioquin contritio jam perfecta etiam in Sacramento requiritur. Unde & *Pius V.*, Urbanus VIII., & Gregorius XIII. damnarunt Baji 58vam propoſitionem iſtam: *peccator penitus non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo DEO; qui pœnitentiam inſpirat.*

Probatur, 3'.) ex mente CONCILII TRIDENTINI; quod Seſſ. XIV. cap. 3. docet, ALIQUANDO *contingere caritate perfectam eſſe contritionem, & hominem ante Sacramentum reconciliare;* item *effectum hujus Sacramenti, quantum ad ejus efficaciam pertinet, eſſe reconciliationem cum DEO;* denique *vim Sacramenti præcipuam in verbis Sacerdotum eſſe,* & (cap. 2. ibid.) *pœnitentes a peccatis per Sacerdotum miniſterium liberari.*

Probatur 4'.) EX SENSU HODIERNO ECCLESIÆ pæne generali; qui inde a Tridentino Concilio hac ſuper re invaluit. Nam in *catechiſmo Romano*, qui mox a Tridentini abſolutione an. 1567. editus eſt, P. II. c. 5. n. 32. ita legitur: *ex fidei catholicæ doctrina credendum eſt, & conſtanter affirmandum, remitti vi clavium in confeſſione*

Digitized by Google

ſione peccata omnia; etiamſi pœnitens hujusmodi dolore non officiatur, qui ad impetrandam veniam ſatis eſſe poſſit. Et vero in ipſo *Tridentino*, teſte Pallavicino L. XII. c. 10., jam paratus erat canon, quo id ipſum definiretur; qui deinde tamen omiſſus eſt, ut Doctorum catholicorum veterum magni nominis ſententiæ parceretur.

Nihilominus *Clerus Gallicanus* in Comitiis a. 1700. ſtatuit: *Ex SS. Synodo Tridentina duo monenda & docenda eſſe; primum, ne quis putet in utroque Sacramento* (Baptiſmi, & Pœnitentiæ) *requiri, ut præviam contritionem illam, quæ ſit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem DEO reconciliat.* Imo *S. Facultas Pariſina* jam an. 1638. in Libro Claudii Seguenot Oratoriani confixit ſententiam adverſam his verbis: *Quæ tradit auctor de attritionis inſufficientia, & contritionis ex perfecta caritate neceſſitate ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, damnavit Facultas, & cenſuit, has propoſitiones eſſe perturbativas quietis animorum, communi & omnino tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ imminutivas, & inſuper temerarias, & erroneas.*

* Adverſam ſententiam olim a *Magiſtro Sententiarum* traditam maximi quique nominis Doctores Scholæ ad Tridentinum uſque adoptarunt; qui tamen nihilominus in Sacerdotibus veram poteſtatem non ſolum authentice declarandi, ſed etiam conferendi remiſſionem peccatorum admittebant, eo quidem ſenſu, ut pœnitentibus, contritione perfecta jam DEO reconciliatis, abſolutione Sacerdotum novam gratiam conferri ſtatuerent. Qua quidem explicatione longe recedebant

a Lu-

a Lutheri & Calvini errore; qui docebant, verbis Sacerdotum ſolum declarari divinam promiſſionem de remiſſione peccati a DEO facienda, excitarique fidem in pœnitente, qua eam cum Chriſti meritis apprehendat. A tempore Tridentini communiter receſſum eſt a ſententia Magiſtri uſque ad Hiſtoriam Tridentini a Pallavicino primum italice, deinde etiam gallice editam a. 1670. Inde vero prævaluit inter multos Gallos & Belgas ſententia *Adriani*, ſupra §. 156. not. 1. indicata, & refutata.

559.

Sufficit ergo ad remiſſionem quorumvis peccatorum Sacramento abſolutionis obtinendam omnis ea contritio imperfecta, ſeu attritio, ut vocant; per quam ſimul omne grave peccatum habituale excludatur ab animo, & ſimul habitualis intentio directa ſatiſque efficax finis ultimi (de qua §. 554.) *reſtituatur.*

* Sed gravis jam quæſtio eſt; quænam ſit iſta contritio, quæ, cum caritate perfecta non ſit, tamen utrique huic effectui præſtando par ſit, ac proinde ad fructum Sacramenti percipiendum ſufficiat.

560.

Gehennæ vivaci conceptu apprehenſæ timor per ſe ſufficiens eſt imperandæ contritioni, qua pœnitens peccator deteſtetur, & ab animo ſuo excludat omnem voluntatem peccandi, ſeu deſtruat in ſe omne habituale peccatum, nullo excepto.

Pro-

Probatur 1'.) EX SS. LITERIS. Ecclcus. I. 27. docet: *timor Domini expellit peccatum:* & VII. 40. *in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Probatur 2'.) EX SS. PATRIBUS. *S. Gregorius M.* L. II. in I. Reg. I. *Tunc*, ait, *peccare deſinimus, cum ſuperna gratia molliti cordibus futura tormenta formidamus. S. Auguſtinus* L. II. de Geneſi c. 28. *Nihil ſic revocat homines a peccato; quemadmodum imminentis mortis* (ac proinde gehennæ peccatori inſtantis) *cogitatio.*

Probatur 3'.) RATIONE evidente. Malum gehennæ tantum eſt, ut non ſolum majus ſit omnibus moleſtiis & malis hujus vitæ, forſan pro devitando peccato exantlandis ſine ulla comparatione, ob magnitudinem pœnæ ignis infernalis, quo torquendos eſſe reprobos, theologice certi ſumus (Eth. chriſt univ. §. 249. ſeqq.); ſed inſuper ob æternitatem illius vel ſolam periculum illius incurrendæ formidabilius ſit omni malo præſente iſtius vitæ, ac majore emphaſi ad abſterrendum ab omni peccato polleat, ſi rite apprehendatur; quam bona præſentis vitæ quæcunque ad alliciendum animum hominis ad peccandum. Præterea vero gehenna pœna generatim certo propoſita a DEO eſt cunctis peccatis gravibus, nullo excepto. Ergo uti *gehenna* cuivis gravi peccato intentata evidenter per ſe *motivum* eſt *univerſale* & *practice ſufficiens* ad abſterrendum ab omni prorſus gravi peccato, atque idcirco etiam, ceu ex fine unico, a Deo permittitur, & actu intentatur (Eth. cit. §. 199.); ita etiam *timor gehennæ*, ex ejus vivaci apprehenſione ſerio conceptus, per ſe efficax ſatis eſt ad imperandam univerſalem deteſtationem & fugam

fugam horroremque omnis cujuscunque gravis peccati, tanquam cauſſæ gehennæ. *Et vero* omnis voluntas peccandi oritur vel ex horrore difficultatis, quæ occurrit in bono graviter præcepto exequendo, vel in omittendo malo jucundo lege divina graviter vetito. Atqui gehenna malum immenſum majus eſt omni illa difficultate boni, & jucunditate mali, quæ allicit ad peccandum. Ergo &c. &c.

* *Objiciunt* 1°.) *S. Auguſtinus* conc. 25. in Pſal. 118. ait, *timorem pœnæ*, quem *ſervilem* vocat, *non crucifigere carnem; quia*, ut inquit, *vivit in eo peccandi voluntas, & ſequeretur opus, ſi ſperaretur impunitas: mallet enim licere; & dolet, non licere, quod lex vetat.* Idem fere de timore hoc alii SS. Patres tenent, uti *S. Ambroſius* L. VII. in Lucam, *S. Gregorius M.* L. I. Moral. c. 11.

2°.) Quod fit ex metu ſolo, fit ab invito, & eſt ex parte involuntarium; ut ſi mercator ex metu naufragii jactat merces in mare. Unde retinetur ſaltem voluntas conditionata ſervandi merces ſuas, videlicet niſi urgeret periculum; item retinetur amor mercium, id eſt, peccatorum, una cum voto, quo vellet abeſſe tale periculum, & talem metum.

3°.) Timor gehennæ eliditur a ſpe & fiducia denuo agendi ſuo tempore pœnitentiam, & obtinendi veniam peccatorum: ergo non excludit firmiter voluntatem peccandi.

4°.) Qui dolet unice ob gehennam, ita eſt comparatus, ut, *ſi non eſſet gehenna, non doleret.*

5.) Ta-

Digitized by Google

5'.) Talis dolor eſt coactus ac metu exortus: eſt inhoneſtus; quia non deteſtatur peccatum ſuper omnia mala; ſed magis odit gehennam quam peccatum.

Reſp. ad 1. *S. Auguſtinus* (atque ita ceteri SS. Patres) loquitur de timore illo, qui ſiſtit in ſe ipſo, nec unquam attollit mentem ad *amorem juſtitiæ.* Sic enim habet l. cit.: *timor, quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt.* Unde reipſa id dicit de timore gehennæ inefficaci, qui concipitur ex nondum viva apprehenſione tum magnitudinis pœnæ, tum inevitabilis neceſſitatis, vel certe horribilis periculi eam incurrendi, niſi deponatur omnis voluntas peccandi, & concipiatur propoſitum efficax exercendæ omnis juſtitiæ, gravi lege præceptæ. Aſt non negat S. Doctor, nec ceteri SS. Patres, poſſe timorem gehennæ ex viva iſtius apprehenſione eo uſque creſcere, ut imperet non ſolum deteſtationem omnis peccati, ſed & propoſitum omnis juſtitiæ ad gehennam evitandam neceſſariæ amplectendæ ſi nempe peccator attente perpendat, totum hoc eſſe neceſſarium ad gehennam reipſa effugiendam, nec alio remedio ſeſe ab hac poſſe liberari.

Porro tamen, quia timor, qui eſt ſine omni amore DEI etiam initiali & imperfecto, vulgo eſt mere ſervilis, nec abſolute efficax (ſecus enim eo ipſo applicaret animum etiam ad eliciendum ſincerum DEI amorem; de quo infra §§. 561. 562.): idcirco de eo, quod communiter contingit, loquuntur Patres; cum

negant,

negant, illum eſſe efficacem ita, ut omnem excludat voluntatem peccandi etiam conditionatam.

Ad 2. Quia ad effugiendam mortem & ejus periculum mercatori ſufficit jactatio mercium & ſolus externus actus; idcirco plus imperare metus naufragii in ipſo non poteſt; nec efficere, ut etiam amorem mercium, & voluntatem conditionatam eas ſervandi, deponat. Ex adverſo a gehenna peccator liberari penitus alio medio non poteſt, quam deteſtatione omnis omnino peccati, ac proinde etiam conditionatæ voluntatis peccandi; quæ & ipſa peccatum eſt, gehennæ reatum inducens. Cum ergo iſtius mali magnitudo excedat omne malum & bonum, quod ad peccandi voluntatem quamcunque conſervandam movere poſſit; evidens eſt, poſſe timorem illius rite apprehenſi tantum eſſe, ut prævaleat omni affectui ad peccatum.

Ad 3. Mali gehennæ magnitudo & incertitudo temporis & occaſionis, quam ad pœnitendum habiturus ſit peccator, præſertim poſt plurima jam admiſſa peccata, firmare timorem contra incertam illam ſpem & nimis temerariam fiduciam abunde poſſunt.

Ad 4. *diſtinguo*; habet conditionatam illam voluntatem actu; *nego*: futurum præciſe eſſet, ut, ſi non eſſet gehenna, non doleret fortaſſis; *concedo*. His inſuperhabitis nunc vere & efficaciter dolet, & deteſtatur omne peccatum; quia ſcit, eſſe gehennam.

Ad 5. *diſtinguo*: aliquis metus gehennæ eſt *neceſſarius* (cogi enim voluntas non poteſt); qui nempe indeliberate concipitur ex ſola ejus memoria, nec id-

circo efficax eſt, *concedo*: deliberatus & efficax ille metus, de quo nobis ſermo eſt; *nego*. *Deinde* dolor ex hoc metu conceptus deteſtatur peccatum ſuper omnia mala; quorum fuga impellere ad peccandum poſſet; & hoc ſufficit, ut ſit honeſtus, & omnem voluntatem peccandi excludat. Non tenemur plus fugere gehennam quam peccatum: quia DEUS gehennam intentat, ut fugiamus omne peccatum.

** Ex modo dictis a fortiori ſequitur, id genus *timorem gehennæ æque ac contritionem ab eo imperatam* 1°.) *eſſe actus moraliter bonos, honeſtos*, 2°.) *imo ſalutares ita, ut talis præſertim efficax contritio non niſi ope gratiæ ſupernaturalis actualis elici ab homine peccatore poſſit.* Commendantur enim in *SS. literis* Matth. X. ab ipſo Chriſto: *timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*: & Luc. XIII. *Si pœnitentiam non egeritis; omnes ſimiliter peribitis.* Pſal. CXVIII. *confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.*

Suadentur *a SS. Patribus*; a S Auguſtino quidem inprimis Serm. 17. de verbis Apoſtoli: *cum dicis mihi: gehennam timeo; ardere timeo; in æternum puniri timeo: quid dicturus ſum? male times? vane times? non audeo: quandoquidem ipſe Dominus ablato timore* (hominum) *ſubjecit timorem; ubi dicit: nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.: time! nihil eſt, quod magis timere debeas.* Et in Pſal. 127. *timor ille nondum caſtus pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcerrimi ſponſi; ſed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor;*

mor; utilis eſt; ſed nondum eſt iſte caſtus. Serm. 13. de verb. Apoſt. S. Doctor docet, *ſpiritum ſervitutis* & *ſpiritum libertatis* eſſe eundem ſpiritum Sanctum: *ſi enim alius eſſet, non diceret Apoſtolus* (ad Rom. VIII.) *non iterum accepiſtis &c. Idem ergo ſpiritus, ſed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione.*

Tridentinum Concilium Seſs. XIV. c. 4. docet, *attritionem*, quæ *ex gehennæ metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem;* verum etiam *eſſe donum DEI & Spiritus Sancti impulſum; - - quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat;* eam denique ſaltem *in Sacramento ad DEI gratiam impetrandam diſponere.*

Alexander VIII. Papa a. 1690. damnavit hanc propoſitionem numero 15.: *attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus & ſupernaturalis:* & n°. 14.: *timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.*

Accedit evidens *ratio*: quia nempe eo ipſo fine DEUS pro pœna peccati decernit gehennæ malum permittere, ut homini, qui nec deſiderio cœli, nec DEI ipſius amore ſatis movetur ad peccatum ſeu vitandum, ſeu, poſtquam jam id commiſit, deteſtandum, ſaltem timor illius pœnæ ſerviat pro remedio ad idem ſerio fugiendum, ac deteſtandum: ergo timor gehennæ & ſapientiæ divinæ conſilio conformis eſt, & fini illius decreti conſequendo medium perutile. Tum vero quia talis timor ſatis efficax non niſi fide theologica ſalutari

de exiſtentia alterius vitæ & pœnis æternis gravium peccatorum, ac proinde fide vere ſupernaturali (Tract. de Gratia §. 264.), ceu unice ſufficiente fundamento, nititur; ſine quo emphaſin tam generalem ad cujusvis gravis peccati deteſtationem ſeriam imperandam obtinere non poſſet. Ergo etiam attritio, quam imperat, & actus honeſtus, & utilis, & ſupernaturalis ac ſalutaris eſt.

*** Erravit itaque *Lutherus* docens (inter propoſitiones a Leone X. Papa damnatas) peccatorem per dolorem ex metu gehennæ conceptum *fieri hypocritam & magis peccatorem*; eo quod *dolor* iſte *coactus* ſit, *per vim extortus*, & *peccata tantum externa excludat*. Erravit *Michaël Bajus*, docens omnem actum, non ex caritate profectum, malum eſſe. Erravit *Janſenius*, eundem dolorem idcirco malum eſſe aſſerens; quod conjunctum ſemper habeat affectum tacitum ad peccatum; quod ipſum adoptarunt vulgo Janſenii ſectatores; de quibus liber, cui titulus: *Specimen doctrinæ Belgicæ* P. II. c. 4.; inter quos præcipuus eſt celeber *Queſnellus* prop. 60. & 61. ex damnatis a Clemente XI. a. 1713., excerptis ex libro ejusdem pariter ab omnibus catholicis Epiſcopis Galliæ & a Romana Sede ſæpius damnato, qui inſcribitur: *Reflexiones Morales in SS. Scripturas veteris & novi teſtamenti.*

561.

Niſi tamen gehennæ timor ſimul peccatorem impelleret, ut animum ſuum convertat ad ipſum Deum ceu finem ultimum per actum amoris, quo ſimul

ſimul reſtituatur in ipſo habitualis ſeria & efficax intentio finis ultimi, ac beatitudinis ſuæ æternæ per omnia media neceſſaria conſequendæ; attritio talis, in ſola gehennæ fuga acquieſcens, non eſſet ſe ſola ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum etiam ope Sacramenti pœnitentiæ obtinendam; neque cum tali præciſe attritione peccator fundatam ſolide ſpem veniæ concipere poſſet.

Ratio manifeſta eſt, tum *ex SS. Literis;* quæ ſemper *converſionem totius cordis ad Deum* requirunt, & ut peccator *Deum quærat ex toto corde* (Deut. IV. 29.); Joël. II. 12. *convertimini ad me in toto corde veſtro*: tum ex *SS. Patribus*, & *conſenſu omnium Doctorum ſcholæ*; qui omnes, nullo excepto, requirunt ſeriam *cordis totius converſionem ad Deum* in omni peccatore rite pœnitente; quæ non poteſt conſiſtere in ſolo metu gehennæ & deteſtatione peccatorum, ab hoc metu unice imperata: *tum denique ex eo*, quod habitualis illa directa intentio finis ultimi, quæ ex natura ſua verum Dei ut finis ultimi amorem importat, non ſolum ſit lege naturali præcepta; ſed inſuper ſit *medium abſolute neceſſarium*, ut homo adultus ſit capax gratiæ Dei ſanctificantis; id eſt, illius benevolæ efficacis Dei voluntatis; qua Deus velit illum, *eo in ſtatu perſeverantem*, non ſolum juvare omnibus actualibus gratiis neceſſariis ad non peccandum deinceps, ſed etiam beare æterna ſui fruitione. Unde ſine tali cordis converſione ad Deum venia peccatorum, quæ fit per collationem gratiæ ſanctificantis, ſicuti ipſa juſtificatio (Tract. de Grat. §§. 310. 312.) neutiquam cum fundamento ſperari poteſt.

Digitized by Google

562.

Requiritur ergo & ſufficit ad veniam peccatorum ope Sacramenti pœnitentiæ acquirendam contritio imperata ſimul ab amore Dei, ſaltem imperfecto, ſecundum ſe; qui tamen ut conjunctus timori ſerio & efficaci gehennæ, expellenti jam ſuo imperio omnem affectum peccati, ejus ſaltem auxilio prædominetur omni inordinato amori, & cum efficaci propoſito reſtituat habitualem illam finis ultimi intentionem, quæ neceſſaria eſt ad Dei gratiam recuperandam.

* Dixi: requiri *amorem DEI ſaltem imperfectum, qui tamen,* ſaltem *ut conjunctus timori gehennæ, prædominetur omni inordinato amori.* Quibus verbis talem intelligo amorem DEI, qui licet virtute ejus intenſionis, quo in DEUM fertur, ſe ſolo par non eſſet deſtruendo affectui inordinato prius prædominanti; poſtquam tamen omnis ille affectus vivaci gehennæ apprehenſione & timore jam exterminatus ab animo peccatoris eſt, ceu hoſte jam omni aliunde depulſo, facile imperium ſuum ſuſtinet; licet ſine id genus timoris auxilio pro præſente ſua intenſione ſeorſum ac ſe ſolo impotens foret contra præſentes affectus peccati id ſuſtinere. Ubi rurſus nullum facio diſcrimen inter amorem concupiſcentiæ & caritatis; tum quia nec S. Scriptura uſpiam id diſcrimen facit, nec SS. Patres; tum quia amor concupiſcentiæ ſine aliquo amore caritatis, ceu primitivo ſuo principio, eſſe non poteſt.

Et vero ſic equidem experientia teſte, arbitror conſtitutam eſſe plerorumque peccatorum pœnitentiam; ſub

Digitized by Google

ſub qua communiter prudenti cum præſumtione digni judicari poſſint, & actu ſoleant, ſacramentali abſolutione. Salutari judiciorum divinorum & gehennæ imminentis terrore perculſi, ſimul atque de ſpe veniæ, ſi reſipiſcant, admoniti; terrore illo potiſſimum urgente deteſtari ſerio peccata ſua incipiunt, ipſaque ſpe veniæ invitati, deſiderium ſalutis æternæ novum concipiunt; eoque poſt affectus pravos timore gehennæ ſuffocatos jam liberius animis ipſorum imperante, proponunt illius conſequendæ cauſſa mediis ad relapſum conſequendum neceſſariis uti, confeſſione inprimis & Sacramentis Eccleſiæ. Quibus præmiſſis jam præmiſſa aſſertio

Probatur 1°) RATIONE manifeſta ut ex huc usque præmiſſis certis principiis deducta concluſione. Neque enim requiritur ad fructum Sacramenti pœnitentiæ recipiendum contritio perfecta, id eſt, per ſe jam Deo reconcilians peccatorem (558.); qualis eſt omnis illa, quæ ab amore Dei quocunque, per ſe ipſum ſolum & virtute propriæ intenſionis jam prævalente omni inordinato affectui, imperatur (556.): ſed neque ſufficit vel contritio ex amore ſolius virtutis philoſophicæ elicita (552.); quia, ceu de Deo nil cogitans, converſionem cordis ad Deum non efficit; nec intentionem finis ultimi habitualem reſtituit (554. 559. 561.): nec ſufficit contritio imperata a ſolo timore gehennæ (præc.); nec vera converſio cordis totius ad Deum ſine aliquo Dei amore concipi poteſt: ergo requiritur, & ſufficit amor Dei, ex ſe ſolo quidem imperfectus, nec ſubſtantiali gradu pollens ad expellendum omnium alium inordina-

tum & graviter peccantem amorem; ac proinde neque ſe ſolo juſtificans (557.); qui tamen omni affectu peccante jam per timorem efficacem gehennæ expulſo, ſufficiente prædominio imperet uſum omnium neceſſariorum mediorum ſalutis.

Probatur 2'.) ex claro textu TRIDENTINI CONCILII; quod cap. 4. Seſſ. XIV. de *attritione ex metu gehennæ* ſic docet: *Si voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, eſt donum Dei; - - quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

Ait Concilium, quod auxilio attritionis, a metu gehennæ imperatæ, peccator ſibi viam ad juſtitiam paret; quin tamen eo illius auxilio per ſe actu ſine Sacramento ad ipſam juſtitiam perducatur. Quo ſane dicto innuit, contritione ex metu gehennæ elicita per ſe pœnitentem ad perfectum Dei amorem non perduci, quo mox extra Sacramentum juſtitiam conſequeretur. Tum vero addit, *diſponi* tamen illum *ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam*; ubi intelligi poteſt vel *immediate*, vel *mediate* diſponere. Atqui non diſponit ſe ſolo immediate ſine poſitiva converſione cordis ad DEUM (præc.): ergo diſponit mediate, diſponendo videlicet per ſe (cognita præſertim neceſſitate aliqualis amoris divini) ad amorem Dei ſaltem ſecundum ſe imperfectum.

2'.) Conſonat prorſus huic ſenſui textus Tridentini modus, quo ejuſdem decreti tenor aliter

ter prius jam erat præformatus. Sic enim in-initio habebat; ut ex Pallavicino L. XII. c. 12. diſcimus: *attritionem illam - - ſtatuit hæc S. Synodus ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, - - quo pœnitens adjutus, cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix poſſit, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponitur.* Quibus ſane verbis clare innuebatur, mentem Patrum Tridentinorum in illa veteri hujus formulæ expreſſione fuiſſe, *attritionem illam* non immediate, ſed mediante *aliquo dilectionis in Deum motu, ſine* quo *eſſe vix poſſit, viam ad juſtitiam munire, & ad Dei gratiam* in Sacramento *facilius impetrandam diſponere.*

Verum eſt cum opponeret Joannes Æmilianus Tudetanus Epiſcopus, *falſum eſſe, quod talis attritio concipi non poſſit ſine aliquo dilectionis motu; variare autem Doctorum ſententias, an ad conſtituendum Sacramentum ſufficiat*, omiſſum eſſe utrumque hoc in nova forma decreti: at ſervatum tamen eſt illud, *diſponi* pœnitentem per eam *ad gratiam in Sacramento impetrandam*; quæ *diſpoſitio* eo ſaltem ſenſu certa habebatur; quod ad dilectionis motum aliquem viam pararet; etſi relinqueretur in medio, an actu ſemper talis dilectionis motus ex ea conſequeretur; & proinde, an ſemper talis attritio per conjunctum ſibi talem dilectionis motum *ſufficeret ad conſtituendum Sacramentum.* Et vero longe facilius & certius attritio ex metu gehennæ diſponit ad imperfectum Dei amorem, ac proinde ad gratiam in Sacramento ejus ope impetrandam; quam diſponat ad Dei amorem ſubſtantiali gradu ſe ſolo perfectum; ac proinde quam diſponat ad gratiam iſtius ope etiam ſine Sacra-

Digitized by Google

mento impetrandam. Affectu enim peccati per timorem ſemel jam præſcripto, facilius ex ipſa ſpe veniæ, ſaltem ope Sacramenti conſequendæ, naſcitur amor Dei imperfectus; quam perfectus, talisque, qui etiam ſe ſolo absque timoris gehennæ auxilio par eſſet omni voluntati peccandi excludendo.

Unde prior tenor decreti id clare evincit; certum habuiſſe Tridentinos Patres, attritionem, ſi cum aliquo dilectionis motu conjuncta ſit, ſufficere ad gratiam in Sacramento accipiendam: ab eo autem abſolute abſtrahere nova in decreti forma voluiſſe; tum an ſine omni dilectionis motu eſſe poſſit; tum an absque omni tali motu etiam in Sacramento ſufficiat.

3'.) *Confirmantur* huc usque dicta amplius ex Seſſ. VI. cap. 6; ubi idem Concilium Tridentinum inter varias diſpoſitiones, quæ requiruntur ad Baptiſmum fructuoſum hominis adulti, ponit etiam dilectionem, qua baptizandi *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant*, eandemque ſimul ſufficere innuit. Atqui *inchoata dilectio* eſt, quam ſupra deſcripſi.

Probatur 3'.) ex SS. PATRUM teſtimoniis, requirentium ſimpliciter in pœnitentibus ante ſacramentalem abſolutionem aliquem, non tamen ſtatim perfectum Dei amorem. *Tertullianus* de Pœnit. c. 3. in pœnitente exigit, *ut intelligat, quid boni ſit Deus*; & c. 4. ut *pœniteat amaſſe, quod Deus non amat.*

S. Auguſtinus Serm. 7. de Temp. (qui nunc habetur in Appendice n. 117.) *pœnitentiam*, inquit, *certam non facit, niſi odium peccati, & amor*

amor Dei. Sufficere vero una cum Sacramento Baptiſmi amorem eum, quem hic deſcripſi, clare docet L. de catechiz. rud. c. 17. his verbis: „ Qui propter beatitudinem ſempiternam „& perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam „ſanctis futura promittitur, vult fieri chriſtia„nus, ut non eat in ignem æternum cum dia„bolo; ſed in regnum æternum intret cum Chri„ſto; vere ipſe chriſtianus eſt; - - - qui etiam „proficiendo perveniet ad talem animum, ut „plus amet Dominum, quam timeat gehennam: „ut etiamſi illi dicat Deus: utere deliciis car„nalibus ſempiternis, & quantum potes pecca; „nec morieris, nec in gehennam mitteris; ſed „mecum tantummodo non eris; exhorreſcat, „& omnino non peccet; non jam, ut in illud, „quod timebat, non incidat; ſed ne illum, quem „ſic amat, offendat.

Ecce! ut initio ſufficere ad baptiſmum cum fructu recipiendum docet S. Doctor, ſi modo amor beatitudinis una cum timore gehennæ, ceu duo affectus imperantes ſimultanei, conjuncta vi determinent generale odium peccati. Similia fere habet *S. Gregorius M.* in L. I. Regum c. 15. loquens de neceſſariis in veraciter pœnitente ad fructum Sacramenti pœnitentiæ, nempe *converſione mentis*, *confeſſione oris*, *& vindicta peccati*, ac pro certo ſtatuens, *ſine converſione cordis* non prodeſſe oris converſionem, idem probat ex S. Scriptura dicente: *corde creditur ad juſtitiam; ore autem fit confeſſio ad ſalutem;* quæritve porro: *quid eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem.* Tum vero concludit: *cum ergo quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſionis.*

Acce-

Accedit 4'.) Cleri Gallicani *declaratio* facta in *Comitiis generalibus* a. 1700. circa diſpoſitiones neceſſarias ad Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta. „ Neque ſatis, ait, adimpleri „poteſt utrique Sacramento neceſſarium vitæ no„væ inchoandæ, ac ſervandi mandata divina „propoſitum; ſi pœnitens primi ac maximi man„dati, quo DEUS toto corde diligitur, nullam „curam gerat, nec ſit ſaltem animo ita præ„parato, ut ad illud exequendum, divina opi„tulante gratia, sese excitet, ac provocet. „Placet etiam, caveri a Sacramenti Pœnitentiæ „adminiſtris, ne pœnitentes ipſorum fidei ani„mam ſuam committentes admonere ceſſent, ut „in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis „DEI ineant viam, quæ ſola ſecura ſit; gra„viter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel „eo ſolo, quod certis incerta præponant. Enimvero hæc penitiſſime cum iis, quæ in duabus ultimis propoſitionibus conſtituta a me ſunt, conſentiunt.

* *Objici* poteſt 1'.) *Scriptura ſacra* & omnes *SS. Patres* converſionem peccatoris ad DEUM *ex toto corde* requirunt: atqui amor DEI ſolum initialis deſcriptus non eſt talis converſio ex toto corde: neque enim ſufficeret ſe ſolo ac ſine timore gehennæ ad deſtruendum omnem affectum peccati.

2'.) Apoſtolus I. Cor. XIII. 1. docet, *ſiquis caritatem non habeat*, - - eum *nihil eſſe*. Et idem docet *S. Auguſtinus* L. II. contra Creſcon. c. 12. ſcribens: caritas *una ſi adſit*, *omnia* media, quæ ad mundanda peccata adhiberi poſſunt, *recte fiunt ſi autem deſit*, *omnia illa fruſtra fiunt*. Atqui amor tam parum per ſe efficax,

efficax, & ut plurimum ex amore concupiſcentiæ elicitus, *caritas* dici non poteſt: ergo ille ſolus etiam cum Sacramento non ſufficit ad mundandum cor a peccatis.

3°.) Saltem ſi amor ille tantum ſit concupiſcentiæ, non ſufficit; quia tantum ad *ſpem* pertinet: *Tridentinum* enim Seſſ. VI. c. 6. præter fidem & ſpem adhuc ceu diſtinctum actum amoris DEI exigit, quo *DEUS ut omnis juſtitiæ fons diligi incipit.*

Reſpondeo ad 1.) Affectu quoque prædominante peccati ſaltem ope timoris gehennæ una imperantis ac prædominantis expulſo etiam per initialem amorem DEI cor totum ut creaturis averſum, ſic ad DEUM converſum erit, amabitque DEUM ſuper omnia eo ipſo, quod nihil jam amet ſupra aut contra DEUM.

Ad 2. Eo ipſo autem *caritatem* veram habet; quia nec amor concupiſcentiæ qualiscunque ſine amore complacentiæ de DEO haberi poteſt (§. 556. not. 5. n. 1.).

Ad 3. Tridentinum præter *ſpem veniæ* amorem exigit: atqui *ſpes veniæ* non eſt niſi certa expectatio remiſſionis pœnæ peccati; *amor* autem eſt deſiderium fruendi DEO ceu ſummo bono: ergo evidenter differunt.

** Celebre in hoc argumento eſt Decretum *Alexandri* VII. Papæ anno 1667. die 5. Maji; in quo ſic habetur: *SS. D. N. Alexander Papa VII, cum acceperit non ſine gravi animi mœrore, ſcholaſticos quosdam acrius, nec absque fidelium ſcandalo inter ſe contendere; an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ,* *exclu-*

excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat inſuper aliquem actum dilectionis DEI; aſſerentibus quibusdam; negantibus aliis &c. . . . Prohibet exinde Pontifex, *nequis audeat alicujus theologicæ cenſuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam, ſive negantem aliqualis dilectionis DEI neceſſitatem in præfata attritione ex metu gehennæ concepta; quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur; ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

Cum nimirum a tempore Tridentini ob ejus Decretum Seſſ. XIV. cap. 4. ſupra in probat. 2. allegatum paſſim invaluiſſet opinio de ſufficiente in Sacramento attritione ex ſolo metu gehennæ; edita a Pallavicino Hiſtoria Tridentini, in qua controverſia a Tudetano Epiſcopo mota, & prioris Decreti mutatio refertur, Theologi Belgæ inprimis cœpere revocare veterem Adriani ſententiam, & defenſores attritionis omni actu divini amoris vacuæ acrius impetere & incuſare.

Interim Pallavicinus ipſe non aliam ab ea ſententiam docuit, quam ſupra tradidimus; amore DEI initiali contentus, qui ſaltem una cum timore gehennæ par eſſet excludendo omni vitioſo amori. Ab eo tempore longe communior fuit adverſa ſententia, amorem DEI ſaltem aliqualem requirentis; licet major Doctorum pars amorem ſaltem caritatis haud requirendum putaret. Patebit autem conſideranti, media quaſi via inter ceteras ſententiam a me traditam incedere.

*** Ceterum illud doctrinæ huc uſque traditæ de neceſſitate doloris in Sacramento pœnitentiæ adhuc adden-

addendum eſt; *in caſu, quo quis levium ſolum peccatorum ream conſcientiam gerit*, ad veniam eorum in hoc Sacramento impetrandam dolore aliquo item ex amore DEI, vel ſaltem honeſtatis theologicæ opus eſſe (552.); vel puro, vel mixto ex metu, non gehennæ (quæ talibus peccatis in pœnam ſtatuta non eſt) ſed temporalis pœnæ, in hac, vel altera vita, a DEO infligendæ.

Porro ad veniam omnium talium peccatorum levium obtinendum eſſe id genus dolore: ad omnia peccata illa actu commiſſa ſe extendente: quia ſine deſtructione habitualis peccati remiſſio illius locum non habet, ceu præjudicio potius bono ſalutis, quam utilitati futura. Nihilominus, ſicut unum leve peccatum remiſſioni alterius non obſtat; ita ſufficere poteſt ad remiſſionem unius dolor, quo id quidem ſincere retractetur; etſi is ſe virtute ſua non extendat ad reliqua leviora peccata ſimul cum illo admiſſa pariter retractanda.

**** Denique cum ſacri judicis in hoc pœnitentiæ tribunali officium ſit de dignitate pœnitentis & capacitate ad recipiendam abſolutionis ac Sacramenti gratiam prudenter prius judicare; quam eam actu eidem impertiatur: per ſe clarum eſt, oportere pœnitentem iſtiusmodi ſinceri doloris ac propoſiti ſigna etiam externa ſacro judici in ipſa confeſſione peccatorum præbere.

563.

Etſi ob raritatem pœnitentiæ plane perfectæ in peccatoribus ad ſacri judicis officia pertineat impo-

Digitized by Google

imponere confeſſis ſua peccata pœnam paternam; eamque *tum vindictæ* & correctionis *cauſſa*, ut videlicet per eam abſterreantur a relapſu; *tum etiam* quæ *medicinæ* præſervatricis indolem, ſeu idonei remedii, adverſus eundem relapſum habeat; de quo plura docere Theologi practici, ſeu moralis, proprium officium eſt: tamen *executio actualis praevia iſtiusmodi pœnæ nullo pacto requiſitum, vel conditio a priori neceſſaria eſt ad hoc, ut ſimpliciter ſincere pœnitentialibus ac confeſſis abſolutio a peccatis impertiatur.*

Probatur 1°.) RATIONE manifeſta. Nam fundamentum id genus pœnæ paternæ imponendæ unicum eſt præſumtio de defectu plenæ perfectionis pœnitentiæ in peccatore peccata ſua confitente, & non amotum idcirco omne periculum relapſus; ex quo neceſſitas alterius remedii abſterrentis, & præſervantis a relapſu, unice enaſcitur: ſiquidem, ubi perfecta pœnitentia eſt, vindictæ, paternæ, & judicialis, finis omnis continuo ceſſat (Eth. Univ. Chriſt. §§. 256. 264. 268.). Atqui pœnitentiæ imperfectæ effectus alius non eſt per ſe, niſi reliquiæ quædam habitus vitioſi, non penitus virtute intenſionis doloris deſtructæ; ita tamen, ut ſaltem omne illius prædominium a mente prorſus excluſum, ac ordo divini amoris rite jam ſit reſtitutus.

Jam vero cum effectus Sacramenti abſolutionis in ſola divinæ gratiæ ſanctificantis reſtitutione per ſe conſiſtat; quæ non niſi æternæ pœnæ remiſſionem abſoluta neceſſitate importat, atque benevolentiæ DEI efficacis affectum erga hominem ejus receptione denuo juſtificatum: evidens eſt, uti non obſtant ſolæ reliquiæ habitua-

bitualis peccati, prædominio jam exuti, ita neque reatum quemdam temporalis pœnæ porro, ſeu in hac, ſeu in altera vita DEO exſolvendæ, tali effectui ſacramentalis abſolutionis poſſe obſtare. Verbo: pœnitentiæ imperfectio non impedit æternæ pœnæ, ſed ſolum omnis etiam temporalis pœnæ remiſſionem: ergo remiſſio pœnæ æternæ fieri reſtitutione gratiæ divinæ poteſt; etſi nec remiſſa, nec jam prævie ſoluta ſit pœna temporalis.

Probatur 2'.) EX PRAXI ECCLESIÆ univerſalis. Nam 1'.) extra caſum pœnitentiæ publicæ nuſpiam legere eſt, retentam fuiſſe pœnitentibus peccata ſua confeſſis abſolutionem ſacramentalem, uſque dum prius injunctas a ſacris judicibus pœnas exſolviſſent; imo nec id genus doctrinam a quoquam SS. Patrum traditam legimus de neceſſitate generali præviæ exſolutionis iſtiusmodi ante abſolutionem ſacramentalem.

2'.) In iis vero delictis, propter quæ rei lege Eccleſiæ ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ, acrius quidem *S. Cyprianus* & non nulli alii *SS. Patres* urgebant, ut ne abſolutio daretur, niſi ea pœnitentia publica rite ſecundum legem Eccleſiæ defunctis. At vero urgebant iſtud non tam ex eo, quod id neceſſarium putarent ad valorem abſolutionis ſacramentalis, vel etiam ad licentiam ſolum; ſed quia una ex parte ipſa dilatio abſolutionis partem ſaluberrimæ vindictæ & paternæ correctionis conſtitueret; altera vero ex parte detrectatio talis pœnitentiæ publicæ, lege Eccleſiæ ſaluberrima ſapienter pro id genus criminibus publicis conſtitutæ, in reis remiſſionis beneficium ab Eccle-

ſia petentibus indicium erat parum ſinceræ pœnitentiæ, atque animi vel magnitudinem culpæ non ſatis penſantis, vel de ea non ſatis dolentis.

3'.) Nihilominus etiam publicæ pœnitentiæ ſubjectis abſolutio ante eam expletam dabatur in ſequentibus caſibus: *primo* ſi ante pœnitentiæ tempus expletum pœnitens in vitæ diſcrimen veniſſet; ut patet ex Concilii Nicæni I. can. 13. & Carthaginenſis IV. can. 76. & Arauſicani I. can. 3. &c.: *ſecundo* ſi periculum erat, ne pœnitens propter dilatam abſolutionem ad hæreticos vel ſchiſmaticos deficeret; ut teſtatur *S. Cyprianus* Epiſt. 52.: *tertio* ſi affulgebat ſpes, tali indulgentia plures ad Eccleſiam alliciendos ex hæreticis, vel ſchiſma fore extinguendum; uti videre eſt in Epiſtola *S. Cornelii* Papæ ad S. Cyprianum.

4'.) Inde jam a duodecim ſeculis tota in Eccleſia græca, & a ſex minimum ſeculis in latina Eccleſia, poſt abolitam pœnitentiam publicam, generalis conſuetudo viget pœnitentes ſtatim poſt confeſſionem abſolvere.

Unde 5'.) *Sixtus IV.* Papa a. 1478. damnavit hanc propoſitionem Petri de Oſma: *pœnitentes non ſunt abſolvendi niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta. Alexander VIII.* an. 1690. damnavit ſequentes inter 31. propoſitiones n. 16. *ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante:* 17am *per illam praxin mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus:* 18vam *conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti*

menti pœnitentiæ, etſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Eccleſia non habetu pro uſu, ſed abuſu. His conſonat propoſitio 87ma inter Queſnellianas a Clemente XI. a. 1713. in Bulla *Unigenitus* damnatas; quæ damnationes omnes communi Epiſcoporum catholicorum totius Europæ aſſenſu publico confirmatæ ſunt.

* *Neque dicas* 1'.) *S. Cyprianum* epiſt. 52., alios-ve Patres docere, contra legem divinam peccari, ſi lapſi ante expletam pœnitentiam ad abſolutionem admitterentur: 2'.) ipſam naturam judicii requirere, ut reus prius ſatisfaciat, quam abſolvatur: 3'.) quod vera ſit pœnitentia, aliter cognoſci ſatis non poſſe, niſi ex fructibus pœnitentiæ & fervore ſatisfactionis.

Reſp. ad 1. SS. Patres revera non niſi id peccatum eſſe contra legem divinam dicunt, ſi omnino congruæ ſatisfactiones non imponantur, ſed ſtatim abſolutio detur nullis congruis pœnis impoſitis; non item, ſi iis congrue impoſitis, & a pœnitente lubenter acceptis, ante actualem exſolutionem abſolutio daretur. Revera enim, contra quos Cyprianus & alii queruntur, tales erat, qui diſpenſari penitus a pœnitentiis publicis volebant.

Ad 2. nego, id vel de profanis judiciis vulgo verum eſſe. Quoties enim reis a pœna mortis condonatur, & tamen poſt alia mitior adhuc imponitur? Atqui non aliud in Sacramento contingit; ſed remittitur æterna mortis pœna, & vitæ gratia fit, ſed additur pœna temporanea porro exſolvenda.

Ad 3. nego pariter: nam demiſſio animi in ſuſcipienda obligatione talis pœnæ utut gravioris pro quan-

Digitized by Google

titate culpæ, ipſaque humilitas confeſſionis, ſufficientia indicia ſunt ad impertiendam prudenter remiſſionem. Nec vero ad hoc ſumma certitudo requiritur de ſinceritate pœnitentiæ; cum in Sacramentis univerſe prima ratio ſalutis humanæ a Chriſto habita ſit; ſecundaria vero ſolummodo reverentiæ eisdem ab eorum adminiſtris in prudente diſpenſatione eorundem debitæ. Tum vero ſi defectu ſinceritatis fructum ſacramenti pœnitens fruſtretur; non exinde contra reverentiam Sacramento debitam miniſter Chriſti, bona fide id adminiſtrans, peccat; ſed ipſe pœnitens, qui eodem abutitur mala fide.

564.

Poſſunt vero pœnæ, in foro DEI poſt culpas imperfecta ſaltem pœnitentia expiatas reſiduæ, pœnis quibuscunque, ſeu quas ipſe pœnitens eo fine ultro ſibi infligit, ſeu quas ſacer judex imponit, ſeu quas Deus paternæ puniens immittit, pio & pœnitente animo toleratis, exſolvi & expiari ita, ut porro reatus pœnæ pro vita altera futura ſuperſtes non relinquatur.

Dogma catholicum *probatur* 1°.) ex SS. LITERIS, & variis, quæ in his occurrunt, exemplis de facta actu remiſſione pœnarum. Jonæ III. 10. de Ninivitis pœnitentiam agentibus dicitur: *vidit Deus opera eorum; quia converſi ſunt de via ſua mala; & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* II. Paral. VII. 13. dicit Dominus: *ſi clauſero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero locuſtæ, ut devoret terram, & miſero peſtilentiam a viis ſuis peſſimis; & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

Digitized by Google

eorum. Daniel. IV. 24. Daniel Nabuchodonoſori regi, cui pœnam ſuperbiæ ſuæ a Deo prædixerat, ita ſuadet: *Rex! conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Ecclci III. 33. univerſe dicitur: *Sicut aqua extinguit ignem; ita eleemoſyna peccatum.*

* *Neque dicas* ad hæc: 1'.) an Ninivitæ egerint pœnitentiam ſufficientem, ut remitteretur eis culpa & pœna æterna, incertum eſt; ac præterea pœna everſionis illis intentata non erat paterna, ſed judicialis, & præciſe ad aliorum exemplum decreta; ſi pœnitentia ſaltem externa ſcandalum publicum flagitiorum ſuorum non corrigerent: ergo exemplum hoc non eſt ad rem. 2'.) Idem eſt de pœnitentia populi judaici. 3'.) Nabuchodonoſor item veriſimilius non erat in ſtatu gratiæ, nec a reatu pœnæ æternæ immunis. Ergo ſenſus ſolum eſt, quod largitio eleemoſynæ impetratura ſit peccatori gratiam pœnitentiæ agendæ, non autem, quod ſit expiatura pœnam a remiſſa culpa reſiduam, ac temporalem.

Reſp. omiſſis omnibus ſic concludo: ſi etiam peccator ſine ſeria pœnitentia etiam imperfecta, & manente adhuc reatu culpæ & pœnæ æternæ, per actus pœnitentiæ ſolum externæ impetrare a DEO infinite miſericorde poteſt aut remiſſionem pœnæ publicæ judicialis, aut gratiam ipſius pœnitentiæ internæ ſeriæ & efficacis: cur idem jam pœnitentia ſeria interna ſaltem imperfecta juſtificatus, & factus DEI amicus, ulteriore exercitio pœnitentiæ, ſeu per opera pœnitentiæ ultro ſuſcepta ex odio ſui peccati, ſeu per injuncta ſibi a ſacro judice, vel tolerando cum animo pœnitente

Digitized by Google

pœnas paternas ab ipſo DEO inflictas, non poſſit ab eodem DEO infinite miſericorde, id eſt, promto ad liberandum a malis pœnæ reſiduis, aut impetrare remiſſionem pœnæ promeritæ adhuc reſiduæ, aut omnino promeritam plenam exſolvere; tum quod pœna temporalis reſidua utique infinita non ſit, ac proinde patiendo exſolvi per ſe poſſit, ex toto, vel ſaltem ex parte; tum vero maxime quod tolerantia ejusmodi cum pœnitente animo conjuncta per ſe ſerviat ad plene extinguendas reliquias mali habitus ex actu male præterito reſiduas; quo facta ceſſat titulus pœnæ porro infligendæ.

** Ex eo non ſequitur, perfecta licet pœnitentia acta poſſe a pœnitente devitari omnia mala, ad quæ permittenda DEUS licet infinite miſericors movetur ob peccata ſemel ab eo admiſſa. Quodſi enim ex peccatis ſcandalum ortum eſt; juſtitia ſæpe exigit, ut ea ſaltem in ſpeciem publice puniat ad ſcandali vim enervandam; etſi ob jam actam a peccatore perfectam pœnitentiam nihil ſit porro, quod DEUM infinite miſericordem moveat ad pœnam proprie talem a tam perfecte pœnitente, ratione ipſius ſolius habita, porro exigendam.

Tum vero mala, quæ premunt id genus peccatorem perfecte pœnitentem, etſi ſpeciem pœnæ habeant in oculis hominum, eoque ipſo pœnæ exemplaris ad alios abſterrendos idoneæ vices impleant; tamen in oculis DEI infinite miſericordis ac juſti non rationem pœnæ porro habent, ſed potius periclitamentum & occaſio magnanimæ virtutis & invictæ fidei ſunt erga DEUM.

At-

Digitized by Google

Atque ita judicandum equidem omnino exiſtimo ex. gr. de pœnis Davidis, nempe de morte prolis ex adulterio natæ, de perſecutione paſſa a filio Abſolone; de pœna Moſis terra promiſſa excluſi: cujusmodi mala phyſica, aliunde ſeu per leges naturæ, ſeu abuſu alienæ libertatis præciſa, DEUS non impedit; ſed perfectæ pœnitentibus ſerviant in occaſionem heroicæ virtutis; aliis autem, qui de pœnitentiæ actæ perfectione notitiam habere non poſſunt, & tamen ex peccato admiſſio ſcandalum paſſi ſunt, in juſtitiæ divinæ exemplum.

Probatur 2°.) ex SS. PATRIBUS; quorum conſenſum hac in re ex commendatione pœnitentiæ publice, tam ſæpe ab illis, & tam graphice repetita, vel ipſi, qui huic dogmati maxime adverſabantur, Lutherus & Calvinus, ultro confitebantur; quo ipſo nomine citatione textuum tuto ſuperſedemus. Unum audiamus *S. Ambroſium* L. VII. in Lucam n. 156. *ſicut*, inquit, *qui pecunias ſolvunt, debitum reddunt; - - ſic compenſatione caritatis actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacunque, peccati pœna diſſolvitur.*

Probatur 3°.) ex TRIDENTINO CONCILIO Seſſ. XIV. can. 3. ita ſtatuentis: *Siquis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe novam vitam; anathema ſit.*

*** Dixi vero hæc de pœnis quibuscunque *pœnitente animo* ſuſceptis & exantlatis; id eſt, ex odio admiſſi peccati; ita, ut eo ipſo per concomitantes id genus actus deteſtationis peccati ſimul cum pœnarum illarum ſuſceptione, vel exantlatione, extirpentur reliquiæ pravorum habituum; atque ita demum perfectio pœnitentiæ ſucceſſu temporis per actuum, ſi non intenſionem, ſaltem frequentiam attingatur.

565.

Mali ac moleſtiæ cujuscunque libera ſuſceptio ſub ratione pœnæ voluntariæ & ex odio peccati vel ejusdem patientia cum ſubjectione voluntaria erga divinam juſtitiam, id in pœnam peccati dirigentem, quatenus vim habet expiandi & exſolvendi pœnas temporales ex peccatis imperfecta pœnitentia deletis reſiduas (præc.), *ſatisfactio pro pecatis propriis* appellatur. Hæc, cum ob libertatem & honeſtatem theologicam veri meriti rationem habeat, perinde uti meritum dividitur in *ſatisfactionem de congruo*, & *de condigno*. *Prior* illa eſt, quæ proportionem ſufficientem non habet cum pœnis reſiduis, ut ſine gratuita aliqua remiſſione ſaltem alicujus partis illarum eisdem plene expiandis ſe ſola ſufficiat; *poſterior*, ſi ad id ſine tali gratuita remiſſione ſufficiat vi ſolius proportionis magnitudinis ac meriti ſui ad magnitudinem pœnæ adhuc reſiduæ.

566.

I. *Dogma itaque catholicum eſt, poſſe juſtos ſimpliciter DEO ſatisfacere pro pœnis, quæ ex peccatis imperfecta pœnitentia quoad pœnæ æternæ reatum*

reatum jam deletis reſiduæ ſunt (hic & §§. præc.), *vel de condigno, vel ſaltem de congruo.*

II. *Etiam de condigno juſti ſatisfacere poſſunt pro peccatis prædictis.* Poteſt enim pœna ab homine juſto & jam DEI amico voluntarie ſuſcepta, vel acceptata, ratione magnitudinis & durationis ſuæ, præſertim accedente merito pœnitentis animi ac ferventioris caritatis erga DEUM, qua ſuſcipitur, vel acceptatur, habere ſi non præciſe æqualitatem in ratione pœnæ cum pœnis adhuc promeritis, certe tamen proportionem ſufficientem dignitatis in ratione meriti relate ad hoc, ut pœnæ reſiduæ remiſſio eidem decenter a DEO etiam juſto negari non poſſit; cum & perſonæ dignitas, & operis bonitas theologica, & ejusdem moleſtia ac difficultas in rationem meriti id genus influant.

Adde: id genus ſatisfactione deleri poſſe omnes reliquias pravi habitus peccati, quibus pœnitentiæ perfectione ſemel plene deletis ceſſat omnis ratio divinæ juſtitiæ vindicis. *Accedit propoſitio Bajana* inter damnatas n'. 77.: *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam.* Unde S. Joannes Baptiſta Matth. III. 7. hortatur Phariſæos & Sadducæos ad ſe Baptiſmi cauſſa venientes: *facite fructus* DIGNOS *pœnitentiæ.*

* Objectiones Lutheri & Calvini jam ſolvi in Eth. Chriſt. Univ. §§. 265. 271.

** Ceterum patet, id genus ſatisfactiones in peccatore durante ſtatu peccati vim veræ ſatisfactionis, ob nondum deſtructum dominium peccati, ac ob cul-

pæ æternæque pœnæ reatum necdum extinctum, habere non poſſe. Nihilominus cum patientia toleratæ pœnæ quæcunque divinæ etiam a peccatore, ex infirmitate carnis nondum ſatis potente ad vincendum peccatum conſuetudine jam inveteratum, ſicuti & alia illius bona opera quæcunque, vim ſaltem meriti utcunque congrui habent coram throno infinitæ DEI miſericordiæ ad impetrandas actuales gratias; per quas facilius ad veram pœnitentiam diſponatur.

*** Alia bona opera hominis juſti, etſi difficultate non careant, ſi tamen pœnæ rationem ex affectu pœnitentiæ, ea vel imperante, vel patienter ſuſcipiente, non habeant, meritum gloriæ æternæ quidem per ſe habent, ſed non ſatisfactionis pro peccatis, niſi *indirecte*; quatenus ſcilicet DEI amor, ea imperans, ſimul indirecte deſtruit ſaltem ex parte reliquias affectus cujuslibet vitioſi, atque ita fundamentum omnis reatus pœnæ extinguit.

567.

Applicatio immediata meritorum paſſionis Chriſti, aut ſanctorum, in ordine ad remiſſionem pœnæ temporalis de peccatis reſiduæ (528. n'. 8.) idiomate Eccleſiaſtico *Indulgentia* appellatur. Alia porro *indulgentia* eſſe poteſt *in foro externo Eccleſiæ* quoad pœnas in hac vita a præpoſitis Eccleſiæ ob externa peccata impoſitas, & hæc *indulgentia mere Eccleſiaſtica* recte appellatur; quia & pœna, quæ remittitur, & remiſſio ipſa ab Eccleſiæ præpoſitorum ſententia præciſe ſtatuta eſt: alia eſt *indulgentia in foro DEI*, qua nimirum pœnæ ab ipſo DEO pro peccatis in vita futura ſtatutæ vere remittuntur (Eth. univ. Chriſt. §. 726.).

§. 568.

568.

I. *Itaque indulgentia, quæ ſit in foro Eccleſiæ, per ſe loquendo ſeparari poteſt ab indulgentia in foro DEI* (nempe ſpectato ſolo conceptu utriusque): *ſicuti viciſſim indulgentia conceſſa unde in foro DEI non liberat a pæna in foro humano, ſive ſacro & Eccleſiaſtico, ſive profano & politico.*

II. *Omnis indulgentia in foro DEI ſupponit culpæ præviam remiſſionem ſaltem ſimpliciter talem ope pœnitentiæ ſaltem imperfectæ.* (Eth. Univ. Chriſt. §. 263. ſeqq.).

III. *Indulgentia in foro DEI ab aliquo legitimo Chriſti miniſtro conceſſa eſt veluti complementum quoddam exercitii poteſtatis ſacramentalis remittendi rite pœnitentibus peccata, nempe etiam quoad pœnam temporalem, a culpa jam ſimpliciter remiſſa adhuc reſiduam* (Eth. Univ. Chriſt. §. 265.).

IV. *Unde indulgentia ſpecies remiſſionis peccati diverſa eſt ab omni alia; tum quæ ſit ex ſatisfactione per opera propria perſonalia pœnitentis* (565.); *tum quæ ſit ſacrificio Miſſæ*, ceu novo opere moraliter Chriſto proprio; *tum quæ ſit ſacramento pœnitentiæ*, quo ſemper ſimul culpa remittitur.

569.

Exiſtit in Eccleſia Chriſti poteſtas concedendi indulgentiam in foro DEI.

Dogma

Dogma fidei proximum *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS. Chriſtus enim poteſtatem ſolvendi nullo pacto limitatam promiſit Petro Matth. XVI. *quæcunque ſolveris* &c., & ceteris quoque Apoſtolis omnibus Matth. XVIII. *quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*; idemqne Joan. XX. 21. generaliſſimam eisdem omnibus poteſtatem dedit dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: - - - quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Enimvero vox *remitto* per ſe plenam remiſſionem culpæ & pœnæ exprimit; & Chriſtus mittit Apoſtolos ad remittenda peccata; ſicut ipſe erat miſſus a Patre, utique ad plene remittenda; modo non obſtaret impedimentum plenæ remiſſionis ex parte peccantium, vel ex parte boni & ſalutis publicæ Eccleſiæ. Atqui culpa ſemel ſimpliciter per pœnitentiam etiam ſolum imperfectam ac Sacramentum abſolutionis expiata, nullum obſtare poteſt tale impedimentum; quo minus ex cauſſis ſpecialibus, raro, & cum debita moderatione, ab Apoſtolorum ſucceſſoribus ac præpoſitis Eccleſiæ poſſit prudenter fieri remiſſio pœnæ a peccatis nondum perfecta pœnitentia deletis reſiduæ. Ergo &c. &c.

Et vero dando *claves regni cælorum* Petro: Chriſtus profecto poteſtatem dedit removendi a fidelibus omnia impedimenta vitæ beatæ, quæcunque alterius ope, & inprimis per ipſum Chriſtum, a peccatore removeri poſſunt. Atqui tale impedimentum eſt pœna illa temporalis reſidua; quam gratis & etiam ſine perfecta pœnitentia ſaltem aliquando diſpenſatione quadam a DEO meritorum paſſionis Chriſti intuitu remitti

mitti poſſe, jam in Tract. V. de Incarn. §. 403. not. 4. probavi.

Probatur 2°.) *ex uſu iſtius poteſtatis ab Eccleſia* certiſſime facto ſaltem inde a *Seculo XI.* Nam *Alexander II.* a. 1005. in dedicatione Eccleſiæ Caſſinenſis, *Gregorius VII.* a. 1073. Licolnienſi Epiſcopo, *Urbanus II.* a. 1095. in Claromontano Concilio capeſſentibus arma contra infideles indulgentiam conceſſit. *Seculo XII. Honorius III.* a. 1223. S. Franciſco pro Eccleſia Portiunculæ indulgentiam plenariam conceſſit: ex quo tempore amplius invaluiſſe indulgentiarum conceſſiones, notiſſimum eſt.

Probatur 3°.) ex Conciliis generalibus. *Concilium Lateranenſe IV.* a. 1215. cap. *cum ex eo:* extra: de pœnit. & remiſs. reſtringit quidem immoderationem Epiſcoporum in concedendis indulgentiis, ſimul tamen illis concedit, ut concedant in dedicatione Eccleſiæ alicujus centum, & pro die anniverſario ejusdem quadraginta dierum indulgentiam. In *Conſtantienſi Concilio* a. 1414. celebrato Martinus V. Papa conſtitutione edita ſuſpectos de Wicleffi hæreſi præter alia interrogari jubet, utrum credant, *quod Papa & Epiſcopi ſinguli ſuis ſubditis ſecundum limitationem SS. Canonum ex cauſſa pia* poſſint concedere indulgentias in remiſſionem *peccatorum.*

Tridentinum denique Seſs. XXV. in Decreto de Indulgentiis ita ſtatuit: *cum poteſtas conferrendi indulgentias Eccleſiæ a Chriſto conceſſa ſit, atque hujusmodi poteſtate ſibi divinitus tradita antiquiſſimis temporibus illa uſa fuerit: SS. Synodus Indulgentiarum uſum populo Chriſtiano maxime*

Digitized by Google

xime ſalutarem, & SS. Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia eſſe poteſtatem negant.

Probatur 4°.) ex PONTIFICUM ROMANORUM DECRETIS. *Sixtus IV.* inter propoſitiones Petri Oxomenſis, quas *ut erroneas, a fidei veritate alienas, ac manifeſtam hæreſin continentes confixit*, etiam hanc damnavit: *Romanus Pontifex purgatorii pœnam remittere non poteſt.*

Leo X. vero inter articulos Lutheri, damnatos *tanquam hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, aut veritati catholicæ obviantes*, repoſuit & iſtam: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam.*

* Dixi, *dogma fidei proximum*: cujus ratio eſt; quia nec Tridentinum indulgentias *in foro DEI* exprimit, nec Pontifices *Sixtus IV.* & *Leo X.* determinata hæreſis cenſura, ſed ſolum disjunctiva, propoſitiones contrarias configunt; & nihilominus certum ex ipſo publico uſu indulgentiarum eſt, de indulgentiis in foro DEI ſermonem Conciliis & Pontificibus fuiſſe. Interim cum ipſo pæne Tridentini tempore Cajetanus Cardinalis, a Romano Pontifice in cauſſa Lutheri in Germaniam miſſus, docuerit, Eccleſiæ mentem in largiendis indulgentiis uſque ad id tempus tantum fuiſſe remittere pœnitentias a miniſtris Eccleſiæ impoſitas: cum item graves Theologi cum Suario de Pœnit. Sect. II. Diſp. 49. incertum eſſe fateantur uſum talium indulgentiarum

tiarum in primis Eccleſiæ ſeculis, quæ præter pœnas Eccleſiæ etiam in foro DEI reſiduas remitterent; Tridentinum vero conceptis verbis aſſerat, ſe de indulgentiis loqui, quarum largiendarum poteſtate Eccleſia *antiquiſſimis temporibus uſa fuerit*: idcirco non audent vulgo Theologi ad *dogma* ſimpliciter *catholicum* actu referre aſſertionem *indulgentiarum in foro DEI*; etſi pro certo habeant, id pro tali definiri aliquando poſſe ab Eccleſia.

** Et vero equidem veriſſimum puto, quod Suarius l. cit. Diſp. 49. ſect. II. n. 10. & 11. relata illa Cajetani ſententia pronuntiat, videlicet *licet* illa Cajetani ſententia *falſa ſit de præſente ſtatu Eccleſiæ; tamen nullo ſufficiente fundamento affirmari poſſe; illam remiſſionem, quæ olim fiebat a Prælatis Eccleſiæ fuiſſe ejusdem rationis cum illo uſu Indulgentiarum, quem nunc inquirimus; aut proceſſiſſe ex poteſtate liberaliter remittendi pœnas debitas apud DEUM, ſed tantum debitas Eccleſiæ: - - - non quod poſitive nobis conſtet, tunc non fuiſſe eundem modum & uſum indulgentiarum, qui nunc eſt; ſed tantum negative; quod ex his, quæ de illis temporibus legimus, non ſatis convincitur hic uſus. Solum ergo poteſt aliqua conjectura fieri ex illo antiquo uſu.* Quod ut pateat, afferam, quæ vulgo allegari ſolent, facta primæ Eccleſiæ ad evincendum illius uſum ſimilium indulgentiarum.

1.) S. Paulus II. Cor. II. 6. & ſeqq. inceſtuoſo Corinthio, quem I. Cor. V. ob fornicationem cum noverca tradiderat Satanæ ad interitum carnis, atque ab Eccleſiæ communione abſciderat, acta ab ipſo publica pœni-

pœnitentia ignoſcendum a Corinthiis eſſe ſcribit, ſicut & ipſe actu eidem ulteriorem pœnam proſcriptionis indulgeret. *Sufficit illi*, inquit, *qui hujusmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini; ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum caritatem. - - - Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſiquid donavi, propter vos in perſona Chriſti; ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

Quo in facto Apoſtoli ſpeciem indulgentiæ pœnarum a culpis non plene expiatis reſiduarum interveniſſe probant ex S. Chryſoſtomi commentario hom. 4. in Ep. ad Cor. ſcribentis: *quamvis peccatum confeſſus fuerit* (inceſtuoſus) *ipſiusque pœnituerit; oſtendit tamen, eum non tam pœnitentiæ opera, quam gratia & beneficio veniam conſequi. - - - Non enim, quod id promereatur, nec quod eam, quam par ſit, pœnitentiam præſtiterit; ſed quod infirmus eſt; - - ne forte abundantiore triſtitia abſorbeatur: - - - hincque docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam.*

S. Pacianus Ep. 3. ad hæc Apoſtoli verba ſic Sempronianum redarguit. *Vides Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem? Vides mitiſſimam lenitatem, longe a veſtro ſupercilio ſeparatam, longe a Novatiani fronte diſſimilem, communi vero vitæ ac ſaluti omnium conſulentem. S. Ambroſius* L. I. de Pœnit. c. 15. teſtatur, quod tota Eccleſia lacrimas & fletus ſuos affundere conſueverit pœnitentibus. S. Paulus ergo, ob

factam

Digitized by Google

factam a Corinthiis communem ſatisfactionem pro inceſtuoſo, condonavit eidem.

Verum poſt hæc omnia an non integre ſubſiſtit veritas horum omnium dictorum, ſive Apoſtoli, ſive SS. Patrum, ſi credamus; Apoſtolum etiam nondum acta condigno tempore pœnitentia prævia, nec exſoluta tota pœna illi dictata, reſtituiſſe inceſtuoſo communionem Eccleſiæ, & conceſſiſſe dari abſolutionem ſacramentalem; quam prius eidem ſubtrahendam ſtatuerat ad longius tempus; idque ne longiore dilatione iſtius gratiæ nimia triſtitia afficeretur; quod motivum per ſe non etiam omnis pœnæ temporalis reſiduæ in foro DEI indulgentiam exigebat? Quidſi hodie ſimiliter cum excommunicato ageretur; an eo ipſo indulgentia plenaria illi facta eſſe crederetur in foro DEI?

Certe etſi nil amplius fecerit Apoſtolus, vere id gratiæ donavit *in perſona* Chriſti, ut miniſter jurisdictionis & Sacramenti JESU Chriſti quoad remiſſionem culpæ ſimpliciter & pœnæ æternæ. Sic profecto *S. Innocentius I.* Papa in Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ videtur Apoſtolum aperte exponere; cujus exemplum ipſe imitaturus, interceſſione quorumdam epiſcoporum quosdam profitetur ſe in communionem recipere, excommunicatione ſublata; quin de pœnarum in foro DEI indulgentia plenaria concedenda eisdem cogitaſſe videatur.

2'.) Aſſertur exemplum Martyrum, qui in perſecutione tormenta pro fide ſuſtinuerant: ad quorum ſupplices libellos & interceſſionem Eccleſiæ Prælati plurimum de pœnitentiis publicis iis, qui lapſi erant, relaxabant. De hac re *S. Cyprianus* Ep. 13. ſic ſcribit:

qui libellum a Martyribus acceperunt (literas nempe commendatitias), *& auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, & exomologeſi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam impoſita, cum pace a martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.*

Idem Epiſt. 10. Martyres enixe hortatur, ne ſine diſcrimine omnibus petentibus tales libellos darent. *Oro vos,* ait, - - - *ut ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis;* - - *& ideo peto, ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello.* Et in Tract. de lapſis: *ſiquis veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiſcat; ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat; miſereri talium poteſt* (Epiſcopus): - - - *poteſt ille indulgentiam dare; ſententiam ſuam poteſt inflectere:* - - *poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint Sacerdotes.*

His 3°.) accedunt *canones pœnitentiales,* puta *S. Baſilii* in ep. ad Amphil. can. 54., *S. Gregorii Niſs.* ad Letoj. can. 4., *Concilii Ancyrani* a. 314. can. 5. *Nicæni I.* can. 12. *Trullani* can. 12. aliosve; per quos Epiſcopis poteſtas ſit remittendi partem pœnitentiæ publicæ vel *primo* ob fervorem pœnitentium ſingularem in exantlandis pœnitentiæ exercitiis; vel *ſecundo* ob inſtans tempus mortis; quo caſu tamen reconvaleſcentes ad pœnitentiæ ſtationem priſtinam remittebantur; vel *tertio* ob infirmitatem, ex qua periculum erat, ne deſciſcerent ad hæreticos; vel *quarto* ob merita converſio-

verſionis alienæ procuratæ: uti *S. Cornelius* Papa Maximum presbyterum confeſſorem, a Novatianis deceptum, redeuntem ſine omni pœnitentiæ recepit, eo quod alios ſecum reduxerit ad fidem.

Verum ad hæc *reſpondere* facile eſt: *primo* ex martyrum exemplo id quidem recte probari; agnoviſſe jam tum Eccleſiæ Prælatos, Martyrum paſſionis ſuffragio pœnæ partem aliquam ſaltem modicam poſſe vere de cetero pœnitentibus *a DEO ipſo* condonari; *ac proinde* etiam ipſos, hac fiducia fretos, recte non integram ſatisfactionem a peccatoribus pœnitentibus, tali ſuffragio adjutis, exigere. Ex quo ratiocinari quidem nobis nunc recte ad poſſibilitatem indulgentiarum licet. Si enim ſuffragio paſſionis martyrum DEUS moveri poteſt ad pœnas non omnes ab ipſo peccatore pœnitente exigendas, & ad partem illarum ipſi indulgendam; cur non ex rationibus ſimilibus merita paſſionis Chriſti miniſterio ſummorum Eccleſiæ Sacerdotum peccatoribus rite pœnitentibus præter remiſſionem culpæ ſimpliciter etiam applicari poſſint ad remiſſionem perfectam omnis pœnæ, etiam adhuc reſiduæ poſt culpam ſimpliciter expiatam?

Aſt alia quæſtio eſt, utrum S Cyprianus ceterique Epiſcopi id ætatis intenderint ipſimet ad martyrum ſuffragium id genus remiſſione partis pœnitentiæ publicæ, ab Eccleſia præſcriptæ, ſimul auctoritate propria remittere pœnas reſiduas in foro DEI; ac proin veram indulgentiam, in ſenſu hodierno Eccleſiæ, elargiri. Multo vero minus id *ſecundo* probari videtur ex *canonibus pœnitentialibus* allegatis; quippe quorum præ-

 ſcri-

ſcriptum omne æque ſubſiſtit, ſi credatur ſimilis eſſe tenor ac ſpiritus; qualem ſupra de indulgentia Corinthio ab Apoſtolo facta explicavimus; ſine ſpecie quidem indulgentiæ talis; quales hodie in uſu eſſe novimus.

Et vero *caſus ſecundus* periclitantium de vita abunde oſtendit, ſaltem non ſemper & per ſe omnem id genus remiſſionem de pœnitentiis præſcriptis cum plenaria indulgentia pœnarum in foro DEI ex mente Eccleſiæ conjunctam fuiſſe. *Caſus primus* ſupponit fervore pœnitentiæ DEO a pœnitente jam fuiſſe etiam breviore tempore ſatisfactum. *Caſus tertius* indulgentiam tam ſingularem non merebatur. Hæc amore veritatis, & ſtudio ſoliditatis in argumentorum collectione etiam pro dogmatis catholicis probandis neceſſariæ, unice dixiſſe velim, non præſentis dogmatis, de quo agitur, ullo pacto infirmandi cauſſa.

*** Porro autem *ſi quæras*, a quo tempore certior ſit uſus Indulgentiarum in Eccleſia talium, quales hodie diſpenſari videmus: *Ajo*, certi nihil de illo ante Seculum XI. extare. Qui enim Seculo XII. cum S. Thoma Aquinate, ac deinceps, credidere, a *S. Gregorio M.* jam *ſexto* finiente *ſeculo* datas fuiſſe *indulgentias Stationum*, omni firmo argumento caruere, & ex eo decepti fuiſſe videntur; quod, cum poſtea Pontifices indulgentias conceſſiſſent obeuntibus Eccleſias, in quibus S. Gregorius Stationes inſtituiſſe apud Joannem Diaconum legitur, crediderint, hunc etiam Indulgentias illas conceſſiſſe.

Simi-

Digitized by Google

Similiter Indulgentiæ, quæ in Epiſtola *Leonis III.* Papæ, vitæ S. Ludgeri annexa, leguntur ab hoc Pontifice *Seculo IX.* conceſſæ in Canonizatione S. Suitberti, non videntur eſſe authenticæ; quia citata Leonis III. epiſtola ob modum, quem refert, Canonizandi ea ætate nondum uſitatum, doctis jurei ſuſpecta eſt. Sic & marmor illud Romæ in Eccleſiæ SS. Martini & Sylveſtri ſuperſtes, cujus inſcriptio refert indulgentias trium annorum & totidem quadragenarum a *Sergio II.* Papa, qui ab a. 844. Romæ ſedit, eam Eccleſiam viſitantibus conceſſas, merito recentiore manu auctum Papebrochio viſum eſt in Propyl. Menſis Maji Diſs: 17. Certe Benedictus XIV. de Synodo Dioec. L. XIII. c. 18. n. 2. de ſimili marmorea tabula fictitia exemplum habet; prout idem etiam refert marmor omnium doctorum judicio fallax; quod indulgentiam plenariam a S. Sylveſtro Papa rogatu Conſtantini M. Eccleſiæ Lateranenſi conceſſam teſtetur.

**** *At enim* ex his ſemel conceſſis, *objectio gemina* in ſpeciem graviſſima naſcitur hoc modo. 1°.) Indulgentiarum largitio novum inventum eſt, de quo nihil prima Chriſti Eccleſia ſcivit: ergo in DEI verbo fundata eſſe non poteſt; cum poſterioribus ſeculis novæ dogmatum revelationes divinæ factæ non ſint.

2°.) Obligatio naturalis eſt, ut peccator quilibet perfecta pœnitentia ſatisfaciat DEO, & omnes pravas habitualis peccati reliquias extinguat. Atqui hæc obligatio prorſus ſolvitur per indulgentias, præſertim ſi ſpectemus praxin ipſam, & ingentem multitudinem illam ac profuſionem indulgentiarum, quæ in Eccleſia

viget. Conſtet vero, leges naturæ neceſſarias eſſe, ac ſolvi non poſſe.

Reſp. ad 1. diſtinguendo: Eccleſia prima de indulgentiis nihil docuit explicite, nec eas forte conceſſit expreſſe; *concedo*: non publice aſſeruit generale dogma, in quo poteſtas indulgentias largiendi continetur implicite, ſic, ut ſolum rationes prudenti uſui talis poteſtatis tunc deeſſe viſæ fuerint; *nego*. Eccleſia ſemper publice aſſeruit generalem ſuis Prælatis, ceu Apoſtolorum ſucceſſoribus, a Chriſto conceſſam fuiſſe poteſtatem remittendi perfecte, quoad culpam & pœnam, quævis peccata, nullo obſtante impedimento prudentiæ talis remiſſionis faciendæ. Unde adverſus Montaniſtas & Novatianos continuo id genus ſuam poteſtatem ad nulla peccata reſtrictam publice aſſeruit. Cumque ſectarii iſti facilitatem Romanæ Eccleſiæ in abſolvendis graviſſimis peccatoribus accuſarent; Zephyrinus teſte Tertulliano L. de Pudicit. c. 1., aliique Romani Pontifices, cum ceteris Epiſcopis Africæ & occidentis, non dubitarunt de illimitata generalitate ſuæ poteſtatis, ſed ſolummodo debitæ prudentiæ cautelas per canones pœnitentiales, quibus publica pœnitentia ordinabatur, in talium abſolutione præſcribendas curarunt. Quodſi ergo poſteriore ætate rationes prudentiæ quædam ſeſe obtulere Eccleſiæ Prælatis, ob quas recte videretur, expiatis ſemel culpis etiam pœnas ob imperfectam pœnitentiam reſiduas remitti poſſe: ſine novi dogmatis inventione id genus indulgentias concedere potuere, etſi olim Patribus primis, ob id genus rationes ipſis non oblatas, nihil tale concedere adhuc ſit viſum.

Quodſi

Quodſi quæras: quænam denique *rationes* iſtæ prudentiæ fuerint; ob quas novam id genus ſpeciem mere liberalis remiſſionis pœnarum ut inducerent, Romani Pontifices permoveri potuerint. *Reſpondeo;* tales eſſe debuiſſe *in genere*, ob quas ſaltem æque utilis, imo utilior, ad communem maximam ſalutem evaſerit indulgentiæ id genus conceſſio, quam integra perfectæ pœnitentiæ executio in quovis peccatore pœnitente, & a peccatis per miniſtros Eccleſiæ abſoluto.

Rationes iſtæ quænam *in ſpecie* fuerint, docet ipſa hiſtoria & progreſſus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ab uſu veteri pœnitentiæ publicæ ad uſum Indulgentiarum. Nimirum cum *Seculo VII* jam ex parte, amplius vero *Seculo VIII.*, in deſuetudinem uſus *pœnitentiæ publicæ* etiam in latina Eccleſia abiiſſet, ſive ob impatientiam diſciplinæ rigidioris (moribus paullatim ad laxitatem vergentibus) ſive imitatione exempli græcorum; nihilominus, qui audiendis confeſſionibus præerant, tam inter græcos, quam latinos, ex præſcripto Canonum pœnitentialium ſatisfactiones pro gravioribus criminibus graviſſimas, & pœnitentias in longum ſæpe tempus productas, puta, preces aſſiduas, nocturnas vigilias, abſtinentias, eleemoſiynas ad pœnitentium facultates attemperatas, peregrinationes ad loca pia &c., imponere conſuevere.

Irrepſit exinde tamen mos id genus pœnitentias redimendi oblata proportionata pecunia pro ædificatione & reparatione piorum locorum; ita, ut taxari etiam certum pœnitentiæ tempus pro certa pecuniæ ſumma inceperit; ut qui eam ſolveret, illa ex. gr. pro 40. dierum jejunio per Canones impoſito valeret. Ex quo & nomina *carenæ*, *quadragenæ &c.* exorta

 fuere;

fuere; quæ indulgentiam pœnæ tot dierum pro certa eleemoſyna ſoluta ſonabant. Enimvero ſubſtituebatur hic una pœna alteri; non proprie remittebatur; & licet ex. gr. jejunium magis utilitati ac morbo pœnitentis conſuluiſſet, tamen id genus bonum privatum commode bono publico talis eleemoſynæ, ad pios uſus publicos expendi ſolitæ, compenſari credebatur.

Id genus ſolutioni eleemoſynæ decurſu temporis in ordine ad remittendas pœnitentias deinceps alia pia opera ſubſtituta ſunt; ita, ut in conceſſione indulgentiæ jam non tam ad hoc reflecteretur, utrum tale opus pium rationem condignæ pœnæ pro peccatis eorum haberet, quibus indulgentia concedebatur; quam quanti momenti eſſet ad publicam ædificationem & utilitatem. Tum vero brevi ipſo experimento patuit, ipſam ſpem remiſſionis tam facilis pœnarum pro peccatis exantlandarum plurimis incitamentum fuiſſe, ut converſionis conſilia, quæ prius ſeveritatis Eccleſiaſticæ metu diu & pertinaciter reſpuerant, jam ſerio ſuſciperent.

Fructu id genus ſemel perſpecto ad ampliorem liberalitatem indulgentiarum invitati Pontifices fuere; cum nempe ex una parte hoc uno remedio & publica pia opera, puta, expeditiones in loca ſacra, erectiones hoſpitalium, ædificationes Eccleſiarum, peregrinationes ad limina SS. Apoſtolorum &c., ex altera vero parte etiam ipſam converſionem plurimorum gravium peccatorum, & pœnitentiæ ſubſtantiam, ex ſpe tam liberalis veniæ, & per ipſa opera pro indulgentiis lucrandis præſcripta, tam efficaciter promoveri animadverterent. Et vero, quisquis mores fidelium & ſtudium

ſtudium commune indulgentias lucrandi vel obiter obſervarit; negare is profecto haud poterit, piorum quorumvis operum exercitia, & Sacramentorum inprimis frequentiam, hoc uno inprimis remedio mirum quantum in Eccleſia catholica promoveri.

Quodſi nihilominus quis dubitet; utrum utilitas iſta, ex indulgentiis orta, comparari cum eo bono poſſit; quod ex perfecte acta a quolibet peccatore de ſuis peccatis pœnitentia exiſteret: illi, ut duo ſimul bene ſecum ponderet, equidem ſuadeo, *primum* quot futuri eſſent; qui indulgentiis ſublatis aut nullam pœnitentiæ cogitationem conciperent; vel certe acta licet pœnitentia aliqua ad perfectam tamen pœnitentiam animum nihilominus haud applicarent: *deinde* neminem utique ex catholicis negare, modum excedi reipſa cum præjudicio legis pœnitendi utilioris in conceſſione indulgentiarum poſſe; ſalvo tamen manente ipſo dogmate de poteſtate aliquas indulgentias concedendi.

His adnotatis jam quoque *ad* 2. *reſpondeo: diſtinguo primam propoſitionem:* obligat DEUS lege naturali omnes peccatores ad perfectam pœnitentiam vulgo ac per ſe, & niſi illis pars pœnæ reſiduæ poſt culpam jam ſimpliciter ſtudioſa pro humanæ imbecillitatis modo pœnitentia expiatam liberali indulgentia remittatur ab ipſo DEO immediate, vel ab ejus miniſtris, *concedo*; ſi ita remittatur; *nego.*

Atqui poteſt illa ex parte & cum debito moderamine pœnitentiæ ſtudio alioquin impenſe debitis remitti prudenter quovis in caſu; quo id genus indulgen-

 tia

tia majus bonum obtineri poſſe quam perfectione pœnitentiæ videbitur præpoſitis Eccleſiæ, per opera nimirum pro lucranda indulgentia præſcripta; etſi iſta ſecundum ſe pœnitentiæ condignæ æqualitatem non attingant. Quodſi enim propoſita id genus indulgentia plurimorum peccatorum converſio & pœnitentia ſimpliciter talis promoveatur, quæ ſine id genus incitamento ſimpliciter, vel ſaltem non tam cito, extitura eſſet; ſi emolumenta publicæ ſaluti proficua exinde ſperentur; quidnî prudenter ex ejusmodi ſine bonum illud, quod in perſonali perfecta pœnitentia & ſatisfactione conſiſtit, bono id genus majori ac publico poſtponi poſſit.

Id ſolum inde conſectaneum eſt, non poſſe in quoslibet fines levioris momenti indulgentias plenarias, aut alias juſto liberaliores, profundi, qui minorem præ illa perfecta pœnitentia utilitatem afferre ſolent, puta, ad promovendas quaslibet religiones ad ſubſtantiam vitæ chriſtianæ minus proficuas; quarum multitudo ſæpe indulgentiarum multo utiliorum ſtudio, ac proinde multo majoribus ac publicis utilitatibus, obſtat.

***** Et vero ſenſus iſte Eccleſiæ veteris certiſſimus erat, indulgentias pœnarum non niſi moderatione ſumma iis concedi debere, qui ſtudium per proprias pœnitentias DEO ſatisfaciendi eo provexiſſent, ut proxime gradum perfectæ pœnitentiæ attingerent. Ita quidem *S. Cyprianus* vel ipſos Martyres in Epiſt. 10. ſupra adnot. 2, citata admonebat; cum ex adverſo

in

in Tract. de lapſis immodicæ indulgentiæ uſum verbis gravibus reprehendat, dicens: *contra Evangelii vigorem, contra DEI legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax! pericuoſa dantibus, & accipientibus nihil profutura.*

Pares regulas clementiæ Epiſcopis omnes *canones pœnitentiæ* præſcribunt. Has quidem accurate præ oculis habuere ipſi Romani Pontifices; cum Seculo XI. indulgentias concedere inciperent: aut enim graviſſima ſummeque pœnitentiæ opera exigebant, ſiquando plenam vel quamcunque liberaliorem indulgentiam concederent, videlicet expeditionem in terram ſanctam, peregrinationes ad loca ſancta, aut ad limina SS. Apoſtolorum, aut viſitationes præcipuarum ac longo intervallo inter ſe diſſitarum Eccleſiarum Romæ per dies triginta, vel ſaltem quindecim laborioſo itinere faciendas; quæ ſi debito pœnitentiæ ſpiritu ſuſciperentur, ſane ad gradum perfectæ pœnitentiæ maximos quosvis peccatores provehere perfacile poſſent: aut modicas tantum unius anni, vel 40. dierum indulgentias largiebantur.

Tales fuere omnes indulgentiæ Seculo etiam XII. & XIII. a Romanis Pontificibus conceſſæ; ex quibus Innocentius III. in generali Concilio Lateranenſi IV. a. 1215. in c. 14. §. de pœnit. & remiſs. conquerens, *per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non vererentur, & claves Eccleſiæ contemni, & pœnitentialem ſatisfactionem enervari;* propoſito ſimul propriæ moderationis Pontificum Ro-

Romanorum exemplo, reſtrinxit Epiſcoporum poteſtatem, ut ne indulgentiam ultra unum annum in die conſecratæ a ſe alicujus Eccleſiæ, & 40. dierum in anniverſario ejusdem conſecrationis, deinceps concedere poſſent. Inde factum, ut *Sixtus IV.* in Extrav. 5. de pœnit. & remiſs. plurimas indulgentias, a ſe ipſo, & ab Anteceſſoribus datas, denuo revocaverit.

Hoc ipſo fine inprimis a. 1669. Clemens IX. Papa novam Cardinalium Congregationem inſtituit, *ut abuſus, qui irrepſiſſent, corrigerentur; - - falſæ, apocryphæ, indiſcretæque indulgentiæ typis inprimi vetarentur, impreſsæ recognoſcerentur, examinarentur: & relatione Pontifici facta, ejus auctoritate irritarentur, - - curareturque, ut in indulgentiis concedendis moderatio adhibeatur, omniaque pie, ſancte, & incorrupte fiant:* prout Tridentini Patres id curandum Pontificibus Romanis Seſs. XXV. in Decr. de Indulgentiis commendaverant.

****** Præterea falſum eſt, *quod* etiam *per indulgentias plenarias pœnitens ab omni obligatione propriæ ſatisfactionis ſolvatur.* Enimvero credidere id quidem multi Theologi catholici olim ante Tridentini tempora; imo & poſt illud non nulli. Aſt falſi convincuntur ex eo, quod Romani Pontifices inde a Gregorio XIII. ab a. 1576. Bullis etiam Jubilæorum ſemper inſerant hæc verba ad Confeſſarios directa, *injuncta tamen pro modo culpæ pœnitentia.*

Videlicet, ut Gloſſographus Bonifacii VIII. coætaneus de conceſſa ab hoc Pontifice *indulgentia plenio-*
re

re & *pleniſſima* refert explicationem mentis ſuæ ab eo in Conſiſtorio; ipſo Gloſſographo præſente, factam, non intendunt Pontifices hoc verbo *plenariæ indulgentiæ* aliud exprimere; niſi ſe velle dare tantum, ad quantum *clavium poteſtas ſe extendit.* Jam vero cum teſte Tridentino Seſs. XXIV. c. 8., *ne divinam* quidem *clementiam deceat ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittere, ut occaſione inde accepta peccata leviora putantes, veluti contumelioſi & injurii Spiritui Sancto, in graviora labamur;* nequaquam majoris indulgentiæ poteſtas Eccleſiæ Prælatis tradita a Chriſto fuiſſe ſupponi poteſt.

Nulli ergo privato Doctori mentem Pontificum licet aliter interpretari; ceu illi exceptionem facere intenderent a clara declaratione *Tridentini*; quod item loc. cit. declarat univerſe, *a Sacerdotibus ſatisfactionem debere imponi, quæ non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Nemo enim prudens id ſuſpicari de Romanis Pontificibus, plenarias indulgentias tam frequentes ob levia non raro opera largientibus poteſt, quod *graviſſimis quibusvis peccatoribus*, modo culpas ſuas imperfecta pœnitentia expiarint, ſolis illis operibus peractis pœnas omnes remiſſas eſſe velint.

******* Ex huc uſque dictis *ſequitur* 1.) ad fabulas referri debere decem & plurium millium annorum indulgentias, ac inter Quæſtorum dolos numerari; quæ pridem Gerſonis Pariſini in ſuo libro *de Indulgentiis*

gentiis opinio fuit, a doctiſſimis quibusque Theologis probata, & a nemine huc uſqne refutata.

Sequitur 2'.), indulgentias quascunque, ſine prudente cauſſa datas, tam parum validas eſſe, quam abſolutionem ſacramentalem immerenti & male diſpoſito impertitam. Sicut enim in iſta impertienda, ita in ſolvenda obligatione perfectæ ſatisfactionis per indulgentias, non niſi maturo judicio exercenda tam divina poteſtas a Chriſto ſuis miniſtris eſt conceſſa.

Sequitur 3'.), non niſi tunc prudentem cauſſam eſſe largiendi certas indulgentias; quando in morali æſtimatione bonum per indulgentias univerſe obtinendum majus abſolute eſſe cenſetur plena pœnitentiæ perfectione, ſaltem ſpectata ſpe iſtius ſine indulgentia ſecuturæ.

* * * * * * * * * Supereſt ſolennis *objectio* acatholicorum contra indulgentias. Catholici, *inquiunt*, tenere ſolent per indulgentias diſpenſari theſaurum meritorum ac ſatisfactionum Chriſti ac Sanctorum: qua in re duo grandia ſunt abſurda; *primum* quod *theſaurus* ejusmodi *in Eccleſiæ gazophilacio* depoſitus, cujus adminiſtratio Romanis Pontificibus competat, merum ſit figmentum recens, a *Clemente VI.* Papa in Extrav. *Unigenitas* de pœnit. & remiſs. primo inventum: *alterum*, quod etiam ad *ſupplementum hujus theſauri* adjungantur *merita & ſatisfactiones ſanctorum*: quaſi vero ſatisfactio Chriſti ſola ſufficiens non eſſet, ſed ejusmodi emendicato ſubſidio egeret; de quo rurſus SS. Patres nihil habuere perſpectum.

Porro

Digitized by Google

Porro *Clementis VI.* in citata Bulla, qua annum jubilæum, qui prius ex decreto Bonifacii VIII ſingulis centeſimis annis celebrati debebat, ad annum quemque quinquageſimum reducit, hæc ſunt verba: *In ara crucis Chriſtus immolatus non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemtione humani totius generis ſuffeciſſet, ſed copioſum veluti quoddam profluvium noſcitur effudiſſe. - - - - Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, & ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit. - - - - Quem quidem theſaurum per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.* De Sanctis vero ibidem additur: *Ad cujus quidem theſauri cumulum B. DEI genitricis omniumque electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur: de cujus conſumtione vel minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo, quod, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.*

Reſpondeo ad primum: Clemens VI., qui ea verba præciſe pro ratione ſui decreti de conceſſione Jubilæi affert, nihil per ea revera novi circa applicationem meritorum Chriſti expreſſit; quam quod nos ſupra §. 567. in notione *indulgentiæ* expreſſimus; quam notionem realem eſſe ex §. 528. not. 8. & ex §. 569. conſtat. Unde appellatio metaphorica *theſauri*, ac *diſpenſationis* ejusdem *B. Petro commiſſæ*, ſi aliud ab ea reali notione his vocibus non intelligatur, quemquam

jure

jure offendere non poteſt; etſi nova ſit; modo doctrina per id tradita fundamento antiquo divini verbi non careat.

Reſpondeo ad ſecundum: tria hic diſtinguenda ſunt: *primo* Sanctorum merita aliquid ad peccatorum noſtrorum indulgentiam conferre: *ſecundo* id virtutis eisdem non tribui ex ſe ipſis; ſed acceptum referri ipſis Chriſti meritis; a quorum influxu & exiſtentiam ſuam habent, & dignitatem: quia nec exiſtunt ſine influxu gratiæ Chriſti actualis: nec dignitatem eam habent niſi a gratia habituali & ſanctificante: *tertio* eam vim Sanctorum meritis non idcirco tribui, ut per ea ſuppleatur defectus aliquis meritorum Chriſti; quorum valor utique ſecundum nos quoque infinitus eſt; ſed quia de Chriſti affectu erga fideles ſuos amicos, qui multa viciſſim pro ipſius honore fortiter ſunt paſſi, recte ſupponit Eccleſia; quod illorum intuitu facilius probaturus ſit, ſi a Prælatis Eccleſiæ ipſiusmet merita etiam illorum aliqua ratione habita confidentius ac liberalius per indulgentias diſpenſentur.

Quodſi quæras porro; quid ergo, & quo pacto contribuant ad indulgentias merita Sanctorum; & unde denique id probetur; cum *S. Auguſtinus* Tract. 84. in Jo. tam graphice & abſolute contra id affirmare videatur: *etſi fratres pro fratribus moriantur; tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis martyris funditur: quod fecit ille* (JESUS Chriſtus) *pro nobis.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo, aliquid contribuere Sanctorum merita poſſe ad pœnæ peccati remiſſionem poſt culpam utcunque jam expiatam, patet ex generali dogmate de communione Sanctorum; quam extendi etiam ad hunc effectum, clari SS. Scripturarum textus probant; puta de *Abrahamo* juſto pro Sodomitis intercedente; cujus precibus ſi modo decem juſti numerati fuiſſent, ob iſtos decem detuliſſet DEUS; *de Jobo*, de quo DEUS ipſe Job. Ult. v. 8. *dixit ad Eliphaz: ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* Et v. 10. *Dominus quoque reſpexit ad pœnitentiam Job* (textus originalis habet אֶת-שְׁבִית, quod idem eſt, ac *ad ſolennitatem*, quam ad DEUM deprecandum Job inſtituerat) *cum oraret ille pro amicis ſuis.* Textus quoque S. Cypriani hic in adnot. 2. citati de *Martyrum auxilio*, quo pœnitentes *apud Dominum in delictis ſuis adjuvari poſſint*, luculentum de antiquo ſenſu Eccleſiæ hac in re teſtimonium offerunt. Porro *S. Auguſtinus* loc. cit. tum de culpæ ac pœnæ æternæ remiſſione inprimis loquitur; tum recte negat, hac intentione *principali* Martyres ſanguinem fundere; quippe qua ſolus Chriſtus, morti ſe offerens, ex divini Patris propoſito & miſſione regebatur.

Circa modum vero, quo Sanctorum merita, & graves inprimis paſſiones, ad indulgentias quid conferant, quæſtio non dogmatica, ſed ſcholaſtica eſt. Non nulli cum Suario de Pœnit. diſp. 51. ſect. 2. n. 8. pæne periculoſam ſententiam putant, qua multi docue-

re, quod Sanctorum merita tantum *per modum ſuffragii, impetrationis, vel meriti de congruo*, concurrant; putantque, ea rationem veræ ſolutionis habere; qua nimirum pœnæ a Sanctis ultra reatum peccatorum propriorum toleratæ vices agant propriæ ſatisfactionis in iis, quibus indulgentiæ conceduntur.

Nituntur ea ratione; quod, cum id genus paſſiones Sanctorum, ſi reatus pœnæ in illis aliquis ſuperſtes fuiſſet, in ipſis ſanctis præter ſpem mercedis æternæ inſuper vim ſatisfactionis pro eo reatu haud dubie habuiſſent, illæ eandem vim etiam pro aliis fidelibus ope indulgentiarum habere poſſint. *At enim* genuina notio *ſatisfactionis pro alieno peccato*, uti ab ea removeri debet nota *punitionis* in locum alterius, quemadmodum in Tract. V. de Incarn. §. 396. not. 2 & 3. oſtendi, ita rationem *meriti*, ſeu de condigno, ſeu de congruo, excludere nequaquam poteſt; nec aliter differt a *meriti* notione; niſi quod *meritum*, ceu *genus*, ſimul actiones omnes virtutis nullo diſcrimine complectatur; *ſatisfactio* vero ceu *ſpecies* non niſi mala ad Numinis beneplacitum patienter perpeſſa pro aliorum peccatorum ſalute.

Neque enim ſancti pro nobis *puniti* ſunt, nec ea intentione unquam mala ſua, ceu *pœnas* noſtra vice a ſe ferendas, ſuſcepere; etſi pro caritatis communis ſtudio habituali paſſiones ſuas prodeſſe univerſorum fidelium ſaluti pro capacitate cujusque haud dubie exoptarint. Sola *ſatisfactio propria pro peccatis propriis* (565.) mala ſub ratione *pœnæ* animo *pœnitente* tolerata im-

ta importat; ſicuti etiam *pœnitentia* proprie talis non niſi in propria peccata perſonalia cadit. Itaque certum exiſtimo, meriti rationem genericam in ſatisfactione pro alienis peccatis, ceu in quadam ſua ſpecie, perinde atque in merito ipſo vitæ æternæ, intervenire: & cum *Sanctorum meritis* univerſe & in genere ſumtis de condigno reſpondeat merces æterna; *ſatisfactionibus propriis* autem præter iſtam æternam mercedem aliis adhuc effectus, nempe pœnæ adhuc debitæ expiatio, proprius ſit: idcirco, ubi nullus ſupereſt in illis ejusmodi pœnæ pro peccatis propriis debitæ reatus, profecto *illorum paſſionibus* præter meritum mercedis æternæ vis aliqua meritoria ineſt ad impetrandam aliis æqualem pœnarum remiſſionem; ſive jam ea ſit vis meriti de condigno, ſive de congruo.

Certe Clemens VI. in Bulla jubilæi ſupra citata dicit expreſſe, *merita ſanctorum ad theſauri cumulum adminiculum præſtare.* Eccleſia itaque *etiam* Sanctorum, ceu amicorum Chriſto cariſſimorum meritis & paſſionibus pro Chriſto exantlatis confiſa, ut ſupra dixi, Chriſti ſatisfactionem infinitam liberalius nobis applicat, atque hoc ſenſu communem veluti theſaurum illum diſpenſat: etſi etiam ſine illis Sanctorum meritis ac paſſionibus ſolus theſaurus ſatisfactionum Chriſti abunde ad hunc finem ſufficeret.

570.

Quoniam poteſtas concedendi indulgentias ex generalibus illis Chriſti verbis Matth. XVIII. & Joan. XX. ad omnes Apoſtolos, quorum Epiſcopi ſucceſſores ſunt, prolatis, ceu complementum poteſtatis remittendi peccata, conſequitur, *quæ-*

cunque ſolveritis &c., *quorum remiſeritis peccata &c.*, ut ex prima probatione §. præc. patet: idcirco per ſe loquendo, & *ſolo jure divino ſpectato*, *poteſtas concedendi indulgentias ſuis quidem ſubditis omnibus Epiſcopis ſimpliciter competit*; *illique eam cum jurisdictione propria immediate a Deo accipiunt*, *ceu complementum iſtius* (Dem. Cath. §. 182. III. IV.).

* Interim cum omnis Epiſcoporum, uti & Apoſtolorum, jurisdictio jurisdictioni S. Petri altiori, ejusque in Primatu ſucceſſorum, ſubordinata ſit, faciliusque in uſu poteſtatis iſtius indulgentias concedendi immoderatio & abuſus quam in ullo alio jurisdictionis ſpiritualis exercitio contingat: idcirco recte in Concilio Lateranenſi IV., adnitente Innocentio III. Papa, conſenſu Patrum generalis lex ſtatuta eſt, ut *Epiſcopi* non niſi unius anni indulgentiam in Dedicatione alicujus Eccleſiæ, alias vero non niſi 40. dierum indulgentiam, largiri deinceps poſſint. Qua ipſa lege *Romanis Pontificibus* ſolis uberioris indulgentiæ pro toto orbe catholico concedendæ poteſtas eſt reſervata. Cum porro nec *Abbates* ulli, aut *Prælati Eccleſiaſtici* alii quicunque, nec Capitula cathedralia ſede Epiſcopi vacante, propriam jurisdictionem jure divino habeant, nec jure humano Eccleſiaſtico illis poteſtas indulgentias concedendi vulgo delegata ſit; patet, hanc illis nullo modo per ſe competere.

** *Dices* vero: ſi conceſſio indulgentiæ exercitium poteſtatis judicialis illius eſt, quo remittuntur peccata; tam parum, quam ipſa abſolutio a culpa, ſine prævio cauſſæ examine fieri recte poteſt; ac proinde communis & publica indulgentia, aut certæ conditio-

ditioni perſonarum univerſe conceſſa, ſine examine dignitatis ſingulorum, ex recto ordine prudenterque concedi non poteſt.

Reſp. Indulgentiæ conceſſio ſemper conditionata eſt, nempe ſub conditione gemina ſingulis facta; ſi culpas rite prius expiarint, & ſi cetera præſtiterint, quæ ad capacitatem participandæ talis indulgentiæ aliunde communitur requiruntur. Ut id prudenter & ex ordine fiat, ſufficit cauſſas, motiva, & finem examinaſſe, ob quem indulgentia conceditur; an ſufficientia ſint.

*** Miniſterium largiendæ indulgentiæ etiam non presbyteris ac ſimplicibus clericis delegari poſſe, vulgo docent Theologi. Verum, quia ea conceſſio verum exercitium poteſtatis remittendi peccata eſt, patet, ſaltem, ut id fiat, minime decere.

571.

Solum vivis, non item defunctis, indulgentia ex certa poteſtate clavium & cum abſolutione judiciali concedi poteſt. Jurisdictionis enim vis omnis non niſi in ſubditos valet; atqui ſoli vivi fideles, non defuncti, jurisdictioni Eccleſiæ ſubjacent, juxta illud: *quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.*

572.

Prodeſſe tamen defunctis & in purgatorio detentis fidelium animabus indulgentiæ eo fine conceſſæ poſſunt per modum ſuffragii; quatenus nimirum Eccleſia Chriſti Domini merita & ſatisfactiones ad illarum ſubſidium immediate, non

abſolutorio judicio ipſa applicat. ſed applicanda Deo offert, & ab eo acceptari in remiſſionem pœnarum ab illis adhuc luendarum rogat. Cum enim animæ defunctæ communionis Eccleſiæ militantis participes adhuc ſint, vivorumque ſuffragiis juvari poſſint vi dogmatis catholici, quod in Eth. Univ. Chriſt. §. 272. oſtenſum eſt: quippeni accedente per miniſterium Papæ, vel Epiſcoporum, publica & ſolenni Eccleſiæ deprecatione & ſuffragio Deus moveri poſſit ad Chriſti merita ſpeciatim ad hunc effectum ſubinde acceptanda, ut detentis adhuc in purgatorio certis animabus pœnas reſiduas, vel ex toto, vel ex parte, condonet?

* Ratiocinium hoc ipſum probat, *erroneam eſſe ſententiam negantem*: cum major propoſitio dogmatica; minor moraliter certa ſit. Interim tamen fidei dogma theſis non eſt; nec certa Scripturarum, aut Conciliorum auctoritate, bene tamen publicis Romanorum Pontificum factis probatur, ex quibus Sixtus IV. an. 1477. Eccleſiæ Hantonenſi pro animabus purgatorii per modum ſuffragii indulgentiam conceſſit, & poſt Sixtum IV. plurimi alii deinceps Pontifices ſimiles indulgentias largiri ſunt. Incertum vero eſt, num jam ante Sixtum IV. ſimiles indulgentiæ ab alio conceſſæ fuerint.

Ajunt quidem, Joannem VIII. a. 878. conceſſiſſe indulgentias militibus pro Eccleſiæ defenſione mortuis in acie: ſed is ſolum Epiſcopis Galliæ, ex ipſo quærentibus, utrum illi milites poſſent *indulgentiam* (veniam) *conſequi delictorum*, reſponſurus, citato exemplo Manaſſis & boni latronis probans, peccatorem quacunque hora converſus fuerit, peccatorum veniam conſequi, *abſolvit eos milites, quantum fas eſt, & precibus*

cibus DEO commendavit. Conſtat vero id genus abſolutiones mortuorum antiqua in Eccleſia alio fine non eſſe factas (teſte Cardinale Hoſtienſi de Indulgent.) niſi in ſolatium viventium; ut nempe declararetur, eos vel, antequam morerentur, per contritionem probabiliter obtinuiſſe remiſſionem peccatorum; vel pro eis, licet ante excommunicatis, libere orari poſſe.

Aliud exemplum indulgentiæ pro defunctis legere eſt an. 1118. in Oderico Raynaldo de Gelaſio II. Papa, in dedicatione Eccleſiæ Januenſis *faciente remiſſionem cunctorum peccatorum, in quantum poſſet, omnibus defunctis ſepultis in dictæ Eccleſiæ cœmeterio, & ſepeliendis in finem ſeculi.* Sed tum ob mirabilem tenorem; tum quia illius unica teſtis tabula eſt, in illa cathedrali Eccleſia appenſa, merito ſuſpecta eſt. Olim quidem ex Theologi plures cum Hoſtienſi & Gerſone negarant, indulgentias defunctis prodeſſe poſſe; ſed pro veritate ſeculo XII. jam ſtetere Alenſis, S. Thomas, S. Bonaventura, aliique. Ceterum cum vivis tam ſero indulgentiæ propriæ tales diſtincta conceſſione Eccleſiæ donatæ fuerint; mirum videri non poteſt, æque ſero defunctis conceſſas fuiſſe; præſertim cum aliæ ſuffragiorum ſpecies pro his abunde ſuppeterent.

** Ceterum eo ipſo, quod Eccleſia ſolum per modum ſuffragii juvare indulgentiis defunctos poſſit, planum eſt, eas non infallibilis effectus eſſe, ſed a DEI miſericordia, Eccleſiæ ſuffragia acceptantis, id pendere; imo & a juſtitia, ſecundum ſapientiæ divinæ conſilium decernente, ut non niſi illi poſt mortem liberaliores caritatis Eccleſiæ militantis fructus experiatur; qui ſtudio caritatis ſimilis iisdem jam dignos ſe in hac vita fecere. Et vero ſi

fruſtrari effectu ſuo indulgentiæ in defunctis non poſſent, pridem docti oſtenderunt, purgatorium ab eo tempore, quo illæ concedi liberalius conſuevere, jam diu fuiſſe evacuandum. Falluntur itaque, qui putant, per miſſam in Altari privilegiato animam *certo* a pœnis purgatricibus liberari.

Conſtat ex Cardinalis Bellarmini Epiſtola ad P. Joannem Carmenatam e Soc. J., *altaria privilegiata ſolidum fundamentum & exemplum antiquum non habere, & forte non fuiſſe in uſu ante Gregorium XIII., qui eis replevit totum mundum.* Unde Sixtus V. voluerat ea omnia tollere; niſi ſcandali metu fuiſſet abſterritus. Auctor eximius operis de re ſacramentaria (Le Drouin) L. VI. q. 7. cap. 2. §. 3. q. 5. docet, *privilegium altaris* tantum in eo conſiſtere, quod in eo *Eccleſia ſpeciali quodam modo pro iis defunctis ſatisfactionem Chriſti & ſanctorum merita applicet, pro quibus ſacrificium offertur;* item quod in tali altari *ſpeciali favore concedatur miſſas defunctorum celebrare etiam iis diebus, quibus in aliis ex præſcripto Eccleſiæ non celebratur.*

*** Anno 1517. *Martinus Lutherus* ex Ord. Eremit. S. Auguſtini Monachus ex mandato ſui Vicarii Generalis Joannis Staupitii, Principibus Saxoniæ cognatione juncti; ſcripto agitare controverſiam de Indulgentiis cœpit ex occaſione, quod Albertus Archiepiſcopus Moguntinus, a Leone X. Papa juſſus conſtituere prædicatores & quæſtores eleemoſynarum & Indulgentiarum, in Saxoniam miſerit Joannem Tetzelium Inquiſitorem hæreticæ pravitatis ex Ordine S. Dominici; cum Eremitæ ex ordine S. Auguſtini id munus ſibi a diuturno tempore competere contenderent.

Lutherus

Lutherus facile occaſiones nactus eſt exagitandi quæſtores illos, ceu abuſum graviſſimorum pridem accuſatos, & damnatos tum in generali *Concilio Viennenſi* in Clement. 2. de Pœnit. & remiſs., tum in *Lugdunenſi*, & *Lateranenſi IV.*; ob quas demum totum illorum officium penitus abrogatum eſt ſolenni decreto *Tridentini Concilii* Seſs. XXI. de reform. cap. 9. Et vero ſi ſtitiſſet in damnandis abuſibus intra limites privati ſcriptoris Lutherus, grates fors ipſi Eccleſia habuiſſet; quæ eo ipſo tempore abſque omni nota reliquit ſententiam Cardinalis Cajetani; ad componendas turbas a Luthero ſuſcitatas miſſi a Pontifice; docentis, indulgentiis, quas ad id uſque ætatis conceſſiſſet Eccleſia, non niſi pœnas in foro Eccleſiæ remitti.

At enim conſtat, quo uſque turbidus tumidusque homo ille brevi progreſſus fuerit, ut veſtigiis Joannis Huſſii & Hieronymi de Praga inſiſteret; qui jam Seculo XV. Indulgentias negaverant. Nonne vero liberaliſſimus ipſe omnium in indulgentia plenaria univerſis concedenda Lutherus exinde fuit; cum doceret, ſola fide fiduciali in Chriſtum citra aliæ pœnitentiæ opera peccata omnia integre quoad culpas & pœnas remitti? Immoderationem Lutheri cum non ferret ſupremus Eccleſiæ paſtor, ſed commeritis denique pœnis poſt fatigatam longam patientiam caſtigaret; facem rebellionis ille per omnem Germaniam circumtulit, tot incendiis funeſtam; quæ extingui ad hodiernam diem non potuere.

**** Ceterum cum experientia doceat, ingentem una ex parte eſſe ſtudioſitatem in plebe catholica

in indulgentiis plenariis lucrandis ex parte vero altera ob immenſam prope copiam talium indulgentiarum doctorum plurimi non immerito dubitent de valore plurimarum: idcirco equidem cenſeo, nihil futurum magis idoneum ad ſalutem ſimul ſpiritualem animorum, & certitudinem valoris Indulgentiarum promovendam; quam ſi numerus Indulgentiarum certus, generalis, ac communis omnibus Eccleſiis, inprimis parochialibus, ſtatueretur; quas nemo lucrari poſſet; niſi qui habitu quodam ſtabili religiones ſequentes, ad ſubſtantiam ſalutis cuivis tam abſolute neceſſarias, exerceret, videlicet 1'.) quotidianum exercitium virtutum theologicarum, una cum actu veræ contritionis de peccatis, ac propoſiti non peccandi ſaltem graviter inpoſterum: 2'.) auſcultationem verbis verbi divini in concionibus, vel catecheſibus, ſaltem bis in menſe: 3'.) Uſum Sacramentorum Pœnitentiæ & SS. Euchariſtiæ ſaltem quovis trimeſtri. Hoc uno remedio ceſſarent omnes querelæ adverſus Indulgentias, & Indulgentiæ fierent medium promovendorum omnium mediorum ſalutis, cunctis univerſe & ſimpliciter neceſſariorum.

CAPUT

CAPUT V.

DE
SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

573.

Sacramentum extremæ unctionis vocamus unctionem olei & orationem Sacerdotis, ceu Chriſti miniſtri; qua Chriſtianis ægrotis de vita periclitantibus gratia Dei confertur ad ſalutem animæ in ultimo agone confirmandam; imo & ad corporis ſanitatem recuperandam, ſi hæc ad ſalutem animæ conducat.

574.

Extrema unctio & oratio Sacerdotum pro ægrotantibus Chriſti fidelibus baptizatis verum eſt Sacramentum practicum novæ legis; id eſt, ex virtute *ſibi propria* (ex opere operato, ut ajunt) conferens gratiam.

Dogma catholicatum *probatur* 1'.) EX SCRIPTURIS DIVINIS. In Epiſt. S. Jacobi catholica V. 15. ſic præcipit S. Apoſtolus iſte & primus Jeroſolymitanus Epiſcopus: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum unguentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* His verbis inprimis *cerimonia ſacra ſenſibilis* exprimitur, unctio nimirum olei *in nomine Domini* facien-

facienda, & oratio Sacerdotum, ſignificans, & actu conferens gratiam inviſibilem; qua *allevietur infirmus*, & *remiſſionem* accipiat *peccatorum*: & cum hæc ſcribat S. Jacobus ad *fratres*, quos ſemper in hac Epiſtola appellat chriſtianos, & de *infirmis*, qui ſunt *in vobis*; patet, Sacramentum hoc illum declarare pro chriſtianis ægrotis jam baptizatis, & quidem in perpetuum, conſtitutum eſſe; quia infirmi aliqui ſemper futuri ſunt; qui tali remedio opus habebunt.

Denique non particularem ſuæ Jeroſolymitanæ, ſed totius catholicæ per orbem diſperſæ Eccleſiæ ritum ſacrum ac Sacramentum illum exprimere, exinde manifeſtum eſt; quod totam Epiſtolam mox in ingreſſu inſcribat I. 1. *duodecim tribubus*, *quæ ſunt in diſperſione*, id eſt, diſperſis ex duodecim tribubus Judæorum chriſtianis. Non itaque Sacramentum a ſe inventum præſcribit; ſed jam prædicatum ab omnibus SS. Apoſtolis in toto orbe catholico ſolummodo commendat, & inculcat. Amplius hoc valet in ea valde veriſimili ſententia, quæ ex ſat claris SS. Scripturarum indiciis tres Jacobos, *Majorem* filium Zebedæi, *minorem* filium Alphæi, & *parvum* (ſic in græco originali textu S. Marci XV. 40. nominatur) Cleophæ filium, diſtinguit; quorum primi duo ex duodecim Apoſtolis, tertius vero, auctor iſtius Epiſtolæ *S. Jacobi* catholicæ, *frater Domini* ad Galat. I. 19. appellatur, ac primus Jeroſolymæ Epiſcopus fuit; unde ſedes illa cognomen Theadelphicæ traxit; quia ab Adelphotheo, ſeu fratre Domini orta: qui tamen & ipſe honoris gratia *Apoſtoli* nomine ornatus fuit, ut Paulus & Barnabas (vide Danielem Papebrochium in Actis Sanct. Tomo I. Maji die I. in Comment. prævio *de gemino Jacobo*).

cobo). Hac ergo in ſententia Jacobus, ipſe non Apoſtolus, profecto non Sacramentum a ſe inventum, ſed a veris Apoſtolis traditione acceptum, & in toto orbe prædicatum, commendat. Ex eo ipſo autem firma concluſio exiſtit; Apoſtolos, qui non ipſi ſolebant inſtituere Sacramenta, ſed a Chriſto ſolum inſtituta prædicare, etiam hoc Sacramentum a Chriſto jam inſtitutum cum ceteris accepiſſe.

Probatur 2°.) SS. PATRUM traditione. *Origenes* hom. 2. in Levit. inter varios modos, quibus in lege Chriſti remittuntur peccata, poſt pœnitentiam laborioſam, cum peccator *non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum*, enumerat etiam unctionem infirmorum, ſubdens: *in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: ſiquis autem infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ &c. &c.*: qua ipſa conjunctione duorum Sacramentorum Origenes ſatis innuit, utrumque ad eandem poteſtatem remittendi peccata, a Chriſto Apoſtolis conceſſam, ac proin ad divinam inſtitutionem, pertinere; nec unctionem extremam eſſe aliud quam conſummationem Sacramenti pœnitentiæ; ſicut Confirmatio eſt perfectio Baptiſmi.

Similia pæne habet *S. Chryſoſtomus* L. III. de Sacerdot. de poteſtate Sacerdotum in relaxandis peccatis: *Neque enim tantum, ait, cum nos regenerant, ſed etiam poſt regenerationem admiſſa peccata condonare poſſunt. Nam infirmatur quis in vobis, advocet presbyteros Eccleſiæ &c.*

S. Innocentius I. Papa ſub initium *ſeculi V.* conſultus a Decentio Epiſcopo Eugubino, utrum illa verba, *infirmatur quis in vobis*, deberent de infir-

infirmis, oleo a Sacerdotibus inungendis, intelligi? utrum etiam publice pœnitentibus hæc unctio concedenda? ſic reſpondit: *non eſt dubium, verba illa de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi, debere; qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt: quo ab Epiſcopis confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus chriſtianis uti licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. - - - Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt; quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur; quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Ubi ſane unctionem extremam Sacramentum eſſe toti Eccleſiæ commune & a S. Jacobo intimatum, & pari cum ceteris Sacramentis honore habendum declarat.

Eodem *Seculo V. S. Cyrillus Alex.* L. IV. de orat. in ſpiritu & verit. contra incantatores agens, primo loco incantationum commendat pro morborum remedio invocationem divini nominis; tum vero addit: *commemorabo etiam divinitus inſpiratam Scripturam, quæ ait: infirmatur quis in vobis? adducat presbyteros &c.* Uſus ergo hujus unctionis infirmorum erat in Ægypto, ac credebatur ſanitatis remedium eſſe æque, ac per eam remitti peccata; prout Scriptura declarat.

Seculo VI. finiente *S. Gregorius M.* in Sacramentario totum ritum deſcribit, quo & oleum pro unctione infirmorum benedici ab Epiſcopo, & ejus unctio infirmo applicari a presbytero debeat. De *Treſano* Seculi VI. presbytero in ejus vita apud Bolland. Tom. II. Febr. narratur, extrema unctione delibutum & viatico ſacro percepto, obiiſſe.

Secu-

Digitized by Google

Seculo VII. Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Lib. pœnitentiali ita ſtatuit: *Ab infirmis, in periculo mortis poſitis, pura eſt inquirenda confeſſio peccatorum, - - - & ſecundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis ſacra unctione olei inuncti, ſecundum ſtatuta SS. Patrum communione viatici reficiantur.* Ubi tria conjunguntur, confeſſio peccatorum, unctio extrema, viaticum; pari utique *Sacramenti* ratione cenſenda. Eodem Sec. VII. *S. Eligius* Noviomenſis Epiſcopus, teſte *S. Audœne* Rhotomagenſi Epiſcopo illius vitæ ſcriptore apud Dacher. Tom. V. Spicilegii L. I. c. 15. Idem de *B. Hunegunde* teſtatur Auctor Anonymus contemporaneus in ejus vita.

Seculo VIII. clare hæc unctio infirmorum præſcribitur in Capit. *Caroli M.* L. VI. c. 75. & 76. Ejusdem mentio fit *Seculo X.* in vita *S. Oſwaldi* Eboracenſis Epiſcopi, ab auctore incerto ſcripti, & Wiberto Archidiacono in vita *Leonis IX.* Papæ *Sec. XI.* *S. Bernardus* Sec. XII. ejusdem Sacramenti meminit in vita *S. Malachiæ* Epiſcopi c. 31.

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. A. 813. *Cabillonenſe II.* can. 48. ſic ſtatuit: *Secundum B. Jacobi Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent: ſic enim ait Jacobus &c.: - - - - Non eſt itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.*

A. 836. *Aquisgranenſe* can. 5. *Siquis infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione, atque oratione*

tione Sacerdotali, nec non unctione ſacrati olei, per presbyteri negligentiam careat, - - - cum acceptione ſacræ communionis. Ubi vides, clare mediam, inter ſacramenta morientium collocari extremam unctionem.

A. 847. *Moguntinum* cap. 26. eandem pro infirmis commendat.

Ticinenſe a. 850. cap. 8. eam vocat *Sacramentum, quod Jacobus commendat, dicens &c.*, item *magnam ſane & valde appetendum Sacramentum; per quod, ſi fideliter poſcitur, & remittuntur peccata, & conſequenter corporalis ſanitas reſtituitur.*

In *Conſtantienſi Concilio* inter quæſtiones de hæreſi ſuſpectis proponendas hæc occurrit: *An credat, quod chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel extremæ unctionis, peccet mortaliter.*

Eugenius IV. in *Florentino* Concilio Decret. ad Armen. inter ſeptem Sacramenta quinto loco eam memorat.

Tridentinum de illa ſtatuit ſequentia Seſſ. XIV. can. 1. *Siquis dixerit, extremam unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino Noſtro inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum; ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum &c.*; item can. 2. *Siquis dixerit, ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; ſed jam ceſſaſſe; quaſi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema ſit.* Idem ibid. cap. 1. ſic docet: *Inſtitutam eſſe ſacram hanc*

hanc unctionem infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem (VI. 12.) *inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum - - fidelibus commendatum, ac promulgatum. S. Marcus* loc. cit. quidem hæc habet de Apoſtolis a Domino in omnem regionem emiſſis: *exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent; & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

Probatur 4.) EX ECCLESIÆ GRÆCÆ ORIENTALIS CONSENSU CUM LATINA: de quo conſtat ex *Gregorio Protoſyncello* in Epitome dogmat. Eccleſ. cap. de extrema unct., ubi *verum Sacramentum eſſe* probat, quia & *externam materiam, & gratiæ divinæ infuſionem, & Chriſti inſtitutionem habet*, quod ultimum probat ex eo, quod *ab Apoſtolis* Marc. VI. 13. *obſervata fuerit*. Eadem pæne habet liber inſcriptus *Confeſſio orthodoxa*, ſummæ apud græcos auctoritatis, quæſ. 117. & 119.

Meletius Syrigus in Refut. articulorum Cyrilli Lucaris ſimilia habet; inter alia rationem Sacramenti ſic evincens: *nec enim credibile eſt, paria juſſuros Apoſtolos, niſi in mandatis a Domino habuiſſent, qui eos ad prædicandum mittens, euntes, inquit,* - - docete omnes gentes, ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. *Unde ſequitur, nihil quidquam Apoſtolos præter præcepta Domini intimaſſe; nihil a ſe ipſis dixiſſe, quod pro humana inſtitutione haberi poſſit; ſed illud tantum, quod ab ipſo DEO & Salvatore noſtro Jeſu, eique conſubſtantiali Spiritu ſancto acceperant.* Similia legere eſt in Reſponſo *Jeremiæ Patriarchæ* Conſtant. ad Wittenbergenſes Lutheranos

ranos; in utraque *Synodo Berrœenſi* contra perfidiam Cyrilli Lucaris; item in *Synodo Jeroſolymitana* a. 1672. a Patriarcha Doſitheo celebrata. Accedunt *Euchologia* omnia *græcorum*, hac in parte cum antiquiſſimo *Sacramentario S. Gregorii M.* prorſus conſonantia; ut videre eſt apud Goar de officio olei Sancti decantato a ſeptem Sacerdotibus a pag. 408.

* Silentium Scripturæ Sacræ de inſtitutione Chriſti, item ſcriptorum primorum trium Seculorum, imo & ſequentium, huic Sacramento pæne unice *objiciunt Lutherani & Calviniſtæ*; atque idcirco volunt, extremam unctionem ortam fuiſſe ex eo; quod, cum in primordiis Eccleſiæ Apoſtoli exercerent donum curationum eo modo, quo Marc. VI. legitur, perperam poſt illud donum etiam ſublatum continuatus fuerit uſus iſtius unctionis tanquam Sacramenti: pæne, ajunt, ſicut continuata lumina medio die ex primo uſu nocturno, & lingua latina ex latinorum conſuetudine.

His *reſpondemus* 1'.) id genus meras ſuſpiciones, ſoli ſilentio hiſtorico innixas, locum non niſi in iis habere poſſe, qui falli poſſe Chriſti Eccleſiam in rebus fidei præjudicata ſententia ſupponunt: 2'.) petimus pari jure ab adverſariis documenta poſitiva id genus ſi factæ mutationis in uſu unctionis iſtius; nec alto ſilentio hiſtoricorum confidimus; quod ipſi adverſarii nobis objiciunt: 3'.) opponimus ex fine Seculi II. *Origenem*, & ex Sec. IV. Chryſoſtomum; qui unctionem extremam ceu complementum Sacramenti abſolutionis pœnitentium deſcribunt: 4'.) opponimus praxin utriusque Eccleſiæ, orientalis, & occidentalis, plane uni-

Digitized by Google

uniformem per tot ſecula. Adde & illud: Jacobum ſolos *presbyteros* hujus unctionis infirmorum miniſtros appellare; cum ex adverſo gratia curationum etiam aliis, quibuscunque DEO viſum erat, communis fieret.

Recte itaque *Tridentini Patres* can. 2. Seſs. XIV. ſupra citato ſuſpicionem iſtam temerariam anathemate ferierunt. Cæterum quia extremæ unctionis Sacramentum ad media ſalutis neceſſaria non pertinet; nec a quoquam fuerat impugnatum; mirum non eſt, minus frequentem illius a Patribus factam fuiſſe mentionem, etiam cum obitus Sanctorum virorum deſcriberent: maxime cum & S. Viatici accepti raro in id genus narrationibus mentio occurrat.

Nihilominus *S. Auguſtinus* quoque in libro, quem *Speculum* inſcribit, agendorum in diverſis adjunctis documenta Chriſtianis præſcribens, infirmis S. Jacobi prædicta verba inculcat; eoque ſatis indicat, etiam ceſſante jam gratia curationum, hoc Sacramentum communiter ægris petentibus ab Eccleſiæ miniſtris fuiſſe adminiſtratum: quia ſecus ejus poſtulationem tam ſecure ſuadere ægrotantibus S. Doctor non potuiſſet.

575.

I. *Materia Sacramenti extremæ Unctionis eſt oleum ex olivis expreſſum.* Ita enim diſcimus ex S. Jacobo: *unguentes eum oleo in nomine Domini.* Ita conſtans usus Eccleſiæ, ita Tridentinum Seſſ. XIV. c. 1. ſtatuit, *oleum eſſe materiam &c.* Porro ſolum oleum ex olivis expreſſum proprie *oleum* ſimpliciter, ſine addito,

 no-

nominatur; ſicut ſola aqua elementaris ſimpliciter *aqua* dicitur.

II. *Oleum ſimplex eſſe debet, non compoſitum ex balſamo, aliisque aromatibus:* quia nec S. Jacobus, nec alii ſcriptores Eccleſiaſtici, de tali admixtione memorant.

* *Nec obſtat*, quod *S. Innocentius I.* in cit. Epiſt. ad Decentium id *chriſma* appellet: conſtat enim, in veterum ſcriptis *chriſma* generatim ſumi pro unctione olei, ſeu ſimplicis ſeu compoſiti. Sic *S. Cyprianus* in Epiſt. 70. ad Januarium, *ungi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus DEI, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.*

** Unde differt *oleum infirmorum* a *chriſmate;* quo baptizati confirmantur.

III. *Benedictio iſtius olei ab Epiſcopo, uti aquæ baptiſmalis ad valorem Sacramenti non pertinet;* quia id neque verba S. Jacobi exprimunt, nec traditio Eccleſiæ docet.

* In latina Eccleſia non niſi Epiſcopus huc uſque admiſſus eſt ad oleum infirmorum conſecrandum: apud græcos vero ſimplices presbyteri vulgo id faciunt; ut videre eſt in Euchologio apud Goarium in notis pag. 436. N. 12.: qui & teſtatur, uſum hunc a Clemente VIII. in ea inſtructione, quam ad latinos Epiſcopos direxit, qui Græcis etiam præerant presbyteris, juſſum fuiſſe Græcis relinqui liberum.

Euge-

Digitized by Google

Eugenius IV. in Decreto ad Armenos, & Tridentinum Seſs. XIV. c. 1., cum requirunt oleum ab Epiſcopo benedictum, ea etiam, quæ ex præcepto Eccleſiæ requiruntur, ſimul exprimunt, & non tantum, quæ ad valorem neceſſaria ſunt. Inde quoque videtur orta permiſſio facta latinis etiam presbyteris in Rituali Romano, ut deficiente oleo (quod in latina Eccleſia Epiſcopus non niſi in feria quinta majoris hebdomadis conſecrat) oleum non conſecratum miſceant in minore quantitate.

IV. *Unctio actualis oleo facta ad ſubſtantiam pertinet.* S. Jacobus quippe ait: *ungentes eum oleo.*

V. *Sufficit autem abſolute unctio una in quocunque organo ſenſorio.* Neque enim verba *S. Jacobi*, nec *Origenes*, nec *Chryſoſtomus*, nec *Innocentius I.* ſupra citati, plus exprimunt; atque idcirco neceſſitate urgente, aut graſſante peſte, *Ritualia* paſſim unam ſolum fieri permittunt.

*** In diverſis diœceſibus diverſa fuit, & hodiedum eſt diſciplina. Communiter oculi, aures, nares, os, volæ, (in Sacerdotibus ſuperior pars utriusque manus, quia inferior jam uncta fuit in ordinatione) & pedes innunguntur. Alicubi etiam ſcapulæ, pectus, & renes, imo & umbilicus. Unctio facienda in formam crucis pollice dextro: quamquam in aliquibus diœceſibus mos ſit, etiam non graſſante peſte, virga longiore id facere: id quod peſtis tempore ubique licitum eſt. Idem nempe hic eſt dicendum de multiplici

unctione, quod de triplici immerſione. Certe in græcorum Euchologiis de unctionum numero ſummum ſilentium eſt.

VI. *Oratio quoque presbyteri inungentis ad valorem Sacramenti ſpectat. Orent ſuper eum*, ait S. Jacobus, *ungentes eum oleo in nomine Domini.* Accedit generalis omnium Eccleſiarum, orientis, & occidentis, traditio, & uſus; ut ex conſenſu *Ritualium* & *Euchologiorum* omnium conſtat.

VII. *Subſtantia orationis conſiſtit in eo, ut exprimat votum presbyteri inungentis ad Deum directum, ut ægro impertiatur gratia Sacramenti.* Hæc enim eſt ipſa emphaſis verborum S. Jacobi, dicentis: *orent ſuper eum ungentes in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: id eſt, petant iſta pro ipſo a Domino, & oratione facta, confidenter ungant eum *in nomine Domini*, certi, de conſecuturo effectu.

**** *Objicies.* Extant formulæ antiquitus uſitatæ in hoc Sacramento, non deprecatoriæ, ſed mere indicativæ, ex. gr. *Mediolanenſis* Eccleſiæ, dicta *Ambroſiana*; item quas refert Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii M. pag. 337., & Martene L. I. de Antiq. rit. Eccleſiæ c. 7. Artic. 3. n. 9., aliique; imo quæ in ipſo Sacramentario S. Gregorii M. prædicto continetur.

Reſpondeo: omnes auctores iſti tantum allegant formulas pronuntiatas ſub ipſa unctione: nunquam vero adducas, ut credam, nullis aliis præmiſſis precibus,

bus, ſolas formulas illas mere indicativas fuiſſe uſurpatas in extrema unctione; cum orationem tam clare præſcribat S. Jacobus. Quodſi vero preces aliæ præceſſerint, quibus Sacramenti gratia ægris peteretur, ſubjunctæ id genus precibus formulæ illæ & ipſæ vim ac ſignificatum orationis implicite hoc ipſo obtinebant, quippe quæ fidem ſimul miniſtri de certo orationis ſuæ effectu eximie exprimebant, ut vere *oratio fidei*, quam exprimit Jacobus, exiſteret.

Hodie in Eccleſia Græca & latina, indeque a ſexcentis & amplius annis, forma precatoria adhibetur; & in latina quidem poſt alias preces, quibus effectus a S. Jacobo expreſſi pro ægro exorantur, hæc formula præſcribitur: *per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, olfactum guſtum, & tactum;* quæ & ab Eugenio IV. in Decreto ad Armenos, & a Tridentino Seſs. XIV. de Extrema Unctione cap. 1., & in variis Ritualibus latinis, quæ inde a ſexcentis annis edita ſunt, communiter aſſignatur.

VIII. *Miniſtri hujus Sacramenti ſunt Sacerdotes.* Ita rurſum S. Jacobus docet: inducat *presbyteros Eccleſiæ;* quos non eſſe Seniores, ſed gradus magiſtratus Eccleſiaſtici & ordinis ſacri ſacerdotalis inſignes perſonas, vel ex eo patet, quod ſecus Apoſtoli ipſi juniores, uti S. Joannes, & ipſe Jacobus ſcriptor hujus Epiſtolæ, ſicuti & Epiſcopi juniores, qualis erat Timotheus (de quo S. Paulus I. Tim. IV. *nemo adoleſcentiam tuam contemnat*) hoc Sacramentum adminiſtrare non potuiſſent. Vide dicta in Dem. cath. §. 174. Tum vero, cum in una Eccleſia non niſi unus eſſe Epiſcopus poſſit, plures au-

 tem

tem Sacerdotes ſimplices (ibid. §. 180. & §. 173. n'. 3.); eo ipſo patet, per *presbyteros* in plurali numero ſimplices Sacerdotes, non Epiſcopos intelligi; non quidem, quod Epiſcopus ab hoc officio excludatur; cum & ipſe utique eminente quodam Sacerdos ſit; ſed quod non requiratur.

IX. *Sufficit ad valorem Sacerdos unus.* Licet enim S. Jacobus numero plurali dixerit, *inducat presbyteros Eccleſiæ;* tamen, cum commendet hoc Sacramentum ceu inſtitutum pro cunctis ægris chriſtianis, ac certum ſimul ſit, maxime initio Eccleſiæ (ac ne hodiedum quidem) non in omnibus Eccleſiis plures fuiſſe presbyteros; ſed, ut S. Epiphanius refert hæreſi 75. (vidè Dem. Cath. §. 173.), ſubinde ſolum Epiſcopum cum diacono fuiſſe ab Apoſtolis in Eccleſia pro ea regendà conſtitutum; certum quoque eſt, S. Jacobum ſolum velle dicere: *inducat presbyteros*, id eſt, aliquem ex presbyteris: fere uti dicimur peccata confiteri presbyteris. Unde *Innocentius I.* poſt verba ſuperius §. 574. probat. 2. citata porro ſubjicit: *Ceterum illud ſuperflue videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt: nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum*, ait, *ſi Epiſcopus dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt; cujus eſt ipſum chriſma conficere. Alexander III.* Papa idem declarat cap. *Quæſivit*, de verb. Signif. Inde eſt hodierna communis latinæ Eccleſiæ diſciplina.

* Eu-

* Euchologium Græcis præſcribit ſeptem adhibere presbyteros teſte Arcudio L. V. c. 3. In latina quoque Eccleſia plures olim fuiſſe adhibitos, colligitur ex Sacramentario S. Gregorii M. apud Menardum pag. 253., ex Codice Tiliano, Rotaldino, Rhemigio-Rhemenſi, ex vita Caroli M., & aliis documentis vetuſtis; & quidem ita, ut unus applicaret oleum, alter verba orationis pronuntiaret: aliquando ſinguli ungebant easdem omnes partes, & ungendo formulam orationis proferebant, uti legere eſt in Codice Tiliano & Rhemigio-Rhemenſi; alias unus unam partem, alter aliam ungebat; ut in Euchologio Græcorum: quisque enim ex ſeptem presbyteris legitur ungere diſtinctum ordinem. De hoc ipſo olim Waldenſes (teſte Raynero in Lib. de Waldenſibus) accuſabant Eccleſiam; quod ſic iſtud Sacramentum non niſi divitum proprium fieret; qui ſoli pretium ſolvere poſſent, quod plures Sacerdotes ſinguli pro ſe exigerent. At iſtorum avaritiam coërcuere Synodi Andegavenſis an. 1283., Rhemenſis & Trecenſis Sec. XV., & Senonenſis a. 1524.

X. *Solis infirmis baptizatis adminiſtrandum eſt hoc Sacramentum. Infirmatur quis in vobis*, ait Jacobus, ad baptizatos ſcribens.

* Græci etiam ſanos paſſim inungunt, & ſæpius quidem: ſed, ut contra *Arcudium Goarius* in notis ad Euchologium affirmate defendit, non Sacramenti inſtar, ſed meræ cerimoniæ loco. Unde nec alias unquam a latinis, nec etiam ab Innocentio IV. Papa in Epiſt. ad Tuſculanum Epiſcopum alio nomine circa hoc Græci reprehenſi ſunt; niſi quod ſanis peccatoribus in ſatisfactionem pœnitentiæ ſolam imperarent unctionem.

Digitized by Google

XI. *Non ſolum infirmis jamjam moriturus, ſed omnibus gravi morbo & periculoſo preſſis, miniſtranda extrema unctio eſt.* Ita S. *Jacobus* docet: *infirmatur quis &c.*: ita *Tridentinum* l. cit. cap. 3. ait: *Hæc unctio infirmis adhibenda eſt; illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti eſſe videantur.* His *Rituale Romanum*, aliaque paſſim, conſentiunt. Et vero eſt utique inter alios is effectus hujus Sacramenti, ut corporis quoque reſtituat ſanitatem: ergo conferri poteſt etiam, antequam hæc ſit deſperata. Unde *græci* omnibus ægris, etiam ſine mortis periculo, hoc Sacramentum conferunt; quin idcirco ab Eccleſia Romana unquam vituperati fuerint.

Et vero probat *P. Martene* L. I. de antiq. rit. c. 7. a. 2. variis exemplis ex veterum monumentis, 1'.) quod olim ſacra hæc unctio ante S. Viaticum, ac proin ægris adhuc mente integris, & nondum penitus deficiente corpore, adhibita fuerit: 2'.) quod unctio iſta per ſeptem dies repeti conſueverit; id quod in jam depoſitis fieri non potuiſſet: 3'.) quod aliqui in Eccleſia, aut ſedentes, aut genuflexi, hoc Sacramentum ſuſcepiſſe referantur; id quod apud Græcos quoque fieri ſolere *Goarius* teſtatur. Addit idem Martene n. 9. & 10., ſeculo XIII. mutatam hanc fuiſſe diſciplinam ex duabus præcipue cauſſis; *primo* quod vulgi animos falſa perſuaſio invaſerit, poſt ſuſceptum hoc Sacramentum non amplius licere convaleſcentibus ad opus conjugale reverti; quæ præjudicia ne conciliorum quidem, puta, *Vigornienſis* an. 1240., *Exonienſis* an. 1287., *Wintonienſis* an. 1307. contrariis ſanctionibus vulgo ſatis eximi potuere: *alteram* cauſſam fuiſſe avaritiam miniſtrorum;

de

de qua jam ſupra dictum eſt. *Adde* & illam multorum falſam perſuaſionem de certa morte ſecutura iis, qui extremo inuncti fuerint.

Deniqve Concilia plura, nimirum *Rhemenſe* a. 1583., *Burdigalenſe* a. 1583., *Bituricenſe* an. 1584., *Mediolanenſe I.* ſub S. Carolo Borromæo, expreſſe ſtatuerunt, extremæ unctionis Sacramentum ægris, cum adhuc integris ſunt ſenſibus, adhibendum eſſe; ut nempe inde ægrotus, propriam ad id ſimul afferens animi religioſam voluntatem, uberiorem gratiam accipiat.

* Interim non denegandum eſt hoc Sacramentum iis ægrotis, qui vi morbi ſubita oppreſſi ſunt; in quibus, uti & in ægris amentibus ac furioſis, eadem obſervanda ſunt, quæ alias de abſolutione Sacramentali moribundis impertienda tradidimus §. 541.

** Dandum vero non eſt *infantibus* adhuc imbellibus; quia primario ad remittendas peccati reliquias inſtitutum eſt; quibus illi carent: nec *amentibus*, qui nunquam ratione uſi ſunt: nec *ſine ægritudine de vita quocunque modo periclitantibus*, *nec capitali ſupplicio deſtinatis.*

XII. *Effectus Sacramenti extremæ unctionis ſunt, qui verbis S. Jacobi exprimuntur*, nempe gratiæ ſanctificantis, ſeu benevolæ divinæ voluntatis, novum efficaciæ gradum; vi cujus ægro conferantur auxilia Dei actualia; *primo* ut ſalvetur corpus, ſi id profit ſaluti animæ, *oratio fidei ſalvabit infirmum*: *deinde* ut infirmi tædia, dolores, & triſtitia ex morbi incommodis, maxime vero ex tentationibus dæmonis in agone ultimo timenda imbecillitas mentis leventur,

tur; *& alleviabit eum Dominus*: *tertio*, ut, *ſi in peccatis ſit, remittantur ei*; id eſt, ut & remittat culpas, ob pœnitentiæ imperfectionem & Sacramenti abſolutionis quemcunque interlapſum defectum reſiduas, & pœnas temporales, etiam ex culpis jam ſimpliciter remiſſis reſiduas. *S. Jacobus* enim univerſe loquitur: *ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Tridentinum hac de re ſic habet Seſſ. XIV. c. 2. *Effectus hujus Sacramenti - - - gratia eſt Spiritus ſancti; cujus unctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias, abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

XIII. *Requiritur ad hos effectus in recipiente Sacramentum prævia de peccatis omnibus gravioribus pœnitentia ſaltem imperfecta, & abſolutio Sacramentalis*; ſaltem per ſe loquendo: nam ſi poſt abſolutionem Sacramentalem jam acceptam æger commiſiſſet novum grave peccatum, quin ob loquelæ & ſenſuum defectum de novo petere abſolutionem poſſet; veriſimiliter ſufficeret ad hujus Sacramenti effectum etiam pœnitentia & dolor prævius imperfectus.

XIV. *Extrema unctio in diverſis morbi periculis recurrentibus iterari poteſt. Infirmatur quis*, ait S Jacobus; id eſt, quoties quis infirmatur. Idem docet *Tridentinum* Seſs. XIV. cap. 3.

* Et

* Et vero olim, ut vidimus, eodem etiam in morbo conſtitutis ægris per dies ſeptem iterabatur.

** Ceterum *de neceſſitate hujus Sacramenti* eadem tenenda ſunt; quæ diximus *de neceſſitate Confirmationis.* Salutis medium neceſſarium abſolute non eſt. Certa autem lex paſtores animarum obligat curandi, ne officio ſuo in adminiſtrando ægris hoc ultimo ſalutis auxilio deſint. De ipſis ægris *Tridentinum* l. cit. c. 3. docet, *nulla ratione audiendos eſſe, qui hanc extremam unctionem a fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant.*

576.

Chriſtus ipſe inſtituit immediate Sacramentum extremæ unctionis. Nam 1'.) Apoſtoli nuſpiam alia in re ſibi ſumſere auctoritatem id genus Sacramentum generale pro univerſa DEI Eccleſia cum certa promiſſione generali determinatæ gratiæ inſtituendi; ſed cum *S. Jacobo* Jeroſolymitano ſolum hoc Sacramentum, ceu jam aliunde inſtitutum, publice ubique prædicarunt, & commendarunt infirmis adhibendum (574. in probat. 1'.) Unde & non niſi *Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI* ſe cum S. Paulo I. Cor. IV. 1., non *inſtitutores*, appellant. 2'.) *Conſenſus* utriusque *Eccleſiæ, Græcæ, & latinæ,* circa eandem originem ſeptem Sacramentorum novæ legis perpetuus, id ipſum evincit. 3'.) *Tridentinum* idem pro certo ſupponit, etſi abſtrahat de immediata, vel mediata inſtitutione, docens Seſs. XIV. c. 1. de Extr. Unct. *Inſtituta eſt ſacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum*

quidem

Digitized by Google

quidem inſinuatum; per Jacobum autem Apoſtolum ac fratrem Domini, fidelibus commendatum, ac promulgatum. Seſs. VII. vero can. 1. generatim decernit, *Sacramenta novæ legis omnia a J. Chriſto D. N. fuiſſe inſtituta, - - videlicet Baptiſmum, - - - - extremam actionem &c. &c.* Porro *inſtituere* eſt eſſe auctorem vis ſignificativæ & efficaciæ Sacramenti; id quod non niſi immediato propriæ auctoritatis interventu fieri poteſt.

* Hugo a S. Victore, Magiſter Sententiarum, S. Bonaventura, aliique non nulli, docuere, ab Apoſtolis hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum, poteſtate a Chriſto accepta, & S. Spiritus inſtinctu: quo ipſo fatebantur, id eſſe a Chriſto mediate profectum. Vide dicta alias de immediata inſtitutione Sacramenti Confirmationis a Chriſto (§. 48. not. 3.).

** Tempus, quo Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, aliud eſſe non potuit, quam intermedium inter reſurrectionem & Aſcenſionem. Cum enim Extrema Unctio complementum quoddam ſit Sacramenti abſolutionis & pœnitentiæ, non niſi iſto jam inſtituto. Joan. XX. 21., illud conſtitutum a Chriſto veriſimiliter credi poteſt: cum expreſſum hac ſuper re Scripturæ teſtimonium deſideretur.

*** Eo ipſo porro ſequitur, *ad Epiſcopos ſolos,* ceu unicos ſucceſſores Apoſtolorum, *propriam ordinariam poteſtatem hujus Sacramenti adminiſtrandi pertinere, nec niſi ab iis delegari presbyteris, ad curam animarum deputatis.* De ſolis enim Apoſtolis dixit S. Paulus I. Cor. IV. 1. *Sic nos exiſtimet homo tanquam miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE
SACRAMENTO ORDINIS.

577.

Sacramentum Ordinis eſt cerimonia ſacra viſibilis, verbis conjuncta, qua ordo ſacer in Eccleſia Chriſti (id eſt, gradus ſtabilis poteſtatis ſpecialis fungendi miniſterio in Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum confectione Dem. Cath. §. 168.), ſimulque gratia ad illum digne exercendum, confertur.

* In citata *Demonſtratione catholica* cap. VII. jam tradidi, Epiſcopatus ordinem a Chriſto inſtitutum, Presbyteratum illo ipſa natura conceptus ſui inferiorem, & ab Apoſtolis primum ab Epiſcopatu ſeparatum fuiſſe; Diaconatum, Subdiaconatum, ac ceteros quatuor minores Ordines, ceu Miniſterii Eccleſiaſtici gradus, ab Eccleſia conſtitutos, ac diviſos fuiſſe. Hoc itaque loco ſolum ratio Sacramenti explicanda mihi ſupereſt; quo quilibet iſtorum Ordinum conferatur. Realitate enim notionis *Ordinis* ſacri partim jam ibidem, partim etiam iſthic Capitibus præcedentibus, ubi realitatem Sacramentorum Baptiſmi, Euchariſtiæ, Confirmationis &c. explicavi, jam oſtenſa, iſthic non niſi realitas *Sacramenti Ordinis* a Chriſto inſtituti porro demonſtranda eſt.

Digitized by Google

578.

Ordinatio miniſtrorum Chriſti, qua ordo, ſeu poteſtas miniſterialis, ad Sacramenta Chriſti nomine perpetuo in Eccleſia conficienda confertur, verum & practicum Sacramentum eſt, ab ipſo Chriſto Domino inſtitutum.

Dogma catholicum *probatur* 1°.) EX SS. SCRIPTURIS, & *ratiocinio*, ex dogmatis, huc usque de quinque prioribus Sacramentis jam conſtitutis, cum omni evidentia deducto; quod ſic inſtituo. Chriſtus Dominus dedit Apoſtolis, ceu miniſtris ſuis, ſua vice fungentibus, poteſtatem conficiendi perpetuo Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, SS. Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis; eamque poteſtatem dando conſtituit eos in ordine publico relate ad Eccleſiam ſuam, ceu Societatem viſibilem nimirum ceu perſonas publicas, publica ſpirituali poteſtate & Chriſti miniſterio inſignes in conficiendis his Sacramentis, ceu mediis ſenſibilibus publicis æternæ ſalutis; idque cum poteſtate transmittendi hunc gradum ordinis ſui publici ad ſucceſſores in perpetuum. Atqui fieri iſtud non potuit ſine ſigno quodam ſenſibili ſacro, quo & voluntatem ſuam ipſe declararet, & quo eodem ſigno ſaltem in genere ſpectato vellet eodem ut ipſi quoque Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, uterentur in ejusdem publici miniſterii ordine ad ſucceſſores ſuos transmittendo. *Ipſe* (Chriſtus) *dedit quosdam quidem Apoſtolos*, ait S. Paulus ad Eph. IV. 11. *alios paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii.* Et vero reipſa conſtat, *miniſterium* baptiſmi conferendi contuliſſe illum Apoſtolis illis verbis: *euntes docete, baptizantes*

zantes eos &c.; miniſterium Sacramenti pœnitentiæ illis, *ſicut miſit me Pater &c.; quorum remiſeritis peccata &c.*; SS. Euchariſtiæ illis: *hoc facite in meam commemorationem:* quæ omnia, aliaque ſimilia Chriſti verba, quibus cetera item Sacramenta conferendi poteſtatem Apoſtolis ſimiliter dedit, veram rationem Sacramenti, & quidem practici, habebant, ſeu ſe ſolis, ſeu forte etiam una cum alia ſibi conjuncta cerimonia, ex. gr. impoſitionis manus; quippe non ſolum ſignificantia, ſed actu conferentia poteſtatem miniſterialem, vice Chriſti conficiendi illa omnia Sacramenta. Tum vero extra dubium eſt, vi ſolius conceptus ſapientiæ & infinitæ benevolentiæ Chriſti tum erga id genus ſuos miniſtros, tum erga Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſitam; quod una cum poteſtate illa etiam ſtabiliter atque in perpetuum conjunctas eſſe voluerit gratias habituales, eo ſpectantes, ut illarum virtute miniſtri quique ſui eo ipſo ordine digne, ſancte, & quam utiliter ad ſalutem publicam fidelium, fungi queant.

Jam vero in aperto eſt, *Sacramenti practici*, in Proleg. §. 446. V. VII. deſcripti, conceptum omnem ad hæc tria capita reduci, videlicet ut ſit ſignum & cerimonia ſacra ſenſibilis ex inſtitutione divina, idemque ſtabile vi ſuæ inſtitutionis, & conferens effectum ſtabilem nimirum gratiam ſanctificantem. Itaque Chriſtus & ipſe Sacramento ordinavit Apoſtolos miniſtros religionis a ſe inſtitutæ, & inſtituit Sacramentum perpetuum practicum, ſaltem *in genere* tale, quo & ſucceſſores Apoſtolorum in eodem miniſterii ſacri ordine deinceps conſtituerentur.

Digitized by Google

* Nihil evidentius eſſe hoc argumento poteſt, ſuppoſitis ſemel dogmatis de tribus ſaltem illis primariis Sacramentis, Baptiſmi, SS. Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, in ſuperioribus capitibus jam ſtabilitis. Dixi vero, Chriſtum Dominum *Sacramenti* perpetui *ritum* ſenſibilem ſaltem *in genere* inſtituiſſe, quo ſacer ordo ſuis miniſtris conferretur; id eſt, ſubſtantialia quædam verba, quibus ejus ordinis poteſtas, atque una huic poteſtati reſpondens gratia, conferretur; additoque aliquo ritu ſenſibili ad idem ſignificandum apto, ex. gr. cum porrigens panem & vinum conſecratum dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* Utrum vero in ſpecie quædam verba, ritumque certum, determinaverit, qui nullo in apice alterari queat; hic quidem in medio adhuc relinquo. Sufficit hic probaſſe, ipſa inſtitutione perpetua ordinis & miniſterii ſacri in Sacramentis conferendis hoc ipſo neceſſaria conſecutione, Chriſtum inſtituiſſe in perpetuum Sacramentum Ordinis, quo iſte in perpetuum conferretur.

Adde jam porro cetera loca *Scripturæ Apoſtolicæ*, in quibus mentio occurrit de ordinatione ab Apoſtolis ad præſcriptum Chriſti facta, qua poteſtatem publici miniſterii Sacramentorum transmittebant reipſa ad alios. Actorum XIII. 2. ſeqq. de Saulo & Barnaba ſic habetur: *miniſtrantibus autem illis* (Apoſtolis) *Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos.* I. ad Timoth. IV. 14. S. Paulus monet Timotheum: *noli negli-*

gligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam (id eſt, jubente & revelante Deo, ſecundum dicta ibid. cap. I. v. 18.) *cum impoſitione manuum presbyterii.* Tum vero ibid. V. 22. Apoſtolus monet ipſum Timotheum inter alia Epiſcopalis officii axiomata: *manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Rurſus vero II. ad Timoth. I. 6. repetit prius monitum: *admoneo te, ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Ex quibus profecto verbis illud rurſus evidens eſt, Apoſtolos reipſa ex mandato Chriſti miniſterii a Chriſto accepti ordinem transmiſiſſe in alios 1'.) per ritum aliquem ſenſibilem, id eſt, *impoſita manu creando* miniſtros Chriſti (hanc enim ſignificationem proprie habet vox græca χειροτονέω, quæ hic continuo occurrit) & cum oratione, ut eis gratia conveniens huic miniſterio a Spiritu ſancto conferretur; 2'.) certo illis perſuaſum fuiſſe, habitualem, id eſt, permanentem, gratiam reipſa ordinatione tali novis miniſtris reipſa una cum ipſa poteſtate miniſterii Chriſti conferri (*gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi, noli negligere; reſuſcites illam &c.*): quæ duo eſſentiam Sacramenti practici abſolvitur.

Probatur 2'.) EX SS. PATRIBUS. Et quidem ordines inde a primis Eccleſiæ temporibus in Eccleſia conſtitutos, & ab Apoſtolis acceptos, ſemper extitiſſe, in Dem. Cath. Cap. VII. Artic. II. abunde oſtendi: quo ſuppoſito, ultro intelligitur, non alio ritu, nec alio ſpiritu, quaslibet perſonas ad eos ab Epiſcopis vocatas fuiſſe, quam qualem ipſi ab Apoſtolis accepiſ-

ſent. Jam vero textus omnes, quos ibidem §. 173. adduxi, ex *S. Epiphanio* de Aërio ex hæreſi 75., ex *S. Chryſoſtomo* Hom. I. in Epiſt. ad Philipp. cap. I. 1., ex *S. Hieronymo* Epiſt. 85. ad Evang. mutuatos, quibus nempe ſoli Epiſcopo poteſtas *ordinandi* alios Epiſcopos & Presbyteros ceu propria, & non communis cum presbyteris, attribuitur, hoc ipſo probant, *ordinationis* actum quo publicum adminiſtrandorum Sacramentorum miniſterium certis ad id vocatis perſonis ab Epiſcopis tribuebatur, ſenſibili quodam ritu, ac certis verborum formulis, conſtare debuiſſe; nominatim autem *impoſitione manuum* Epiſcopi ordinantis.

His adde *S. Gregorium Nyſſenum* Orat. in Baptiſm. Chriſti; ubi ſacræ ordinationis efficaciam expendens ait: *Verbi Chriſti vis Sacerdotem auguſtum & honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi ſegregatum: cum enim unus e multitudine ac plebe eſſet; repente fit præceptor & præſes; - - - - eaque contingunt ei, nihil vel corpore, vel forma externa mutato, ut inviſibili quadam vi ac gratia inviſibilem animam in melius transformatam gerat.* Ecce *benedictionem!* ceu ritum externum, qua *publica perſona* fit ordinatus, & gratiam cum poteſtate publica miniſteriali accipit.

Adde *S. Auguſtinum* L. II. contra Parmen. c. 13. pari ratione probantem contra Donatiſtas, *Sacramentum ordinati* æque *amitti non poſſe*, ac *Sacramentum baptizati*; addens: *ſi enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt.*

S. Cy-

S. Cyrillus Alexandrinus L. XII. in Joan. *oſtendit*, inquit, Chriſtus, *neceſſario ſequi, ut detur iis ſpiritus, qui ad divinum Apoſtolatum per eum deliguntur*: quo pacto gratiam, ceu effectum ordinationis, affirmat.

S. Leo M. Epiſt. 11. ad Dioſc. c. 1. præſcribens, *ordinationes* a jejunis conferri, & recipi oportere, ait; id ex traditione Apoſtolica deſcendere; *ut intelligamus, quanta & dantium, & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

S. Gregorius M. L. IV. in Libros Regum c. 5. *is*, inquit, *qui promovetur, bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.* Ecce rurſum *gratiam* ceu ordinationis effectum?

Adde *S. Ambroſium*, vel quisquis eſt auctor Libri, Ambroſio olim adſcripti, *de dignitate Sacerdotali*, ſic ſcribentem: *Quis dat, frater, epiſcopalem gratiam? Deus, an homo? Reſpondes ſine dubio: Deus; ſed tamen per hominem dat DEUS: homo imponit manus, DEUS largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dexteram; & DEUS benedicit potenti dextera.*

Item alius *Ambroſiaſter* antiquus in Epiſt. I. ad Timoth. IV. *gratiam*, inquit, *dari ſignificat per prophetiam, & manuum impoſitionem. Prophetia eſt, qua eligitur, quaſi doctor futurus idoneus: manus vero impoſitionis verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad hoc opus electus accipiens auctoritatem, ut audeat vice DEI, Domini ſacrificium DEO offerre.*

Probatur 3'. EX CONCILIIS *Carthaginenſe IV.* a. 398. can. 3. ſtatuit: *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manum ſuam juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Ecce uſum ritus externi in ordinatione!

Chalcedonenſe Concilium Oecumenicum a. 450. can. 2.: *Siquis Epiſcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & pretio redegerit Spiritus Sancti gratiam, quæ vendi non poteſt; - - proprii gradus periculo ſubjacebit.* Ecce perſuaſionem certam de effectu gratiæ ordinationi conjunctio!

In *Florentino Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos inter ſeptem Sacramenta numerat Ordinationem.

Tridentinum denique Seſs. XXIII. can. 3. definit: *Siquis dixerit, ordinem ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum; vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi DEI & Sacramentorum; anathema ſit.* Et ibid. cap. 3. docet, *ex Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum eſſe, per ſacram ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri.*

Accedit conſenſus Eccleſiæ Græcæ cum latina, publica praxi & per omnia *Euchologio*, per tot diverſas orientis Chriſtianorum ſectas, per *Neſtorianos*, *Eutychianos*, *Monothelitas*, *Jacobitas*, *Coptos*, *Armenos*, per *Jeremiæ* Patriarchæ

Digitized by Google

chæ Conſtantinop. *reſponſa*, per omnia Græcorum *de Sacramentis* ſcripta publice conteſtatus, & in ipſa profeſſione fidei a *Joanne Paleologo* Græcorum Imperatore, ordinationem *inter ſeptem Sacramenta*, ſecundum *id*, *quod tenet Sancta Romana Eccleſia*, enumerante: unde nec ulla unquam hac in parte Græcis eſt a latina Eccleſia intentata lis.

** *Lutherus* Lib. de Captiv. Babyl. & *Calvinus* L. IV. Inſtit. c. 19. *negant*, Ordinationem eſſe Sacramentum; *quia nec* ritu externo uſus eſt Chriſtus ordinans Apoſtolos, *nec* uſquam gratia ordinationi conjuncta fuiſſe legitur: *volunt enim* I. Tim. IV. per vocem χαρίσμα, quam *gratiam* latinus verſor appellat, *donum ſanitatum*, vel aliud ſimile, intelligi. *At enim* evidens eſt, verbis ſaltem publicis & a Chriſto, & ab Apoſtolis exinde, fieri ordinationem ad publicum miniſterium ſacrum debuiſſe; nec, miniſterii tam excelſi poteſtatem ſine gratia inſtitutam a Chriſto fuiſſe, ſuſpicari quidem prudenter licere. Sic autem vel ſola jam verba ordinationis, ſicuti abſolutio confitentium, rationem veram Sacramenti practici habebunt. Χαρίσμα ergo loc. cit. vere gratiam ſanctificantem ſignificat, ſicuti I. Cor. XII. *æmulamini cariſmata meliora*, ubi de *caritate*, ceu majore omnium virtutum, eſt ſermo.

579.

I. *Ordinatio Epiſcopi Sacramentum divinitus inſtitutum eſt.* Nam 1°.) textus omnes S. Scripturæ §. præc. citati, tam de Apoſtolis ab ipſo Chri-

Chriſto ordinatis, quam de ordinatione *Sauli*, *Barnabæ*, ac *Timothei* ad ordinationem Epiſcopalem pertinent, & de iſta revera loquuntur; cum Chriſtus Apoſtolos ſimul presbyteros & Epiſcopos ordinaverit (Dem. Cath. §. 178.). 2'.) Hoc ipſo in ordinatione Epiſcopali reipſa cerimonia ſenſibilis cum certis verbis, impoſitio manuum nimirum cum verbali ſignificatione poteſtatis ordinis Epiſcopalis, intervenit; qua ſimul gratia ordinis Epiſcopalis rite & ſancte exercendi confertur; idque virtute inſtitutionis Chriſti; ac proinde omnia eſſentialia veri Sacramenti. 3'.) Cum ordinis Epiſcopalis exercitium majoris etiam ex aliqua parte momenti ſit tum in docendo, tum in regendo, tum in generandis patribus ſpiritualibus, id eſt, ordinandis tam presbyteris, quam aliis Epiſcopis; ſi non major, par certe neceſſitas eſt gratiæ Sacramentalis ad illo digne fungendum. Ergo dubitari non poteſt, convenientem illi ordini gratiam cum ordinatione Epiſcopali a Chriſto fuiſſe jam in ipſa ordinatione Apoſtolorum lege ſtabili, & etiam pro ſucceſſoribus valitura, conjunctam.

* Mirandum ſane, de re tam aperta, antiquorum Theologorum pœne omnes præcipuos magiſtros aliter ſentire potuiſſe; cumque, ordinationem ſimplicis presbyteri Sacramentum verum eſſe; pro dogmate catholico communiter ſtatuerent, negaſſe nihilominus, Epiſcopi ordinationem Sacramenti veram rationem habere; quin deſiderari conſequentiam doctrinæ, imo præcipuam argumentorum vim enervari adverterent; ex quibus ipſimet probare conſueverant, presbyteratus ordinem vero Sacramento conferri. Interim hæc ipſa diſſenſio Doctorum ſcholæ de hoc capite in cauſſa fuit, ut *Tridentini*

dentini Patres a definienda pro dogmate theſi prædicta abſtinerent; contenti ſtatuiſſe Seſs. XXIII. can. 7., Epiſcopatum eſſe ſuperiorem presbyteratu; quin etiam expreſſe decernerent; an vi divini *juris, an alio ex nomine, ea præcellentia exiſteret.

580.

II. *Etiam ſeparato ab Apoſtolis Epiſcopali ordine a presbyteratu* (Dem. Cath. §§. 178. 179.) *cum presbyteri in Epiſcopos ordinantur, ordinatio Epiſcopi ſpeciali Sacramento conſtat.* Haud dubie enim ex divina inſtitutione eſt; habet ritum ſpecialem impoſitionis manuum cum certa verborum formula, qua ſignificetur collatio ordinis ſeu poteſtatis Epiſcopalis, & gratia huic ſuperiori ordini propria conferatur.

581.

III. *Facta tamen ſeparatione ordinis mere ſacerdotalis ab Epiſcopali ipſa natura Epiſcopalis ordinis requirit, ut is ſecundum gradum ſuperiorem ſibi proprium nulli conſeratur, niſi idem prius jam gradu ordinis ſacerdotalis inſignitus fuerit.* Oportet enim, ut prius ipſe habeat ordinem Sacerdotalem; antequam cuiquam detur poteſtas illum conferendi aliis per Epiſcopatum.

* Atque iſtud quidem ſemper obſervaſſe Apoſtolos, poſtquam ſemel ſeparare cœpere presbyteratum ab Epiſcopatu, extra dubium eſt. An vero nunquam contulerint ſimul una ordinatione Presbyteratum & Epiſcopatum; id quidem ex SS. literis colligere expreſſe non licet; veriſimiliter tamen diſciplinam deinceps ne-

ceſſario in uſum Eccleſiæ deductam mox ipſi, vel dictante S. Spiritu, vel etiam inſtituente ipſo Chriſto, in praxin exemplo ſuo ſtabili deduxere.

582.

II. *Ordinatio presbyteri etiam ſine Epiſcopatu Sacramentum eſt.* Eſt enim ordinatio presbyterii collatio publicæ poteſtatis phyſicæ & miniſterii Jeſu Chriſti in conficiendis reliquis Sacramentis, excepto Sacramento ordinis; ac proin; ut nec Apoſtolis a Chriſto ordinatis presbyteratus ordo una cum Epiſcopatu, ita nec facta ſeparatione idem ſine Epiſcopatu ab Apoſtolis ſeorſum conferri potuit, niſi ritu & formula quadam verborum publica ſignificativa collatæ talis publicæ poteſtatis: & ſicut Chriſtus Dominus ordinatis a ſe Apoſtolis gratias adjunxit pro ordine ſacerdotali, & Epiſcopali ſimul; ita haud dubie ſeparato utroque ordine conjuncta manſit ordini Sacerdotali reſpondens eidem pars gratiæ ſacramentalis. Et vero mox acturi de ſubſtantiali ritu ordinationis ſacerdotalis oſtendemus, presbyteros æque ac Epiſcopos manu impoſita ſemper ab Epiſcopis conſueviſſe ordinari, tam in græca, quam in latina Eccleſia.

*** *Tridentinum* (uti nec ullum aliud Concilium) nec de hac theſi ſpeciatim aliquid conſtituit; ſed ſolum de *ſacra ordinatione* in genere definivit, *eſſe Sacramentum*; uti ſupra §. 578. probat. 3. allegavi.**

583.

III. *Ordinatio Diaconi Sacramentum Eccleſiaſticum eſt, non divinum* (§. 446. VII.). Nomine

mine enim Eccleſiæ (non Chriſti) miniſtrant miniſtris Chriſti in confectione Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum: neque enim profecto Apoſtolus I. Cor. IV. 1., cum diceret: *Sic nos exiſtimet homo tanquam miniſtros Chriſti &c.* diaconos ea voce complexus eſt. Quodſi Eccleſiæ nomine miniſtrant, ceu ab illa ad hoc ſacrum miniſterium deputati, Sacramento ab Eccleſia conſtituto ordinari eos ſufficiebat, & conſentaneum erat. Etſi itaque ordo diaconatus, ſeu miniſterii nomine totius Eccleſiæ gerendi, neceſſarius & ex divina ordinatione ſit, ſuppoſita Sacramenti & Sacrificii Euchariſtici inſtitutione: collatio tamen hujus ordinis, uti ad Eccleſiam pertinet, ita divinitus inſtituto Sacramento nec opus habebat, nec vero iſtiusmodi inſtitutionis divinæ veſtigium ſeu in SS. literis, ſeu in veterum traditione, uſquam reperire eſt (Dem. Cath. §. 187. not.). Poterat enim Eccleſia Sacramento a ſe ipſa conſtituto, quos vellet, ad iſtud miniſterium ſuo nomine gerendum deputare: *quod primum.*

Porro Sacramenti tamen Eccleſiaſtici veram rationem in ordinatione diaconi intervenire, ex eo evidens eſt; quod cerimonia ſacra, ex inſtitutione Eccleſiæ vim ſignificativam poteſtatis ſacræ habente ordinentur, nimirum impoſitione manus Epiſcopalis, & oratione (Act. VI. Apoſtoli *orantes impoſuerunt* diaconis *manus*); cui gratia haud dubie ex virtute meritorum totius Eccleſiæ, pro eadem illi largienda Chriſtum ſponſum ſuum rogantis, reſpondet: *quod alterum.*

584.

584.

IV. Cum reliquorum ordinum miniſteria non niſi partes quædam ſint totius miniſterii ſacri Eccleſiaſtici, Eccleſiæ ſtatutis ita in plures gradus diviſi (Dem. Cath. §§. 188. 189. 190.) patet, *idem quoad rationem Sacramenti de Subdiaconorum, Acolythorum, Lectorum, Exorciſtarum, & Oſtiariorum ordinatione ſentiendum eſſe; quod §. præc. de ordinatione diaconorum dictum eſt.*

* *Diaconi* tamen ſoli miniſtrant miniſtris Chriſti Sacramenta divina conficientibus circa ipſam confectionem & diſpenſationem iſtorum Sacramentorum; atque idcirco ſacratior hic ordo præ ceteris, magisque neceſſarius, inde ab ipſo Eccleſiæ exordio habitus eſt. *Subdiaconi* vero *circa materiam* ſolum Sacrificii, *proxime* quidem, tanquam in vaſis ſacris jam poſitam, *Acolythi* vero ſolum *remote*, eam afferendo, ut in vaſis ſacris reponatur, miniſtrant. Ceteri adhuc remotius miniſtrant *circa recipientes* Sacramenta Chriſti, nempe *lectores* inſtruendo fideles; *Exorciſtæ* energumenos liberando ab impedimento dæmonum; *oſtiarii* infideles arcendo. De *Tonſura*, cum ordo non ſit, nihil iſthic dicere habemus. Amplior de his diſſertatio ad rituum ſacrorum doctrinam pertinet, non ad dogmaticam Theologiam.

585.

Ad ſubſtantiam Sacramenti ordinis, tam Epiſcopatus, quam Presbyterii, pertinet ſola impoſitio manuum ordinantis, & oratio, qua & pote-

poteſtas ordinis conferenda ſignificetur, & gratia ordini conveniens pro ordinato ab ordinante exoretur.

In SS. LITERIS enim his ſolis Apoſtoli ordinaſſe & Epiſcopos, & Presbyteros, imo & Diaconos, leguntur; ut ex textibus §. 578. allatis quidem de Sauli, Barnabæ, & Timothei ordinatione in *Epiſcopos* patet: de *diaconis* vero Act. VI. 6. *& orantes impoſuerunt eis manus*: de *Epiſcopis* ſimul *& presbyteris* a Paulo & Barnaba in Lycaonia ordinatis videtur ſermo eſſe Act. XIV. 22.: *& cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino;* ubi vox græca in originali textu occurrens χειροτονησαντες proprie ſignificat, *cum manus impoſitione crearunt.*

Porro manus impoſitionem & orationem ſolam conſentiente uſu perpetuo utraque *Eccleſia*, tam *græca orientalis*, quam *occidentalis latina* obſervat; in ceteris autem ritibus cunctis nullo pacto conveniunt; quin unquam una alteri hac in parte errorem objecerit. His poſitis ita ſtatuo. Vel Chriſtus ipſe ſubſtantialem hujus Sacramenti ritum determinavit, & Apoſtolis in ſpecie ſervandum, & propagandum in perpetuum, præſcripſit: vel reliquit in ſpecie Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus determinandum: alterutrum ex his verum ſit neceſſe omnino eſt.

Si primum: profecto Apoſtoli accuratione ſumma & obſervarunt ipſi, & omnibus Eccleſiis ſine ſubſtantiali variatione tradiderunt, quod ab ipſo Chriſto ſciebant invariabili lege conſtitutum;

tum; ac proinde non niſi iis ritus ſubſtantialis, & a Chriſto determinatus eſſe poteſt; qui pari accuratione & ab Apoſtolis, & ab utraque Eccleſia, græca, & latina, omni tempore eſt obſervatus, & pro ſufficiente habitus; ſic, ut nulla alteri crimen vitiati iſtius tanti Sacramenti objiceret; a quo propagatio & conſervatio omnis chriſtiani Sacerdotii penderet.

Si vero alterum potius verum eſt: rurſus quod ſolum obſervatum in ordinationibus ab Apoſtolis æque ac ab utraque Eccleſia fuiſſe dicto modo novimus; id ipſum quoque unice pro ſubſtantiali ritu, ſeu ab Apoſtolis, ſeu ab eorum quibusvis ſucceſſoribus, conſtitutum, ac præſcriptum, cetera vero, ceu minus ſubſtantialia, majoris ſolennitatis & expreſſioris ſignificatus cauſſa ſolummodo adjecta fuiſſe, pro certo concludere debemus. Itaque ad ſubſtantiam Sacramenti ordinis &c. &c.

* *Si dicas*: Chriſtum in ordinatione Apoſtolorum nec impoſitione manuum, nec oratione, uſum fuiſſe legi: *reſpondeo*: cerimonia tamen ſacra quacunque, aut verbis ſolennibus, ut Apoſtoli poteſtatem publici ſacri miniſterii ſui in alios ſucceſſores transmitterent, neceſſitatem ipſa perpetua Ordinis Apoſtolici inſtitutione Chriſtus ipſe impoſuit (§. 578 probat. 1.): ergo vel ipſe cerimoniæ illius ritum determinavit; vel profecto determinandi eundem in ſpecie Apoſtolis auctoritatem ipſo facto conceſſit.

Si *rurſum apponas*: nec Apoſtolos meros presbyteros ordinaſſe legi; cum Act. XIV. 22. per *presbyteros* probabilius Epiſcopi intelligantur: & vero S. Epiphanium

phanium hæreſ. 75. expreſſe affirmare, Apoſtolorum ætate *vix alios* fuiſſe conſtitutos quam Epiſcopos & Diaconos; non ſimplices presbyteros; *quia neceſſitas Eccleſiæ eos non poſtulabat, cum magna multitudo* (fidelium) *non eſſet* (Dem. Cath. §. 173. n. 1.): *reſpondeo*: falſitatem aſſerti vel uno illo ex textu S. Pauli I. Tim. V. 19. patere: *adverſus presbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*: ubi conſenſu omnium per *presbyterum* ſimplex ſacerdos intelligitur. Nec vero *S. Epiphanius* dicit, *nullos presbyteros* ab Apoſtolis eſſe ordinatos, ſed *vix alios* &c.

Quodſi etiam fingas, non ab Apoſtolis, ſed ab Epiſcopis per Apoſtolis ordinatis ſeparatum fuiſſe ſimplicem presbyteratum ab Epiſcopatu, & Sacramenti prioris ritum auctoritate Eccleſiæ (permittente id Domino) primum in ſpecie determinatum; veriſimile tamen non eſt, Epiſcopos, qui ab Apoſtolis jus ſeparandi presbyteratus ordinem ab ordine Epiſcopatus accepiſſent, aut non ſimul accepiſſe ordinationis ſacramentalem ritum, aut non communi lege ſtabilitam ejus ſubſtantiam in tota Eccleſia conſervaſſe.

** *In latina Eccleſia Epiſcopus hoc ritu conſecratur.* Conſecrans librum Evangeliorum apertum, adjuvantibus Epiſcopis duobus aſſiſtentibus, imponit ſuper cervicem & ſcapulas ordinandi, nullo prolato verbo. 2.) Omnes tres Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt, dicentes: *accipe Spiritum Sanctum*; quo facto conſecrator ſtans, depoſita mitra, dicit orationem: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris &c.*

&

& inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem: per D. N. J. Ch. &c. &c. 3.) Conſecrator caput ordinandi chriſmate inungit, dicens: *ungatur, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Pontificali: in nomine Patris &c.* Sequitur ſimilis longior oratio. Tum ſimiliter ungit ambas manus conſecrandi ſimili ſub prece. 4.) Benedictum baculum paſtoralem conſecrans ordinando tradit, dicens: *accipe baculum paſtoralis officii &c.* 5.) Simili ſub formula annulum benedictum digito ejusdem inſerit. 6.) Conſecrans acceptum de ſcapulis conſecrati Evangeliorum librum tradit clauſum conſecrato, tangenti illum ſine apertione manuum, dicens: *accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo.* Deinde conſecrator recipit conſecratum ad oſculum pacis. 7.) Conſecrator mitram benedictam imponit capiti conſecrati, adjuvantibus duobus aſſiſtentibus Epiſcopis, dicens: *Imponimus, Domine, capiti hujus &c.* 8.) Denique Chirothecas etiam benedictas manibus imponit conſecrator cum nova precis formula. Vide hæc omnia in *Pontificali Romano.*

*** *Apud Græcos* Pontifex, Epiſcopo conſecrando coram altari flectente, chartam a chartophylace porrectam legit, his verbis inſcriptam: *Suffragio & conſenſu DEO amabiliſſimorum Epiſcoporum & Reverendorum Presbyterorum. Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea, quæ deſunt, adimplet, promovet N. DEO amabiliſſimum presbyterum in Epiſcopum a DEO cuſtoditæ civitatis N. Oremus pro ipſo, ut veniat*

ſuper

Digitized by Google

ſuper eum gratia SS. Spiritus. 2. Epiſcopus conſecrans imponit capiti librum Evangeliorum, manum ſimul admoventibus Epiſcopis aſſiſtentibus. 3. Tum tres cruces in ejus capite exprimens, manumque ei impoſitam tenens, dicit orationem; qua gratiam S. Spiritus ei exorat, ut ſancte obeat munus ſuum. Sequitur oſculum pacis, & traditio baculi paſtoralis &c. &c.

**** *Presbyteri apud latinos* ſic ordinantur. 1. Epiſcopus ambas manus ſuper cujusque ordinandi caput imponit, nihil dicens; idemque faciunt omnes Sacerdotes ordinationi præſentes. Deinde Epiſcopus una cum his Sacerdotibus tenet manus extenſas ſuper ordinandos, & ſolus orat: *Oremus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos in presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & ſuper eosdem S. Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infundat virtutem. Oremus. Exaudi nos, quæſumus, Domine DEUS noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem S. Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem &c.* 2. Epiſcopus ſtolam ſingulis ante pectus in formam crucis adaptat, dicens: *accipe jugum Domini* &c. 3. Imponit caſulam ad ſcapulas, dicens: *accipe veſtem Sacerdotalem &c.* 4. Ambas manus inungit oleo catechumenorum dicens: *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas &c.* 5. Tradit cuique calicem cum vino & aqua, & patenam ſuperpoſitam cum hoſtia, & ipſi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis, & patenam cum hoſtia ſimul tangunt, dicente ſingulis Epiſcopo: *accipe poteſtatem offerre ſacrificium DEO, miſſasque celebra-*

re, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini. 6. Sub finem Miſsæ, quam ſimul cum Epiſcopo celebrarunt, Epiſcopus ambas manus ſuper capita ſingulorum imponit, ſingulis dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt.* 7. Explicans caſulam ait: *Stola innocentiæ induat te DEUS.*

***** *Apud Græcos Presbyteri* hoc ritu ordinantur. 1. Epiſcopus ordinandi frontem ter cruce ſignat. 2. Dextram manum ſolus (ſine presbyteris) capiti ordinandi impoſitam tenens exclamat: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea, quæ deſunt, adimplet, promovet N. devotiſſimum Diaconum in Presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat ſuper eum gratia Sanctiſſimi Spiritus.* 3. Iterum Pontifex ter eum ſignat, manuque capiti impoſita fundit orationem, qua DEI auxilium infundi ordinando precator. 4. Rurſus impoſita manu aliam orationem fundit, qua finita ſtolam ſupra pectus adaptat, induit caſula, oſculum ab ordinato recipit cum ceteris presbyteris præſentibus. Tum ordinatus ſtans in loco presbyterorum, Lyturgiam una cum iis recitat. 5. Ordinans ſanctum panem dat ordinato, dicens: *accipe depoſitum hoc &c.* Ex quibus vides, apud Græcos nec presbyteros imponere manus ordinandis, nec tradi ulla inſtrumenta, nec adhiberi ultimam impoſitionem manus Epiſcopalis cum illis verbis, *accipe Spiritum Sanctum; quorum remiſeris peccata &c.*: primæ autem impoſitionis manuum formulam in ordinatione presbyteri perquam ſimilem eſſe cum

ea,

ea, quæ occurrit in ordinatione Epiſcopi apud eosdem Græcos.

586.

I. *Nec porrectio inſtrumentorum, ſeu ſacrorum vaſorum cum materia ſacrificii, nec ultima manus impoſitio Epiſcopi cum illis verbis,* accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c., *ad ſubſtantiam Sacramenti in ordinatione Presbyteri pertinet; neque etiam ipſa prima manuum presbyterii totius impoſitio, quæ juxta not.* 4. *§. præc. n.* 1. *in ſilentio fit.*

His omnibus enim cerimoniis *græca Eccleſia* ſemper & usque caruit. Inſtrumentorum uſus in *Eccleſia* ipſa *latina* ante annos octingentos in nullo Sacramentario, vel Rituali libro, vel alio veteri documento reperitur; ſed primum illius documentum eſt *Pontificale Radbodi* Epiſcopi Noviomenſis; cujus character ex ſententia P. Martene L. I. de antiq. rit. c. 8. accedit ad ſeculi decimi formam. *Codex* quoque *Abbatis Conſtantini* annorum 700. eſt, in quo item illius porrectionis inſtrumentorum mentio fit. *Unctionem manuum* latina in Eccleſia uſui eſſe in ordinatione Presbyterorum, negat nono adhuc Seculo expreſſe *Nicolaus I.* Papa in Epiſt. 39. ad Rodulphum Bituricenſem Epiſcopum, de eo ſciſcitantem.

Ultima quoque *manus impoſitio* cum verbis, *accipe Spiritum S.*, per duodecim ſecula in Eccleſia etiam latina fuit incognita, nec uſpiam invenitur adnotata, & teſte Joanne Major an. 1516. adhuc in multarum Eccleſiarum Ritualibus deerat. Silet denique de his omnibus Scri-

 ptura,

ptura, ordinationes ab Apoſtolis factas memorans. Neque Chriſtus ipſe ſingulis Apoſtolis calicem conſecratum in cœna ultima, ſed Apoſtoli ſibi invicem unus alteri diſtribuerunt.

587.

II. *Etiam in Epiſcopi ordinatione ſola manus impoſitio cum oratione ad eſſentiam Sacramenti pertinet:* quia hac ſola uſus Apoſtolos legimus: unctione autem græci carent: ceteræ autem cerimoniæ ad ſolennitatem manifeſte pertinent, non ad ſubſtantiam.

* *Carthaginenſe IV.* a. 398. ſatis accurate memorat ritum ordinationis utrumque, prorſus conſone huc uſque dictis. Cap. 2. *Epiſcopus*, inquit, *cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.* Cap. 3. de *Presbyteri* ordinatione ſic ſtatuit: *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper ejus caput tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Id quod verbo tenus repetitur in *Sacramentario S. Gregorii M. S. Cyprianus* ep. 68., *S. Hieronymus* in cap. 58. Iſaj. abſolute ajunt *ordinationem fieri, impleri, per manus impoſitionem.* Nec *S. Iſidorus*, nec *Amalarius*, nec *Rabanus*, nec *Alcuinus*, nec *Walafridus*, qui ex propoſito de ordinationibus Sec. VI. & IX. ſcripſere, aliud præter illam memorant.

** De

Digitized by Google

** De *Codicis Evangeliorum* impoſitione ſuper caput Epiſcopi ordinandi communior ſententia Theologorum eſt, eam eſſe neceſſariam. *At enim* Apoſtoli ea profecto uſi non ſunt, cum nondum ea ætate, qua factæ ab illis ordinationes in Actis Apoſtolorum & in I. ad Timoth. memorantur, Evangelia extarent. Univerſe autem cerimoniæ poſt Apoſtolos primum inſtitutæ regula vulgari pro mere Eccleſiaſticis, & ad ſubſtantiam Sacramentorum non pertinentibus habentur, etſi utrique Eccleſiæ, Græcæ & latinæ, communes ſint.

*** *Neque dicas* 1. *Eugenium IV.* in Decreto Armenis nominare porrectionem inſtrumentorum pro materia Sacramenti ordinis; 2'. *Innocentium III.* c. Paſtoralis, & *Gregorium IX.* c. Presbyter. de Sacram. non iterand. dicere, iterandam non eſſe ordinationem factam ſine manus impoſitione, ſed ſupplendum eſſe, quod omiſſum fuit, item Gregorium IX. addere, impoſitionem manuum eſſe *ritum ab Apoſtolis introductum*: 3'. *Tridentinum* Seſs. XXIII. can. 4. ait, Epiſcopos non fruſtra in ordinatione dicere, *accipe Spiritum Sanctum*; ex eoque probat, gratiam in hoc Sacramento conferri: 4'. Chriſtum reipſa Apoſtolis diverſo tempore poteſtatem conſecrandi SS. Euchariſtiam, & remittendi peccata tribuiſſe: 5. concipi non poſſe, quo pacto introductis primum novi ritus in ordinationibus fuerint; niſi jam inde a primis Eccleſiæ temporibus reipſa jam in uſu fuerint.

Digitized by Google

Nam *reſpondeo ad* 1. Eugenius IV. materiam accidentalem Armenis commendat, qua adhuc carebant; cum impoſitione manuum jam prius cum Græcis uterentur. Neque decretum illud, ceu privata alicujus gentis rudioris inſtructio, pro publica Eccleſiæ regula dogmatica haberi poteſt; cum nec prævio illorum omnium capite examine, nec toti Eccleſiæ pro tali regula propoſitum fuerit.

Ad 2. Pontifices iterari non poſſe ordinationem innuunt, quæ valida non fuit. Vere autem impoſitio manuum ab Apoſtolis introducta eſt; quia Chriſtus ipſe eam non adhibuit. Quæritur autem, an non vel inſtituente in ſpecie Chriſto, vel certe ipſimet pro auctoritate accepta ceu eſſentialem, præſcripſerint, & adhibuerint: id quod uſus & praxis generalis & perpetua ſatis probat; ut aliter poſitive judicare prudenter non liceat: etſi ad dogma non pertineat.

Ad 3. Etſi illa verba ad cerimoniam meram pertineat; tamen non fruſtra ſunt; quia mentem Eccleſiæ declarant de gratia Sacramentali.

Ad 4. Chriſtus plura fecit, quæ ad inſtitutionem Sacramentorum pertinebant, non ad collationem: ſecus ab Apoſtolis certo fuiſſent obſervata. Sic & *inſufflavit* in Apoſtolos.

Ad 5. Eodem modo porrectio inſtrumentorum ſucceſſive ab Epiſcopis in Ritualia inſerta eſt; ſicuti unctio manuum, quæ tempore Nicolai I. Sec. IX. in Romana Eccleſia, & ſicut ultima impoſitio manuum, quæ teſte Joanne Major Sec. XVI. ineunte in multis Ritualibus, nondum extabant, pedetentim receptæ ſunt.

588.

Digitized by Google

588.

Etiam in Diaconi ordinatione ſola manus impoſitio cum oratione eſſentialis eſt. Hac enim ſola uſi, item Apoſtoli Act. VI. in ſeptem Diaconorum ordinatione leguntur; & ſola Eccleſiæ græcæ cum latina communis eſt, non item porrectio libri Evangeliorum; quo certe tunc Apoſtoli, imo & latina ipſa Eccleſia per decem priora ſecula, carebant. Nec veriſimile eſt, latinam Eccleſiam, cum novas cerimonias addendas ſtatuit, voluiſſe eas contra Apoſtolorum uſum eſſe ſubſtantiales.

* *Carthaginenſe IV.* a. 398. cap. 4. ita ſtatuit: *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat; quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.*

** Interim quia perquam veriſimilis eſt ſententia, Chriſtum Eccleſiæ determinationem rituum Sacramentalium in ſpecie reliquiſſe; ac proinde fieri potuiſſet, ut ritus omnes præfati ceu eſſentiales ab Eccleſiis fuiſſent conſtituti (etſi hac de re promulgatione legis ſolenni ac publica foret opus) quia etiam Eccleſia vult omnes etiam non eſſentiales ritus exacte in Sacramentorum collatione obſervari; maxime cum a valore ordinationis Epiſcoporum & Presbyterorum valor omnium Sacramentorum ab eisdem conficiendorum pendeat: idcirco tum ex lege Eccleſiaſtica, tum ex communi Theologorum ſententia, nulli ordinato licet fungi exercitio ordinis accepti, quamdiu probabiliter exiſtimat, aliquam ex prædictis cerimoniis in ſua ordinatione fuiſſe intermiſſam.

Digitized by Google

*** Tribus Sacramentis porro antiquitas nomen *impoſitionis manuum* indidit, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Ordinis. Duo priora aliquando ſic diſtinguit, ut *Confirmationem* vocet *manus impoſitionem in Spiritum Sanctum, Sacramentum Pœnitentiæ* vero *manus impoſitionem in pœnitentiam:* ſed *Ordinis Sacramentum* exemplo ipſarum SS. Scripturarum deſignat fere ſemper abſolute *per manus impoſitionem:* quæ quidem ſignificat præſentem divinæ potentiæ & gratiæ efficaciam.

589.

Sacramenti Ordinis miniſter vi propriæ poteſtatis ex ordinatione ſua acceptæ eſt ſolus Epiſcopus. Dogma catholicum *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS. *Chriſtus* enim ſolos Apoſtolos cum poteſtate ordinis non ſolum conficiendi cetera Sacramenta, ſed etiam cum poteſtate ordinandi alios ſui in toto ordine Apoſtolico ſucceſſores, conſtituit illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem;* & *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* (Dem. Cath. 126. 128.). *Apoſtoli* ipſi non niſi per ſe ipſos primos ſucceſſores in officio ſuo conſtituerunt (§. 578. in prob. 1.); & omne diſcrimen Epiſcopi a Presbytero inde a principio Eccleſiæ exinde derivatum eſt; quod Epiſcopis vi ſui ordinis poteſtas propria ordinandi alios, & presbyteros, & Epiſcopos, conceſſa eſſet, non item presbyteris; ut in Dem. Cath. §§. 173. usque ad 181. oſtenſum jam a me eſt.

Probatur 2°.) EX SS. PATRIBUS, nominatim *S. Epiphanio, S. Hieronymo, S. Chryſoſtomo, Theodoreto;* quos in Dem. Cath. §. 173. & ſeqq. oſtendi communiter id pro certo tenere ordinationis

tionis poteſtate propria Epiſcopos etiam ſupra presbyteros eminere. Unde & *S. Chryſoſtomus*, communisque omnium interpretum, maxime græcorum, ſententia, verba illa I. Timoth. IV. 14. *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterii*, interpretatur, *non de presbyteris, ſed de Epiſcopis*, intelligenda eſſe: *neque enim*, ut ait Chryſoſtomus, *profecto presbyteri Epiſcopum* (Timotheum) *ordinaſſent.*

Probatur 3'.) EX CONCILIIS. *Synodus Alexandrina* a. 319. in Epiſt. Synod. probat, *Iſchyram* S. Athanaſii accuſatorem verum Presbyterum non fuiſſe; quia a Collutho ſimplici duntaxat presbytero, non ab Epiſcopo, fuiſſet ordinatus. *Concilium Hiſpalenſe II.* a. 619. cap. 5. invalidas ordinationes Presbyteri & duorum Levitarum declarat, in quibus *Epiſcopus eorum, oculorum dolore detentus, ferebatur manuum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & Presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem, benedictionem dediſſe.* Denique *Tridentinum* Seſſ. XXIII. can. 7. definiit: *Siquis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem, anathema ſit.*

* *Dices* vero: etiam presbyteri manus una cum Epiſcopo imponunt ordinando presbytero, juxta illud Apoſtoli I. Tim. IV. 14. noli *negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterii;* ac proinde & ipſi ordinant.

Reſpondeo: loco citato I. Timoth. de Timothei in Epiſcopum ordinatione eſt ſermo, ut modo dictum. Interim impoſitio utraque manuum, tam presbyterorum, quam Epiſcoporum aſſiſtentium ordinationi, presbyte-

byteri, & Epiſcopi, non niſi cerimonia eſt, fraternitatem & conſenſionem animorum ſocietatemque ordinis ejusdem ſignificans, quam ordinatus cum illis de novo inire incipit: id quod ex eo etiam patet, quod aſſiſtentes illi tum presbyteri, tum Epiſcopi, nulla ipſi verba proferant.

590.

Ordinaria ac propria poteſtas conferendi reliquos ordines, Diaconatum videlicet, & qui infra iſtum ſunt, item ad Epiſcopos pertinet. Sic enim Act. VI. Apoſtoli ſeptem diaconos ordinarunt; & poſt hæc omnia Concilia, & generalis Eccleſiæ græcæ, & latinæ, praxis hanc poteſtatem ſolis & Epiſcopis tribuit perinde, atque ordinationem Sacerdotum.

591.

Nihil tamen obſtare videtur, quo minus ex rationabili cauſſa, aut aliqua neceſſitate jubente, etiam ſimplici Sacerdoti diſpenſatione Eccleſiæ, vel S. Pontificis accedente, delegari poſſit poteſtas ordines presbyteratu inferiores omnes conferendi. Omnes enim ordines iſti ad miniſterium nomine Eccleſiæ gerendum in ſacrificio & Sacramentorum confectione conſiſtunt; ipſaque ordinatio ad illos non niſi Sacramento Eccleſiaſtico, non divino, conſtat (583. 584.). Porro nihil obſtat ſpectato iſto conceptu, quo minus poteſtas Sacramentum Eccleſiaſticum & miniſterium Eccleſiæ nomine gerendum conferendi presbytero delegetur, alieno Epiſcopi nomine exercenda.

Probant id ipſum privilegia, non ſolum Cardinalibus presbyteris in ſuis Eccleſiis, ſed Abba-

Digitized by Google

Abbatibus ab Epiſcopo benedictis pro ſuis monaſteriis, circa minores ordines Can. 14. Synodi VII. generalis, & cap. *Requiſivit*, quod eſt Alexandri III. Extrav. de ordinatis ab Epiſcopo, & cap. *Contingat*, quod eſt *Innocentii III.* de ætate & qualit. ordinand. conceſſa, & etiam a Tridentino Seſſ. XXIII. cap. 10. indirecte approbata; *probant* privilegia ab *Innocentio VIII.* a. 1489. V. Idus April. conceſſa non nullis Abbatibus Ciſtertienſibus, quam ſe legiſſe, & in Complutenſi Collegio Societatis Jeſu aſſervari teſtatur Vaſquez in III. p. S. Th. diſput. 243. cap. 4.; de qua teſtatur item L. I. Privilegiorum Ord. Ciſtert. privil. 118. item privilegia conceſſa PP. Franciſcanis in India teſte Henriquez in Summa in Adnot. ad Librum X. de Ordine. Et vero uti hoc privilegio Abbates Ciſtertienſes conſtat ex eo, quod 1662. Generalis Ciſtertienſis Romæ conſentiente Alexandro VII. ſuos monachos Diaconos & Subdiaconos ordinarit, & a. 1663. Gandavi. Vide Hennum T. II. p. 489. Nec vero privilegium iſtud a Clemente VIII., ut aliqui falſo obtendunt, nec ab ullo alio Pontifice eſt revocatum.

* *Morinus* de Ordinat. P. III. Exercit. 4. cap. 3., poſt *Vaſquium* cit. loc., appellans non paucos, tum veteres, tum recentiores Scholæ Magiſtros & Canoniſtas, docet eſſe penes S. Pontificem delegare ſimplicem Sacerdotem, non tantum ut Subdiaconos, & Diaconos, ſed etiam ut Sacerdotes poſſit ordinare. Qua de re ſi ſententiam edicere neceſſe ſit; fateor, me repugnantiam abſolute nullo pacto videre: ſiquidem adhuc diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros illud manebit, quod illi *propria & ordinaria poteſtate* non ſolum presbyteros, ſed & Epiſcopos, iſti non niſi *delegata & precaria poteſtate aliquando* ſolum presbyteros, ordinare poſſent.

Et

Et vero tam in *Florentino Eugenius IV.* in Decret. Armen., quam *Tridentinum*, videntur ſtudioſe in medio reliquiſſe hanc quæſtionem, cum ille Epiſcopum vocat *ordinarium miniſtrum* Sacramenti ordinis; iſtud vero ſolum *communem* eſſe Presbyteris cum Epiſcopis *poteſtatem ordinandi*, & *confirmandi*: quo ſalvo, uti confirmationis, ſic & ordinationis extra ordinem & delegatione precaria miniſter eſſe Sacerdos poterit. Interim donec exemplum authenticum iſtius delegationis factæ extet, incerta omnis ſcholaſtica diſceptatio erit. Vide inſuper dicta a me in Cap. II. de Miniſtro delegato Sacramenti Confirmationis §. 488. not. 4.

592.

Etſi ex traditione Apoſtolica ad conſecrationem Epiſcopi tres, vel duo ſaltem, Epiſcopi adhibendi ſint; tamen unus tantum ex eis eſt ordinans, & plurium præſentia non ad valorem requiritur, ſed ad licentiam ſolum.

Nam 1°.) S. Timotheus, licet conſecratus *cum impoſitione manuum presbyterii*, id eſt, plurium Epiſcoporum, tamen II. Timoth. I. 6. dicitur ſpeciatim a S. Paulo ordinatus: *ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

2°.) S. Titus in Creta inſula poſt diſceſſum Zenæ & Apollinis ſolus remanſit, ut *conſtitueret per civitates presbyteros;* quo nomine etiam Epiſcopos intelligi, colligitur ex Epiſt. ad Titum I. 7.: ubi Titum monens S. Paulus, quales dotes requirantur in conſtituendis presbyteris, ait: *oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.*

3°.) S.

3'.) *S. Gregorius M.* L. X. Epiſt. 64. ad S. Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſcribens, ei concedit, ut ſine aliorum Epiſcoporum præſentia, cum ſolus Epiſcopus in Anglia eſſet, ordinare Epiſcopos poſſet; addens: *nam quando de Galliis Epiſcopi venient; illi in ordinatione Epiſcopi tibi teſtes aſſiſtent.* Quodſi *teſtes;* ergo non miniſtri ordinationis.

4'.) *Theodoretus* V. 23. hiſt. refert Evagrium a ſolo Paulino Antiochenum Epiſcopum fuiſſe ordinatum: & licet Paulinus contra Canones egerit; de valore tamen ordinationis Evagrii nulla controverſia eſt mota. Imo Innocentius I. ep. 22. ad Bonif. ordinationes ab Evagrio factas ratas habuit; & in Ep. ad Victricium ideo ad ordinationem Epiſcopi plures Epiſcopos requirit, *ne furtivum præſtitum beneficium videatur.*

5'.) Syneſius Ep. 67. ad Theophilum refert, Siderii Epiſcopi ordinationem, licet a ſolo Philone Cyrenenſi Epiſcopo factam, a S. Athanaſio pro valida admiſſam fuiſſe; eo quod, ut ait, *formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti oporteret.*

6'.) Denique a. 1686. die 29. Dec. Innocentius XI. Godefredo Epiſcopo Würceburgenſi electo indulſit, ut ab uno Epiſcopo, aſſiſtentibus duobus Abbatibus conſecraretur, teſte Gavardo Tom. VI. Theologiæ.

* Quæcunque a Tournelyo contra hanc theſin allegantur Conciliorum & Epiſcoporum decreta & pronuntiata, non plus enuntiant, quam legem Eccleſiæ prohibentem.

593.

593.

Validæ ſunt quoad ſubſtantiam ordinationes factæ ab Epiſcopis hæreticis, ſchismaticis, ſimoniacis, ſuſpenſis, excommunicatis, aut depoſitis; ſi cetera ordinationis eſſentialia obſerventur.

Nam 1'.) *Nicænum I.* generale Concilium can. 8. Novatianos, 2') *Epheſinum* Meſſalianos (ut conſtat ex definitione contra iſtos edita, quæ extat ad calcem 2dæ Partis actorum) & teſte S. Cyrillo Alex. in Epiſtolis ad Maximum & Gennadium Neſtorianos, in hæreſi ordinatos, recepere; quod ultimum 3'.) in *Nicæno II.* Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Actione I. referens, approbationem tulit a toto Concilio. 4'.) De *Donatiſtis*, *extra Eccleſiam* in ſchiſmate *ordinatis*, ab *Africana Eccleſia* catholica tamen in ſuis honoribus ſuſceptis, teſtem conceptis verbis habemus *S. Auguſtinum* Epiſt. 185. ad Bonifacium comitem. Idem generali teſtimonio in L. II. contra Parmen. ep. c. 13. de *ſchiſmaticis* teſtatur obſervari conſueviſſe. *Sicut baptiſmus*, ait S. Doctor, *ita ordinatio in eis manſit integra.*

5'.) *Carthaginenſe Concilium III.* a. 397. can. 38. generatim prohibet *fieri rebaptizationes, reordinationes, & translationes Epiſcoporum.*

6'.) *S. Hieronymus* adv. Lucif. probat, non magis reordinandos, quam rebaptizandos eſſe ejusmodi hæreticos.

7'.) *S. Gregorius* L. II. Ep. 67. idem de ordinatis inter Novatianos obſervandum ſuæ ætate præſcribit.

8'.) *Con-*

8'.) *Concilium Toletanum VIII.* a. 653. cap. 7. idem ſtatuit, addita hac ratione: *ſicut S. Chriſma collatum & altaris honor evelli nequeunt; ita quoque ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet occaſione fuerit perceptum, manebit omnibus modis inconvulſum.*

9'.) *Ratio* denique ipſa æque pro valore talium Ordinationum, quam pro valore baptiſmi ab hæreticis, vel aliis improbis, collati, pugnat: quia nempe ſecus ſæpiſſime invalidæ orirentur ordinationes; quin reſciri poſſet, cum ſummo detrimento fidelium ac periculo ſalutis plurimorum.

* Joannes Morinus de SS. Ordinationibus p. 3. Exercit. 5. cap. 2. & ſeqq. exemplis probare nititur, olim omnes id genus ordinationes irritas fuiſſe habitas; non quod in talibus miniſtris ordo ipſe Epiſcopalis deficeret; ſed quia olim, ut ipſe vult Eccleſia hæreſin, ſchiſma, Simoniam &c. pro impedimentis conſtituerit; quæ validam ordinationem, fere uti impedimenta Matrimonii iſtius valorem, impedirent.

Objicit 1'. exemplum de *Conſtantino* Papa, qui an. 767. adhuc laicus ſedem Romanam invaſerat; paullo poſt vero e ſede dejectus, effoſſis oculis, ſemivivus in platea publica relictus eſt: ordinationes vero ab illo factæ ceu ab Epiſcopo contra canones non ſervatis interſtitiis promoto, a Stephano IV. Succeſſore irritæ declaratæ ſunt in Concilio Romano a. 769.: Anaſtaſius enim Bibliothecarius in Actis hujus Concilii refert, Epiſcopos, & Presbyteros illos reverti juſſos eſſe ad priſtinum gradum, & tum primum *benedictionis conſecrationem a Stephano Papa ſuſcepiſſe*, iterum *conſecratos fuiſſe.*

Re-

Reſpondeo. Idem Concilium ratum habuit *chriſma* a Conſtantino Papa conſecratum: ergo pro vero illum & valide ordinato Epiſcopo habuit; nec proinde conſequenter invalidas illius ordinationes habere potuit. At quia *ordinatio* fit ad certas functiones, quas contra canonum ordinem promoti obire non poſſunt; in hac opus eſt legitimatione & redintegratione judiciali. Legitimationem porro iſtam Concilium Romanum vocat *benedictionis conſecrationem*; cerimonialem nimirum & ſupplectricem defectuum; ob quos non quidem irrita, attamen illegitima erat ordinatio, nec jus dabat functiones ordinis exercendi.

Concilium Toletanum IV. a. 633. celebratum can. 28. diſerte exprimit ritum hujus redintegrationis. *Epiſcopus*, inquit, *aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in ſecunda innocens reperiatur, non poteſt eſſe, quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcopi, orarium, annulum, & baculum; ſi presbyter, orarium & planetam; ſi diaconus, orarium & albam &c.: ſic & reliqui gradus ea in* REPARATIONEM *ſui recipiant, quæ, cum ordinarentur, receperunt.*

Objicit 2°. In Concilio Sueſſionenſi II. an. 853. *Ebbonis* Archiepiſcopi Rhemenſis depoſiti; & non canonice reſtituti, ordinationes accuſante Hincmaro ejus ſucceſſore declaratæ ſunt in Act. 5. *irritæ & vacuæ:* item Act. 4. *quod idem non habuit, neminem ab eo accipere potuiſſe, niſi damnationem, quam habuit.*

Reſp. Acta hujus Concilii omnia reſciſſa ſunt a Nicolao I. Papa & a Concilio Sueſſionenſi III. a. 866., & depoſitio Ebbonis injuſta declarata fuit. Ceterum in

Digitized by Google

in Sueſſionenſi II. non de valore ordinationum, ſed de functionibus & exercitio eorum diſputatum fuiſſe, certum videtur ex ipſis ſupplicationibus Clericorum in eo Concilio in jus vocatorum, ex Nicolai I. epiſtola ad Hincmarum; in quibus ſæpius recurrit hæc expreſſio, *de miniſtratione ordinum Eccleſiaſticorum, a quibus veſtra auctoritate ſuſpenſi ſumus: irregulariter ab officiis graduum ſuorum ſuſpenſi fuiſſe noſcuntur.* Patet ergo, quo ſenſu *vacuæ & irritæ* ordinationes illæ dictæ fuerint. Pariter *nihil habuiſſe* ordinis Epiſcopalis Ebbonem profecto dicere non voluere Patres Sueſſionenſis II. Concilii; quia ordo amitti me hercle non poteſt. Solum ergo dicere volebant, nihil juris ad exercendum ordinem habuiſſe: nihil talis juris dare potuiſſe.

Objicit 3°.) ordinationes *Photii*, in ſedem Conſtantinopolitanam vivo S. Patriarcha Ignatio intruſi, & a Gregorio Syracuſano depoſito ordinati, a Nicolao I. in Ep. a Michaelem Imperatorem, & a Concilio VIII. generali a. 869., & rurſus ab Hadriano II. epiſt. ad S. Ignat. *fictas, putativas*, declaratas fuiſſe, item *Photium nunquam fuiſſe Epiſcopum*; Eccleſias, per ipſum conſecratas, denuo conſecratione nova dicatas fuiſſe.

Reſponſio eadem eſt. Nam Photius æque a Gregorius ille depoſitus eſt *ab omni clericali officio* tum a Nicolao I. tum a prædicto Concilio: atqui non deponuntur, niſi valide ordinati; & Gregorius certe valide fuerat ordinatus. Idem Photius, una cum ordinatis ab ipſo Clericis, a Joanne VIII. precibus Imperatoris Baſilii, ex conſenſu Alexandrinæ, Antiochenæ

& Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, ſedi reſtitutus poſtea eſt ſine nova ordinatione.

Neque dicas: confirmatos a Photio Bulgaros a legatis Nicolai I. denuo confirmatos fuiſſe: nam *reſpondeo*; ideo id factum; quia Bulgari Romanæ, non Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſubditi erant, vel certe credebantur; quos proin ex more Romanæ Eccleſiæ non erat penes presbyteros a Photio miſſos confirmandi vera poteſtas. Interim incertum eſt, an legati Nicolai I. id iſtius juſſu, an ſuo arbitrio fecerint.

Objicit 4.) *Formoſus* a. 890. Papa creatus eſt; quem a. 896. defunctum ſucceſſor ejus Stephanus VII. exhumari juſſit, ac tanquam viventem in jus vocari, quod, licet a Joanne VIII. Papa degradatus juraſſet, ſe nec Romam amplius venturum, nec Epiſcopatum ſuæ Urbis Portuenſis, quem tunc obtinebat, repetiturum, ambitionis tamen Spiritu Romanam ſedem uſurpaſſet: quo facto de novo degradatum, tribus digitis abſciſſis, quibus benedicere moris eſt, in Tiberim jactari præcepit; cunctosque quos ille ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit.

Reſpondeo. Factum tam barbarum atque indignum in exemplum ac regulam trahi non poteſt; maxime quod Formoſus a *Marino* Joannis VIII. ſucceſſore abſolutus ſit a juramento, & Epiſcopatui ſuo reſtitutus, priusquam in Papam eligeretur. Tum vero *Joannes IX.* in Concilio Romano a. 904. damnavit cuncta Stephani acta contra Formoſum, flammisque abſumi juſſit, ordinatos quoque a Formoſo ordinibus ſuis denuo re-

ſtituit.

ſtituit. Et licet *Sergius* rurſus a. 908. acta *Joannis IX.* reſciderit, & econtra denuo confirmarit, quæ a *Stephano* contra Formoſum facta fuerant; *Sergius* tamen iſte vulgo non pro legitimo Papa habitus eſt, & ipſe prius a *Joanne IX.* in perpetuum degradatus fuerat, intentata anathematis pœna in eos, qui ipſum reſtituere attentarent. Galliæ Epiſcopi Leoni Nolano Epiſcopo, a Formoſo ordinato, cum ab eo conſulerentur, reſponderunt, ne ſe denuo conſecrari pateretur, ſed ſecurus in ſuo ordine perſiſteret.

Objicit 5°.) A. 1049. *Leo IX.* Papa teſte S. Petro Damiano opuſc. V. & VI. in tribus Conciliis Romanis examinavit quæſtionem, an ordinationes a Simoniacis factæ valerent; Leoque eos demum omnes irritas declaravit, *caſſavit, & male promotos tanquam noviter ordinavit.* Animadverſis tamen iſtius ſeveritatis incommodis, exemplo *Clementis II.* prædeceſſoris ſui Conſtitutionem ſuas ad ſolas ordinationes data & pacta pecunia factas reſtrinxit.

Reſp. Cum Seculo XI. tam communiter Simoniæ vitium graſſaretur, revera non nulli dubitarunt de valore talium ordinationum, ut Damianus teſtatur in Præfat. cit. opuſc. VI. Inter eos tamen Leo IX. non fuit, & licet ceu illicitas caſſaret, hoc eſt, ſic ordinatos initio ſuſpenderet; tamen dubius deinde circa extenſionem hujus pœnæ hæſit, eamque reſtrinxit dicto modo, ceteris ſolum 40. dierum pœnitentiam injunxit. Narrat enim idem Petrus Damianus in Epiſt. ad Cives Florentinos, *Nicolaum II.* Leonis IX. poſt tres annos ſucceſſorem ſtatuiſſe poſtea, ut *in poſterum quicunque pateretur ſe a Simoniaco provehi, nihil peni-*

tus ex ea deberet promotione lucrari, & ſic miniſtrandi jura deponeret, tanquam ſi hæc nullatenus percepiſſet: quæ verba ſatis innuunt, quis ea ætate conceptus illarum caſſationum ordinum ſacrorum fuerit.

Objicit 6'.) *Urbanus II.* a. 1099. mortuus in Epiſtola apud Gratianum cauſ. 1. q. 7. can. 24. Daibertum, a Nezelone ſedis Moguntinæ ſimoniaco invaſore Diaconum ordinatum, rurſus ordinavit: *quia,* ut inquiebat, *Nezelo nihil habuit, nihil dare potuit.* Pariter in *Synodo Romana* ſub eodem Urbano II. a. 1099. ſtatutum fuit: *a Simoniacis quie ſe ſcienter conſecrari paſſi ſunt, eorum irritam eſſe conſecrationem.*

Reſp: Epiſtola illa Urbani II. admodum incertæ eſt fidei; tum vero ſenſus talium verborum ex ſupra dictis jam patet.

** *Quæres,* quid de hodiernis Angliæ Epiſcopis ſentiendum, qui ſecundum Rituale Eduardi VI. regis ordinantur hoc modo: Conſecrator ab Electo exigit mandatum regium, & ipſius juramentum, quod non aſſentiri velit catholicæ Romanæ doctrinæ, nec in ea plebem ſibi commiſſam inſtruere, ſed Majeſtatem regiam in omnibus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus rebus ſupremam auctoritatem habere docere promittat. Poſt hæc Conſecrator ſuper electum cum impoſitione manuum hanc orationem recitat: *DEUS omnipotens, Pater noſter cœleſtis, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præſtanda; ut opus iſtud tuum, quod incepit, in te abſolvat, teque integrum & inculpabilem inveniat in illo ſupremo die, per J. Ch. Dominum noſtrum, Amen.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo: ſi oratio prædicta, ut videtur, ad juramentum prævium primario ſe referat, ac proinde non ſit niſi petitio gratiæ ad id implendum; ſi porro nulla alia oratio in Ritu Anglicano addatur, qua abſolute, & ſine relatione ad mandatum regium, ad interrogationes prævias erroribus contra fidem plenas, ad juramentum denique prævium vera, forma eſſentialis Sacramenti exprimatur: evidenter irritas eſſe illas ordinationes exiſtimo. Etſi enim Epiſcopus hæreticus, depoſitus, ſchiſmaticus, a Sede Romana alienus, poteſtate ordinis phyſica non careat ad valide ordinandum; ſi tamen forma eſſentialis in ordinatione non adhibeatur, invalide ordinat. Atqui forma eſſentialis illa ſolum oratio eſt, qua vera ſacramenti Ordinis gratia ordinando a DEO ab ordinante exoratur cum impoſitione manuum.

Neque dicas: poſt orationem ſupra dictam a conſecrante inſuper addi hæc verba: *Accipe Spiritum Sanctum, & memor eſto, ut reſuſcites in te gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum*: & iſta quidem addi adhuc durante manuum impoſitione.

Nam *reſpondeo*: corrumpi hanc poſteriorem formam non ſolum ex eo; quod oratione non conſtet; quod hæc ab ipſis Anglis ſolum cerimonialis habeatur; quod ex contextu potius jam priori formula deprecatoria acceptam gratiam aperte ſupponat: ſed etiam ex eo, quod illi erroneæ formulæ adnexa, ab ea erroneum gratiæ ſignificatum participet, quæ nimirum vires det ad juramentum erroneum implendum.

Certe hæc ſufficiebant argumenta, ut & durante Mariæ regimine ab omnibus catholicis Epiſcopis Anglis

Digitized by Google

omnes id genus ordinationes ſub Rege Eduardo VI. celebratæ, & poſtea ſimili ritu denuo celebratæ ſub regina Eliſabetha, communi ſuffragio pro irritis habitæ fuerint, item ut Romana Eccleſia omnes ordinatos ſecundum illum ritum, ad ſe redeuntes, iterum ordinari juſſerit, & hodiedum jubeat; ſecundum Rituale Romanum.

Julius III Papa regnante Maria Polo Cardinali, ceu Sedis Apoſtolicæ Legato, quidem poteſtatem dedit *rehabitandi* omnes Clericos & Epiſcopos Angliæ, qui ordines aut nunquam, aut male ſuſcepiſſent, ſive qui Henrico VIII., ſive qui Eduardo VI. regnante id feciſſent: ſed vox *rehabilitatio* appoſite ſumebatur; ut nempe id fieret ſive ordinatione nova, ſive reſtitutione juris fungendi ordine accepto, ſive abſolvendo ab impedimento alio, pro cujusque in individua neceſſitate: cum videlicet ſub Henrico VIII. adhuc ritus ordinationum ſecundum Rituale Romanum adhuc fuiſſet conſervatus.

Quod *Pius IV.* in literis ad Eliſabetham reginam promiſerit, ſe Liturgiam Anglicanam velle approbare; dummodo regina redire ad Eccleſiam vellet, res eſt incerta prorſus, & apud ipſos auctores Anglos facti iſtius narratio quoad adjuncta ſua non ſatis determinata, nec conteſtata eſt; quam ut ex eo quidquam inferri poſſit: ſiquidem literæ illi per annos quadraginta nulli cognitæ latuere; & ipſi Auctores Angli alii Pium IV., alii Paulum IV., ac rurſus alii Pium V. nominant earum auctorem.

594.

594.

Sacramenti Ordinis capaces ſunt ſoli viri baptizati, non mulieres. Primum conſtat *ex* perpetua *traditione* Eccleſiæ; quæ ſine baptiſmo validas ordinationes nunquam habuit; ut conſtat ex Nicæno I., in quo can. 19. Pauliániſtæ, quia formam baptiſmi adulterabant, & rebaptizari, & reordinari jubebantur; & *ex ratione* manifeſta; quia, qui ob defectum baptiſmi nondum eſt inſertus corpori Eccleſiæ, ſeu Societati, ceu membrum viſibile, is viſibilis Eccleſiæ in Sacramentis Chriſti conficiendis miniſter eſſe non poteſt.

Alterum ſequitur ex dictis Apoſtoli I. Cor. XIV. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui; ſed ſubditas eſſe; ſicut & lex dicit* (nempe Gen. III. 16. *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*): - - - *turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia*: & I. Tim. II. 12. *docere mulieri non permitto; neque dominari in virum; ſed eſſe in ſilentio.* Ex quibus verbis illud profecto patet, lege ſaltem poſitiva divina, quam Apoſtolus interpretatur, excludi mulieres ab ordinibus *Epiſcopatus* & *Presbyterii*; quippe quorum proprium eſt ex divina inſtitutione & munus docendi & loquendi in Eccleſia; imo & a *Diaconatu*; quia etiam Diaconorum proprium miniſterium eſt loqui, & reſpondere Sacerdoti ſacrificanti, aut Sacramenta conficiendi, nomine totius Eccleſiæ. Unde cum ceteri inferiores ordines pars quædam miniſterii Eccleſiaſtici, id eſt, Diaconatus, ſint; etiam ab his mulieres excludi, conſequens eſt. Chriſtus nempe, vir ipſe, non mulier, non niſi viros miniſtros ut habeat, condecens eſt.

Digitized by Google

* *Innocentius III.* ab Epiſcopo Ferrarienſi fuit interrogatus de quodam, qui, licet ſecundum formam Evangelii baptizatus non fuiſſet, Sacerdotii tamen gradum ex ignorantia illius facti obtinuerat; an iterum ordinari deberet. Hærebat initio Pontifex dubius in utramque partem; deinde tamen auctoritate *Concilii Compendienſis* motus, non baptizati ordinem rejicientis, reſcripſit: *ſe quod tutius eſt, ſequi*, & mandare, ut de novo ille ordinetur. Cap. *Veniens. De presbytero non baptizato.*

** Ex modo dictis ſimul patet, mulieres nec jurisdictionis ullius Eccleſiaſticæ capaces eſſe, ſeu interno, ſeu externo in foro. Unde abuſus eſt ſiquando parochiæ Monaſteriis mulierum ſic unitæ dicuntur, ut curam animarum gerentes Vicarii Monaſteriorum ejusmodi Monialium appellentur. *Epiſcoparum* & *Presbyteriſſarum* nomen feminis olim indebatur, quorum viri illis relictis dictos ordines aſſumſerant. *Diaconiſſarum* officium olim erat inſervire Epiſcopis in baptiſmo mulierum, in cura viduarum &c. Conſecratio illarum ritu ſimili fere fiebat, quo ordinari ſolent diaconi. Plura de his docere ad Canoniſtas pertinet.

595.

Nulla eſt ordinatio infantibus ante uſum rationis collata. Eſt enim Sacramentum ordinis natura ſua Sacramentum adulti, uſu rationis jam pollentis; quia confert non ſolum gratiam, ſed poteſtatem phyſicam fungendi miniſterio Chriſti in conficiendis Sacramentis; quæ poteſtas phyſica poſſibilis non eſt ſine uſu rationis; quem

quem a priori ceu conditionem neceſſariam abſolute ſupponit. Et verum cum infans ſit incapax Sacramenti pœnitentiæ; quo pacto capax ſit Sacramenti ordinis, quo poteſtas conficiendi Sacramentum pœnitentiæ confertur?

* *Ajunt*, Sacramenta, quæ iterari non poſſunt, non requirere actualem conſenſum, uti Baptiſmum, Confirmationem: ergo nec Sacramentum Ordinis. *At enim* nonne petitio hæc principii eſt? Quæ enim paritas Baptiſmum inter & Ordinem relate ad præſentem quæſtionem? In illo gratia ſolum cum habilitate paſſiva ad alia Sacramenta datur; in iſto poteſtas activa. An poſſibilis eſt iſta poteſtas conficiendi Sacramenta ſine poteſtate prævia rationis?

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

De *Statu* primum, deinde de *contractu*, ac demum de *Sacramento Matrimonii* ea tradituri ſumus, quæ ad theoreticam Theologiam pertinent, omiſſis iis, quæ tum ad Theologiam Moralem, tum ad Jus Canonicum ſpectant; eo quod ad leges divinas, vel Eccleſiaſticas, referantur.

596.

Status Matrimonii eſt ſocietas maris & feminæ ad procreandam & educandam ſobolem.

* Hanc unam eſſe genuinam definitionem *Matrimonii in genere*; ut eſt *ſtatus*, ex animadverſionibus ſequentibus cum evidentia ſic oſtendo. Status enim matrimonii in genere evidenter ſpecies quædam ſingularis eſt ſocietatis, ab omni Societate alia diverſa; ac proinde, uti ſocietatis omnis, ita & ſtatus matrimonii in obligatione mutua ſtabili ſociorum conſiſtit, quæ, ceu vinculum ſtabile, ſtatum quoque hunc ſocialem conſtituit.

Porro ut ſit ſocietatis ſpecies ſingularis, & ab omni alia ſocietate diverſa, id quidem pendet a numero & qualitate perſonarum; a fine, cujus cauſſa initur; & a qualitate obligationis circa media ad finem conſe-

conſequendum adhibenda. (Dem. Cath. §. 39.). *Jam vero* numerus & qualitas perſonarum eſſentialis huic Societati conjugali conſiſtit in duabus perſonis ſexus diſcrimine diverſis. Sexus *vero* diſcrimen in perſonis hac ſocietate jungendis quem alium in finem requiri poteſt, niſi ad prolem procreandam? Profecto quocunque alio fine, abſque iſto, ſocietatem ineant vir & mulier; inprimis diſcrimen ſexus per accidens ſe habebit reſpectu talis finis & Societatis: tum vero ſine fine illo ſibi proprio procreandæ prolis quævis ſocietas maris & feminæ nondum erit conjugalis, nec omnino diſcrepabit ab omni alia ſocietate, quæ conjugalis non eſt.

** Qui in definitione apponunt præterea illas voces, quod Matrimonium ſit *conjunctio maritalis, & individuam vitæ conſuetudinem retinens, inprimis* contra regulas definitionis peccant; quia quæritur, quid ſit *conjunctio maritalis,* ſeu matrimonialis: quid *conſuetudo vitæ,* niſi ſocietatis nexus? *Deinde* ſupponunt inſolubilitatem matrimonii in genere; quæ profecto non datur; eo quod variis in caſibus abſolute ſolubile ſit tam conſummatum, quam non conſummatum Matrimonium; ut infra videbimus.

597.

I. *Matrimonii ſtatus obligationem ſtabilem in viro erga feminam, & viciſſim in femina erga virum jure naturæ importat ad uſum corporis concedendum in ordine ad finem matrimonii, id eſt, ad procreandam prolem.*

II. *Prole jam procreata porro matrimonii ſtatus importat ex parte viri, & ex parte feminæ,*

ut

ut mutuo ſibi præſtent ſuas facultates ad prolem rite educandam; usque dum proles eo usque adoleverit, ut ſibi ipſa ſatis proſpicere tam quoad corpus, quam quoad animum poſſit.

III. Cumque omni obligationi, qua alter mihi obligatur, ex parte mea reſpondeat jus executionem obligationis ab altero exigendi; idcirco *vir adverſus feminam, & femina adverſus virum, jus aliquod habet exigendi uſum corporis ad procreandam ſobolem, & conjunctionem facultatum ad illius jam procreatæ educationem.*

IV. *Non igitur in ipſo uſu corporum*, quem *copulam* vulgo appellant, *ſed in obligatione mutua ad illum concedendum, Matrimonii eſſentia, ſeu nexus ſtabilis ſocietatis conjugalis, conſiſtit; quæ ex mutuo conſenſu & pacto conjugali exoritur.*

V. *Eo ipſo autem cum contractu ſeu pacto conjugali abſolute pugnat adjectum pactum de ſervanda utrinque virginitate.* Pactum enim iſtud tolleret ex utraque parte jus petendi ab altera uſum corporis, & obligationem illum concedendi; quæ obligatio eſt ſtatui matrimonii eſſentialis (Cor. præc.).

* *Neque dicas*, matrimonio jam contracto addi poſſe pactum de non faciendo uſu illius, quin ſolvatur ſtatus matrimonii: ergo nec contractui obſtare tale pactum.

Nam *reſpondeo:* antecedentem propoſitionem nunc quidem veram eſſe ob legem divinam poſitivam; qua matrimonium ſemel contractum ſolvi non poteſt; ſed veram

veram non fore ſecundum legem naturæ, ſecundum quam ſolubile per ſe eſt matrimonium etiam conſummatum, ſaltem poſtquam obligatio educandi prolem conceptam vel jam impleta eſt, vel ob prolis mortem ceſſavit; ut paullo poſt dicemus. Nunc tamen quoque ſaltem ad inchoandum ſtatum matrimonii inſolubilis nexum obligatio illa neceſſaria eſt.

Interim illud quoque verum eſt, tale matrimonium, cui in præſente ſtatu pactum de non faciendo uſu corporum poſt adjicitur, ſpeciem ſocietatis reipſa diverſam conſtituere ab eo ſtatu & ſocietate conjugali, quæ foret ſpectato ſolo jure naturali; illiusque nexum deinceps conſiſtere in ſola obligatione non concedendi ulli alteri uſum corporis, & mutuum auxilium quoad vitæ humanæ reliquas neceſſitates ſibi invicem præſtandi.

VI. *Votum virginitatis prævium* (etſi illicitum per ſe contractum Matrimonii faciat) *valori tamen & eſſentiæ matrimonii non obſtat*: quia ex conſenſu in matrimonium nihilominus dato obligatio concedendi uſum corporis alteri conjugi petenti tamen oritur, ac proinde nexus conjugalis reipſa conſequitur. Jura enim conſenſu etiam illicito in *modo acquirendi derivativo* (ut doctores juris naturæ loquuntur) transferuntur, eoque obligatio contrahitur; modo non id ipſum, de quo fit pactio, ratione ſui ac per ſe illicitum ſit. Atqui uſus corporum conjugalis per ſe & ratione ſui illicitus non eſt.

* Perinde nimirum, ut, ſi quis ſpopondit alteri matrimonium, poſt ſponſalia tamen iſta valide contrahit cum tertio; etſi illicite id fiat.

** Quæ-

** Quæſtio hic ſe offert, *utrum B. Virgo Maria vero Matrimonio juncta S Joſepho fuerit.* Extra dubium enim eſt ſecundum SS. Patres, quod aut votum, aut inviolabile propoſitum jam ante conceperit nunquam admittendi virum: qua ipſa de cauſſa etiam Gabrieli Archangelo divini Verbi conceptum nuntianti Luc. I. 34. abſolute reſpondit: *quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Profecto Virgo puriſſima & omnis labis peccati expers conſenſum illicitum ſtante virginitatis voto non dedit. Si pactum de Virginitate contractui cum S. Joſepho adjeciſſet, vera conjux facta non fuiſſet. Quæſtio hæc interim argumentum fidei non attingit.

S. Auguſtinus enim L. V. contra Julian. cap. 9., cum veritatem matrimonii iſtius contra Julianum probaſſet, nihilominus continue ſubdit: *verum de iſto conjugio, quod vis, exiſtima:* tumque addit, non de hac ſibi contentionem eſſe, ſed de aliis, de quibus exinde ex oppoſito ait: *in his quæſtionibus catholica veritate antiquitus tradita veſtra impia novitas ſuffocatur.*

Idem S. Doctor, & cum ipſo communiſſima Theologorum ſententia, ſequentibus præcipue argumentis probat, *verum Matrimonium illud fuiſſe* 1'.) quia in Evangelio ſæpius Maria *Conjux* S. Joſephi appellatur, & S. Joſeph viciſſim vocatur *vir ejus* ἀνήρ. Matth. I. 16. & 20.: ubi loc. cit. adnotat Auguſtinus, non elidi argumentum hoc dicendo: *quaſi maritus Joſeph in opinione omnium erat; ſecundum hanc opinionem, non ſecundum veritatem; locutam fuiſſe Scripturam, ut Virginem Mariam conjugem ejus diceret. Hoc putemus Evangeliſtam facere potuiſſe, cum vel ſua, vel cujuslibet alte-*

alterius hominis verba narraret, ut ſecundum opinionem loqueretur. Nunquid & angelus loquens unus ad unum, contra conſcientiam & ſuam & ipſius, cui loquebatur, ſecundum opinionem potius quam ſecundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit (v. 20.): noli timere accipere Mariam conjugem tuam.

2'.) *Quid opus erat,* eodem loco pergit Auguſtinus, *ut uſque ad Joſeph generationes perducerentur, ſi non ea veritate factum eſt, qua in conjugio ſexus virilis excellit?* Ceterum hæc ſententia ſupponit, Bmam Virginem DEO revelante ſciviſſe, S. Joſephum jure maritali in ipſam nunquam uſurum, atque idcirco, DEO volente, illam Matrimonium non obſtante voto, ita volentibus quoque parentibus, innoxie iniviſe.

Duæ rationes allatæ etiam mihi hanc ſententiam ceu veriſimiliorem perſuadent: etſi exiſtimem, ob adjuncta ultima de revelatione Bmæ Virgini facta, eo ipſo, quod de hac nos edocere S. Spiritus per Evangeliſtas neceſſe non duxerit, totam quæſtionem iſtam primi momenti non eſſe. Et revera ſeu conjux, ſeu ſponſa tantum S. Joſephi fuerit; utroque caſu puriſſima fuit mente, & corpore.

*** Ex adverſo alii verum inter Bmam Virginem & S. Joſephum interceſſiſſe matrimonium negant 1'.) quia ſtante Virginitatis voto illicitum fuiſſet Bmæ Virgini nubere, id eſt, ad uſum corporis viro concedendum ſuo conſenſu ſe obligare: 2'.) quia Matth. I. 18. ſolum dicitur: *cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto:* deſponſatio vero ſolum eſt promiſſio filiæ in matrimonium a parentibus facta; qua inſuperhabita potuit

Bma

Bmæ cum S. Joſepho clam paciſci de virginitate utrinque ſub ſpecie matrimonii ſervanda: 3'.) quia S. Joſeph Matth. I. 19. inveniens ſponſam gravidam, *voluit occulte dimittere eam*: jam vero ſi conjuges vere fuiſſent, id non licuiſſet; niſi per datum libellum repudii ex præſcripto Deut. XXIV. 1.: 4'.) quia *SS. Patres* ita ſenſiſſe videntur; ut *S. Epiphanius* hæreſ. 78. ſcribens: *videbatur uxor, & non erat*: *S. Hieronymus* contra Helvid. dicens, *uxorem* non dictam eſſe, niſi quatenus uxoris nomine Scripturarum more *ſponſa* intelligitur: *S. Auguſtinus* ipſe, qui Serm. 17. de temp. ait: *concepit Virgo, antequam ſponſum haberet; parit, antequam nubat*: *S. Gregorius M.* L. II. hom. 26. in Evang. de S. Joſepho ſcribit: *qui tamen ad ejus nuptias non pervenit.*

Reſponderi poteſt *ad* 1.: votum obſtare licentiæ matrimonii non potuit jubente DEO ipſo nubere marito virgineo: *Ad* 2. reſpondet *Auguſtinus* l. cit. ſupra: *nunquid & Angelus loquens ad unum &c.* *Ad* 3. Libellus repudii Deut. XXIV. 1. permittitur viris contra mulieres, qui *propter aliquam fœditatem non invenerint gratiam coram oculis* ipſorum: talis non erat Virgo puriſſima: ſed perplexitate ex Myſterii ignorantia laborans ille *vir juſtus, nolebat eam* tamen palam *traducere*, ſed ſuſpenſo judicio occulte dimittere: *Ad* 4. SS. Patres locis citatis agunt adverſus hæreticos, Virginitatis Bmæ Mariæ DEI Matris hoſtes, & nomine *nuptiarum* copulam, ſeu uſum matrimonii, intelligunt; ex parte vero cum exaggeratione loquuntur ex incidenti ſolum præſentis quæſtionis mentione.

Ceterum Maria, licet manſura in perpetuum virgo, deſponſata eſt, tum quod *Iſraëlitarum mores* vi-

tam

Digitized by Google

tam cœlibem virginitatiſque votum adhuc *recuſabant*; ita *S. Auguſtinus* L. de ſancta Virginit. c. 4.: tum ne Chriſtus ceu illegitimus a Judæis abjiceretur: ita *S. Ambroſius* in Luc.: tum ut idem haberet nutritium, & a quo Judæorum more Genealogia ejus authentice duceretur; tum ut ne Mater ejus virginea infamiæ ſuſpicioni ſubjaceret: tum ut S. Joſeph eſſet teſtis virginei partus: denique, ut addit, *S. Ildephonſus*, ut partus Virginis diabolo occultaretur.

598.

Matrimonii ſtatum Deus naturæ auctor in ipſa utriusque ſexus creatione inſtituit, ejusque auctor fuit, jam ante peccatum originale. *Auctor* enim ſtatus ſocialis cujusque eſt, qui & facultatem phyſicam & moralem ſe obligandi vinculo ſtatus ſocialis præbet, & eo fine præbet, ut ſtatus illius vinculum contrahatur, & ejus officia impleantur.

Atqui Deus ipſe creando Adamum & Evam, virum & feminam, & facultatem illis prædictam dedit obligationis conjugalis ineundæ & implendæ, & eo fine præbuit, ut eam initam implerent, eo nempe ex fine, ut genus humanum deinceps propagaretur. *Non eſt bonum*, *dixit Dominus Deus* (Gen. II. 18.), *eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. - - Et tulit unam de coſtis ejus, & - - ædificavit in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Tumque (Gen. I. 28.) *benedixit illis Deus, & ait: creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus &c.* *Dixitque Adam* (Gen. II. 23. coram ſe feminam videns): *Hoc*

Digitized by Google

nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. - - - Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Et erunt duo in carne una. Quibus verbis jura & officia matrimonii exprimuntur recens creato homini a Deo divinitus revelata: quibus verbis ſe ipſo allegatis Chriſtus Matth. XIX. 6. ſubjunxit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Deus ergo auctor eſt matrimonii.

599.

Matrimonium, cui uſus corporum inter conjuges, id eſt, copula carnalis, actu acceſſit, *conſummatum* dicitur.

600.

Matrimonium etiam conſummatum ſpectato ſolo jure naturali non eſt abſolute inſolubile inter conjuges vitæ adhuc ſuperſtites, educationis prolium officio illos jam nullo amplius ſtringente. Omnis enim alia ſocietas, quæ ſolo pacto, ſeu mutuo conſenſu ſociorum conſtituitur, tum mutuo conſenſu eorundem denuo ſolvi poteſt; tum vero, ſi obligationis ſocialis quocunque caſu executio jam porro impoſſibilis facta eſt; ultro ceſſante obligationis nexu diſſolvitur. Ergo per ſe loquendo, & ſolo ſpectato jure naturali, etiam conjugalis ſocietas, cum & ipſa mutuo conſenſu conjugum incipiat exiſtere, eodem conſenſu ſolvi poteſt; tum etiam per ſe ceſſare poſſet in caſu ſterilitatis reſpectivæ conjugum, ſeu antecedentis, ſeu conſequentis, maxime etiam in caſu adulterii ab alterutro conjugum commiſſi, & ſecutæ exinde diviſionis animorum, non amplius tollendæ.

* Idem

* Idem ſenſiſſe videtur *S. Auguſtinus* L. de Bono Conjug. cap. 7. hæc ſcribens: *quem non facit attentum, quid ſibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe; niſi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam ſacramentum adhiberetur.* Porro rationem talis Sacramenti matrimonium non habet ex natura rei.

Præterea quo pacto ſuſtineri ſatis communiter a Theologis poſſet ſententia de *repudii libello*, quo apud Judæos vere ſolutum fuiſſe matrimonium ex lege Moyſis docent; ſi inſolubile id foret ex jure naturali? Quo *item* pacto matrimonium fidelis cum infideli ſolvi poſſet in caſu, quo hic cohabitare ſine injuria creatoris fideli conjugi detrectaret? Fruſtra enim fingunt diſpenſationem in lege naturæ neceſſaria & invariabili. Nec vero intrinſeca fundamentalis malitia abſoluta & generalis in ſolutione matrimonii oſtendi poteſt; cujus ratione neceſſario irritetur & prohibeatur lege naturæ. *Poſſent* proinde *ſpectato ſolo jure naturæ matrimonia temporanea iniri;* donec vel ſterilitas ſe prodat, vel impleta jam omni officiorum executione erga proles conceptas ipſi conjuges ſolutioni conſentiant. Neque vero concubitus in tali matrimonio temporaneo forent fornicationes.

Fornicatio enim eſt concubitus cum femina ſoluta, & non ſua conjuge. Porro nunc in præſentis legis poſitivæ hypotheſi nulla eſſe conjux poteſt in matrimonio actu conſummato niſi perpetua, quoad vita ſuperſtes ſit. Hoc verum eſt, quæ nunc ſunt fornica-

 tiones,

tiones, in ſtatu juris ſolius naturæ obtinentis facile vertendas eſſe in vera matrimonia temporanea; modo fierent animo ſe ſimul mutuo obligandi ad procreandam eo actu prolem, & deinceps communi auxilio educandam.

601.

A fortiori ergo ſolubile per ſe eſt ſolo jure naturæ ſpectato Matrimonium ſolum contractum valide, ſed nondum conſummatum, ex. gr. fœditate quadam ſeſe prodente, aut alia quavis exorta diſſenſione graviore; ob quas cauſſas apud Judæos repudii libellus dari poterat; ut infra dicetur.

602.

Etiam ſola obtinente lege naturæ, tamen matrimonium feminæ non niſi cum viro uno validum eſſe poteſt; ac proin polyandria non datur. Finis enim Matrimonii ex ſua natura eſt procreatio prolis ac generis humani exinde propagatio, tum vero bona procreatarum prolium educatio per conjunctam patris ac matris operam. Atqui utrique fini adverſatur conjunctio conjugalis ejusdem feminæ cum viris pluribus: cum nec maturando multiplicato partui, a diverſis viris eodem tempore concepto, par eſſet, ac proinde partus plurimi neceſſario perirent; & ob incertitudinem patris educationis cura periculum perpetuum pateretur. Ergo talis conjunctio, ceu bono communi maximo humani generis per ſe oppoſita, intrinſece mala, ac proinde lege naturæ & prohibita, & invalida eſt: cum ad rem malam, id eſt, ad uſum corporis pluri-

Digitized by Google

pluribus viris ſimul concedendum, obligatio naſci non poſſit.

603.

Polygamia, ſeu conjunctio conjugalis viri unius ſimultanea cum pluribus feminis, ſpectato ſolo jure naturæ nec intrinſece mala, nec proinde invalida eſt; nec prohibita; ſi ineatur ex fine procreandæ multiplicis prolis, aut prolis obtinendæ in caſu, quo uxor primo ducta timetur fore ſterilis.

Neque enim pugnat cum ullo fine matrimonii; *non cum procreatione prolis*; quia unus vir vegetus ſufficere poteſt fœcundandis pluribus feminis, minusque perit de ſemine virili, ſi in plures uxores dividatur, quam ſi immodico matrimonii uſu in unam juſto frequentius effundatur: *neque cum educatione prolis*; quia vir opulentus, ex. gr. princeps, facile ſufficiet pluribus educandis: *in caſu denique ſterilitatis*, maxime nunc, cum lege poſitiva divina matrimonia ſunt inſolubilia, polygamia ſæpe caveri poſſent plurima mala ex defectu hæredum maſculorum in ſucceſſione regnorum oriri ſolita.

Accedit, quod *Abraham* Gen. XVI. 2., Sara ipſa priore conjuge id ſuadente, ancillam Agar acceperit in uxorem; *Jacob* Patriarcha, *David* Rex, viri ſanctiſſimi plures uxores habuiſſe legantur; quin eo nomine vel in ſacris literis, vel a SS. Patribus, peccati uſpiam arguantur, aut reprehendantur. Quin imo aperte permiſit polygamiam Deus Deut. XXI. 15. ita ſtatuens: *ſi habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genueritque ex eo liberos; - - - non poterit filium dilectæ facere pri-*

Digitized by Google

mogenitum, *& præferre filio odioſæ.* His enim verbis Deus ex æquo filiis ſecundæ uxoris jus primogenituræ aſſecurat, ac proinde illos ex legitimo matrimonio genitos declarat, ſtante matrimonio cum femina priore.

* *Neque dicas:* 1°.) DEUM olim in Polygamia diſpenſaſſe: *reſpondeo* enim: non poteſt DEUS in lege naturæ diſpenſare; uti non poteſt facere, ut, quod malum eſt, bonum ſit: 2°.) SS. Patres Lamechum, qui primus duas uxores ſimul accepit, violatæ legis accuſant (utique naturalis; cum id ætatis nulla alia vigeret) uti Tertullianus L. de Exhort. Caſtit. c. 5., *S. Hieronymus* L. I. contra Jovin. c. 8.: *reſpondeo*: reprehendunt, quia non amore multiplicandæ prolis, ſed voluptatis, videtur primus periculoſum exemplum dediſſe eo tempore, quo ob vitam hominum ad multa ſecula produci ſolitam nulla erat polygamiæ neceſſitas, nec utilitas. Econtra *S. Ambroſius* L. I. de Abraham cap. 4., *S. Auguſtinus* L. XXII. contra Fauſt. cap. 47., *S. Chryſoſtomus* hom. 56. *Theodoretus* q. 67. in Gen. clare docent, in veteri teſtamento non fuiſſe prohibitam SS. Patriarchis polygamiam, nec eos peccaſſe: 3°.) Deut. XVII. 17. legem ſtatui regibus Judæis: *non multiplicabis uxores*: *reſpondeo:* Vulgata recte vim verbi hebraici exponit hoc modo: *non habebis uxores plurimas:* nempe nimia multitudo uxorum regibus a DEO ſingillatim prohibetur.

** Huc uſque de natura Matrimonii diximus, quale ſit vi ſolius legis naturæ: nunc quid poſitiva lege

ge divina circa illud diverſis temporibus conſtitutum fuerit, eo clarius licebit exponere.

604.

Vi legis divinæ poſitivæ inſolubile erat matrimonium conſummatum in prima ſui inſtitutione in Adamo & Eva; & rurſus inſolubile declaratum & a Chriſto in lege chriſtiana.

Propoſitio fidei catholicæ proxima *probatur* EX SS. LITERIS. Nam Matth. XIX. 3. interrogantibus Phariſæis, *ſi licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſſa*, reſpondens ait: *non legiſtis? quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit* (vel juxta vim græcæ vocis προσκολληθήσεται *adglutinabitur*; ut obſervat S. Chryſoſtomus hom. 63. in Matth.) *uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Cum vero opponerent porro Phariſæi: *quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis: quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Quæ verba ultima Marcus X. 11. ſine illa exceptione fornicationis ſic refert: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit; adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.*

Ubi duo dicit Chriſtus conceptis verbis: 1'.) Deum inde a principio mundi conſtituiſſe, ut vir ſtabiliter *adhæreat uxori*, & ideo *non poſſe* conjugem ſe a conjuge quoad vinculum *ſeparare*: ac licet Moyſes ob duritiem cordis *permiſerit* libellum repudii judæis, tamen *ab initio non fuiſſe ſic* permiſſum: 2do) velle etiam ſe, ut, *quod Deus* ab initio mundi ſtabiliter *conjunxit*, *homo non ſeparet*: item ſecundum legem Chriſti omne matrimonium ſecundum vivente primo conjuge eſſe adulterium, ac proinde violationem prioris matrimonii adhuc ſuperſtitis ob inſolubilitatem.

S. Paulus ad Rom. VII. 2. legem inſolubilitatis iſtius pro ſtatu ſaltem chriſtiano gravibus verbis denuntiat: *quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. - - - Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Item I. Cor. VII. 10. *his*, inquit, *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quodſi diſceſſerit, manere inuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quo loco Apoſtolus *primo* Dei præceptum intimat, ut nunquam uxor a viro divortio ſe ſeparet, ſaltem niſi juſtam habuerit cauſſam: *deinde* ut, ex quacunque cauſſa diſceſſerit, vel ſeparaverit ſe a viro, ſemper abſtineat ab omni matrimonio cum alio ineundo, quamdiu ille conjux ſuperſtes eſt.

Accedit Tridentinorum Patrum communis ſenſus, Seſſ. XXIV. de Sacramento Matrimonii ita in ipſo ingreſſu diſſerentium: *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani gene-*

Digitized by Google

generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quam ob rem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit; cum poſtrema verba illa tanquam a Deo prolata referens, dixit: Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; ſtatimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tantum ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet.

Sequitur dein Canon VII. ibidem hoc tenore: *Siquis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.*

* At enim citata ſuperius verba Chriſti ex Matth. XIX. 9. *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur,* obſcuritate ſua, & quod ſatis determinatam ſententiam non exprimant, diſſenſioni Eccleſiæ Græcæ a Latina perquam abſurdæ in praxi anſam dedere.

Græci enim, licet a ſecundis nuptiis, etiam conjuge primo mortuo, olim magnopere abhorrerent, tamen illa Chriſti Domini verba pridem ſic interpretati ſunt, ut, ob adulterium ſolvi ipſum vinculum matrimonii

monii credentes, ad aliud matrimonium tranſitum diviſis adulterio conjugibus permitterent. Certum eſt, lege civili Juſtinianæa Novell. 117. jam ſeculo ſexto certis de cauſſis licitum fuiſſe repudiata uxore aliam ducere; imo etiam ſeculo IV. ſub Conſtantino Magno L. 3. Cod. Theod. Tit. 16. *de repudiis*, teſte ipſo *S. Ambroſio* L. 8. in cap. 16. S. Lucæ n. 5. Et hæc magna haud dubie ratio fuerit licentiæ progreſſu temporum creſcentis in græcis Eccleſiis circa matrimonium titulo adulterii diſſolvendum.

Quid quod jam ſuo ævo *Origenes* Comment. in Matth. edit. Huetianæ pag. 363. teſtetur, quosdam Eccleſiæ rectores *contra Scripturæ legem mulieri vivente viro* (etiam ob aliam quam fornicationis cauſſam) *nubere permiſiſſe, ad vitanda pejora alieno arbitrio morem gerentes:* quo innuere videtur, jam tum lege civili eam licentiam datam fuiſſe; cui obluctari Epiſcopi auſi non fuerint.

Quin imo quæſtionem iſtam etiam in latina Eccleſia ſeculo quarto non pro deciſa habitam fuiſſe, patet ex modo, quo *S. Auguſtinus* eam verſavit ex inſtituto in duobus libris ad *Pollentium* ſcriptis *de adulterinis conjugiis*; ubi, licet ſententiam, quæ negat adulterio ſolvi vinculum, ex inſtituto accurate oſtendat; eo tamen inſuperhabito L. II. Retract. cap. 57. *ſcripſi*, inquit, *duos libros de adulterinis conjugiis, quantum potui ſecundum ſcripturas, cupiens diſſolvere difficillimam quæſtionem. Quod utrum enodatiſſime fecerim, neſcio: imo vero me non perveniſſe ad hujus rei perfectionem ſentio; quam-*

quamvis multos ſinus aperuerim; quod judicare poterit, quisquis intelligenter legerit. Imo L. de fide & operibus cap. 19. *Quisquis,* ait, *etiam uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus iis, qui excepta cauſſa adulterii dimittunt, & ducunt: & in ipſis divinis ſcripturis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi aliam duxerit, ut, quantum exiſtimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

Quibus verbis innuit *Auguſtinus*; etſi ipſe minime dubitaret, adulterio conjugium non ſolvi; illa tamen ætate ſenſum genuinum verborum Chriſti hac de re non fuiſſe palam omnibus ſatis perſpectum. Interim de traditione utriusque eccleſiæ, latinæ, & græcæ, hac in parte infra differemus.

Seculo ſexto decimo paullo ante tempus Tridentini Concilii, nimirum a. 1515., ex occaſione Annotationum in 7. cap. Epiſt. ad Corinth. ab *Eraſmo Rhoterodamo* editarum exarſit contentio de quæſtione iſta, non ſolum *Luthero, Melanchtone,* & *Calvino,* ſed etiam *Cajetano* Comment. in cap. 19. Matth., & *Ambroſio Catharino* in Opuſc. de Matrim. q. ult. ſolutionem Matrimonii per adulterium defendentibus.

Quid quod *Launojus* hoc adhuc ſeculo poſt tam apertam Tridentini definitionem illis aſſentiri non dubitarit in Tractatu de regia in Matrimonium poteſtate pag. 452. ſeqq.; fingens ſimul, Tridentini canonem non ad dogma, ſed ad diſciplinam tantum ſpectare, quam Synodus illa immutare pro ſuo jure potuerit abſque præjudicio contrariæ prioris traditionis ac praxis Eccleſiæ utriusque; quam operoſa & longa ſerie citationum evincere ſatagit. Ajo itaque:

§. 605.

605.

Vi legis divinæ Chriſti ne quidem propter adulterium alterius conjugum diſſolvi matrimonium ſemel conſummatum poteſt.

Theſis proxima dogmati catholico *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS. Nam inprimis, etſi verba Chriſti apud S. Matth. XIX. 9. §. præc. citata videantur excipere caſum adulterii (*niſi ob fornicationem*); nihilominus ſenſus genuinus illorum ex dictis Chriſti aliis prorſus ſimilibus de eadem re ſit manifeſtus.

Nam inprimis Marc. X. 11. cum diſcipuli Chriſtum dimiſſis Phariſæis de eadem re denuo interrogaſſent, *univerſe* reſpondit eis: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.*

Pariter S. Lucas eadem Chriſti ad Phariſæos dicta univerſe ſic refert XVI. 18.: *omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Enimvero dicta hæc Chriſti ſine omni exceptione generalia vera ſint oportet. *Qui ſumus nos*, exclamat S. Auguſtinus L. I. de adult Conjug. cap. 9., *ut dicamur, eſt qui mœchatur uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt, qui hoc faciens non mœchatur: cum Evangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit.*

Enimvero tam loco citato Matth. XIX. quam rurſus Matth. V. 32.; ubi ſic legitur idem dixiſſe Chriſtus: *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari;*

chari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat; utroque, inquam, in loco Chriſtus excipit cauſſam fornicationis: ſed quia alii duo Evangeliſtæ illius exceptionis mentionem non faciunt, neceſſe eſt Matthæum per illos duos exponere, atque exceptionem fornicationis intelligere non de libertate *ducendi* aliam uxorem, ſed tantum *dimittendi* adulteram, quam ſolam dimittere permittit Chriſtus, non quamvis ex quacunque levi cauſſa, ut ſolebant Judæi.

Unde ſi complectamur omnia hæc dicta Chriſti diverſis Evangeliorum locis occurrentia, hic ſenſus univerſe oritur: *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, mœchatur, id eſt, facit eam mœchari* (Matth. V.); *& omnis, qui etiam ob fornicationem dimiſſa uxore ſua aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur* (Marc. X. & Luc. XVI.).

Accedunt Similia fere dicta Apoſtoli; & quidem I. Cor. VII. 20. *Iis*, inquit, *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego; ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere* (ſubintellige *niſi ob fornicationem*): *quodſi diſceſſerit* (etiam ob fornicationem viri) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Tum ibidem v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.*

Rurſus ad Rom. VII. 3.: *vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

Et vero *S. Auguſtinus* in primum textum I. Cor. VII. acute ſic ratiocinatur L. I. de adult. conjug. cap. 3.: *cur dixiſti, Apoſtole, quodſi diſceſ-*

ſceſſerit, manere innuptam? Licetne diſcedere? an non licet? Si non licet; cur præcipis diſcedenti ut manent innuptam? Si autem licet; profecto eſt aliqua cauſſa, qua liceat. Hæc autem inquiſita non invenitur, niſi quam Salvator excepit, id eſt, cauſſa fornicationis. Ac per hoc non præcepit Apoſtolus, mulierem, ſi diſceſſerit manere innuptam, niſi quæ illa cauſſa diſcedit a viro, qua ſola ei licitum eſt diſcedere a viro: adde, & niſi qua ſola reconciliatio cum viro locum habet. Ad poſteriores quoque Apoſtoli textus ſic S. Doctor L. II. de adult. conjug. c. 5. concludit: *nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob cauſſam fornicationis. - - - nec carebit vinculo; etiamſi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus.*

Probatur 2'.) EX TRADITIONE SS. PATRUM: & EX GRÆCIS quidem *Hermas* in L. II. Paſtoris, & *S. Juſtinus Martyr* Apol. II. aperte inſolubilitatem Matrimonii inter chriſtianos etiam in caſu adulterii affirmant, ac parem eſſe in hac re viri ac mulieris conditionem. Idem habet *Athenagoras* in Apol., & *Clemens Alexandrinus* L. II. Stromat.

S. Gregorius Naz. in ſecundo carmine laudes virginitatis & connubii incommoda canens feminam a marito & maritum a femina quæſitam *peſtem* vocat, *quam nulla liceat ratione fugare.*

S. Joannes Chryſoſtomus in VII. caput I. ad Corinth. diſerte affirmat, divortium, quod humanæ leges permittunt, divinis prohiberi, ac Domi-

Dominum nos ex divinis, non ex humanis legibus, judicaturum. Et hom. 17. in cap. V. Matth. expreſſe ait, *mulierem expulſam ſemper remanere uxorem ejus, a quo expulſa eſt.* L. de Virginit. exponens caput V. epiſt. I. ad Corinth. conceptis verbis dicit, ſolam mortem expectari debere, ut conjuges diſcordes a ſe invicem liberentur.

Ex LATINIS porro ſcriptoribus *Patres Concilii Eliberitani* a. 305. can. 9. ſtatuerunt: *fidelis femina, quæ maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur, ne ducat: ſi autem duxerit; non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de ſeculo exierit; niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Univerſe ita loquuntur Patres iſti, nec caſum dimiſſionis ob adulterium factæ excipiunt.

In *Concilio Arelatenſi* Gallicani Patres an. 314. can. 10. *De his qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & prohibentur nubere, placuit, ut, in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.*

S. Auguſtinum ſupra audivimus teſtem. *Patres Concilii Milevitani* a. 416., cui etiam S. Auguſtinus interfuit, can. 17. *Placuit*, inquiunt, *ut, ſecundum evangelicam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungatur; ſed ita maneant, aut ſibi reconcilientur. Quodſi contemſerint, ad pænitentiam redigantur. In qua cauſſa legem imperialem petendam promulgari.* Ubi nimirum optant, legem contrariam civilem, ante centum annos a Conſtantino M. latam, & ſupra §. 604. not.

cita-

citatam, abrogari, & corrigi per divinam. Ob quam ipſam cauſſam *Patres Arelatenſes*, Conſtantino coævi, potius conſilio adhortandos, quam lege cogendos fideles credebant; ne inter utramque poteſtatem, civilem, & eccleſiaſticam, diſſidium intempeſtivum oriretur.

S. Ambroſius cap. 16. in Lucam pariter reprobat illas leges civiles: *dimittis ergo uxorem, inquit, quaſi jure, ſine crimine; & putas id tibi licere; quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obſequeris, DEUM verere. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam, qui leges ferunt: quæ DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Et L. de Abraham cap. 7. ſine ulla exceptione ait: *non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere; cum habeas tuam: crimen eſt adulterii.*

S. Hieronymus Epiſt. ad Oceanum 84. (alias 30.) Fabiolam, quæ dimiſſo viro adultero alteri nupſerat, eo nomine excuſat, quod *putaſſet a ſe virum jure dimiſſum, nec noviſſet Evangelii vigorem; in quo nubendi univerſa cogitatio, viventibus viris, feminis amputatur*: addit vero continue, illam iſtius peccati duram & publicam pœnitentiam ſuſtinuiſſe. In ipſo commentario in cap. XIX. Matthæi diſerte docet, ſola morte diſſolvi vinculum conjugale.

S. Innocentius I. in Epiſt. ad Exup. cap. 6. *de his*, inquit, *requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alio ſe matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt: qui ergo, vel quæ, viro, vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, ſecundum illud, quod legimus in Evangelio: qui*

Digitized by Google

qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur: ſimiliter &, qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Ideo tales a communione fidelium volumus abſtinendos.

Ex eo tempore eadem res continua quidem praxi firmata eſt in toto occidente, uti conſtat ex plurium Conciliorum Canonibus, puta in *Synodo Anglicana* ſub Theodoro Cantuarienſi an. 663. can. 10. teſte Ven. Beda L. IV. hiſt. Angl. cap. 5., in *Sueſſionenſi* I. an. 745. can. 9., in *Forojulienſi* an. 791. cap. 10., in *Pariſienſi VI.* an. 829. L. III. c. 2. *Nannetenſi* an. 895. c. 12. & *Triburienſi* item an. 895. can. 43. 44. 45. &c. Secuti exinde ſeculo XII. *Doctores Scholaſtici* cum S. Thoma communiſſime idem in tota latina Eccleſia docuere.

Unde in *Florentino Concilio* Seſs. XXV. Eugenius IV. Papa Græcis praxin contrariam publice ceu *correctione* plane *indigentem* publice objecit: qui & in Decreto ad Armenos ita ſtatuit: *quamvis ex cauſſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt; cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum ſit.*

Probatur 3°. ex Concilio Tridentino, quod, præcedenti traditioni Romanæ inprimis Eccleſiæ innixum, rem definiit canone VII. §. præc. allegato; definiturum etiam expreſſius tanquam dogma; niſi Oratores Veneti interceſſiſſent (teſte Pallavicino L. XXII. c. 4.), canoni prius jam concepto, quo damnabantur ſimpliciter anathemate, qui dicerent ſolvi matrimonium adulterio, eo potiſſimum nomine refragantes, quod ex eo canone, *niſi moderatione*

 ali-

aliqua reformaretur, inferri poſſet non modica offenſio Eccleſiæ orientis, præſertim vero Venetorum inſulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ &c. non ſolum cum publicæ quietis, ſed cum Eccleſiæ catholicæ detrimento. . . . Græcos veterrimam majorum conſuetudinem, ut ipſi dicunt, ſecutos, a nulla Synodo œcumenica idcirco damnatos &c. poſſe demum *& obtineri, quod Synodus intendebat, & reipublicæ ſatisfieri, canone ejusmodi verbis conflato: anathema ſit, ſiquis dixerit, SS. Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam - - erraſſe, & errare, cum docuit, & docet &c. &c.*

Ex quo ipſo patet, etſi græcis parcere utcunque Concilium voluerit, non conceptis verbis dogma definiendo; tamen reipſa Romanæ Eccleſiæ ſenſum & interpretationem de Chriſti apud Matth. V. & XIX. verbis publice & ſolenniter eſſe declaratum: ac proinde præſentem theſin, ſi dogmatis dignitatem non omnino aſſequatur, fidei tamen proximam haberi ab omni probe catholico debere. Quod enim Lanojus regerit, diſciplinæ legem magis quam fidei regulam a Tridentinis Patribus illo Canone propoſitam fuiſſe, ludibrium potius ſapit, quam ſolidum Theologi judicium.

* Fatendum tamen, Græcos, contrariam antiquiſſimam conſuetudinem ſequentes in diſſolvendo ob adulterium matrimonio, ob nunquam authentice & clare ab Eccleſia deciſam hanc quæſtionem, maxime ante Tridentini Concilii tempus, non caruiſſe ſpecioſa excuſatione.

Opponunt enim 1°.) exceptionem, quam ſemel iterumque fecit Chriſtus Matth. V. & X., apud reliquos

quos Evangeliſtas eo ipſo ſupponi debere, ac proinde nec Marcum, nec Lucam, omnino univerſe & ſine illa exceptione intelligi debere: 2'.) ſi exceptio illa, *niſi ob fornicationem*, tantum referri deberet ad verbum *dimiſerit*, & non ad *duxerit aliam*, ſecuturum, nulla alia de cauſſa, niſi ob fornicationem, poſſe uxorem a viro dimitti etiam quoad uſum conjugii, thorum, & cohabitationem; cum exceperit Chriſtus ſolam fornicationem: atqui hoc vel ipſa Romana Ecclesia negat: 3'.) ex Græcis *Origenes* Comment. in Matth. (loc. cit. §. præc. not.), *S. Baſilius* Can. 9. Epiſt. ad Amphiloch., *S. Epiphanius* hæreſ. 59. aut omnino favent illi adverſæ ſententiæ, aut certe non adverſantur: incerta quoque *Tertulliani* ex latinis mens eſt: leges autem antiquæ Cæſareæ aperte licentiam tribuunt, quas ne Romana quidem Eccleſia unquam publice redarguit iniquitatis &c.

Hisce tamen reſpondere ſequentia viciſſim nobis fas eſt: *Ad* 1. an textus S. Matthæi explicandi ſint per textus SS. Marci & Lucæ, an viciſſim; Eccleſia denique ſola judex eſt, cujus doctrina ex Tridentino innoteſcit maxime omnium authentice: *Ad* 2.: ob ſolam cauſſam fornicationis vir poteſt ab uxore perpetuo & abſolute ſeparari ſine relicto uxori jure regreſſus, etiam poſt emendationem factam; de quali *dimiſſione* Phariſæi propoſuerant Chriſto quæſtionem; quippe qua viro licentiam fieri volebant ad aliam ducendam uxorem: ſeparatio vero quoad thorum & habitationem non eſt dimiſſio absoluta; ſed tantum conditionata ad brevius vel longius tempus ſemoto ab omni uſu & exercitio juris conjugalis; donec pars rea ſeſe emendarit.

Chriſtus ergo Phariſæis quærentibus Matth. XIX. 3. *ſi licet homini dimittere uxorem quacunque ex cauſſa*, reſpondet appoſite ad modum quæſtionis, *quicunque dimiſerit* abſolute *uxorem, niſi ob fornicationem, mœchatur*, id eſt, facit eam mœchari (Matth. V.), *& qui* ipſe *aliam duxerit*, eo dimiſſionis titulo videlicet, item *mœchatur*; volens oſtendere, abſolutæ dimiſſionis non niſi unam eſſe ſat gravem cauſſam, nec illam tamen ſufficere ad ipſum vinculum conjugii ſic omnino ſolvendum, ut aliam ducere liceat: *Ad* 3. fateor, videri mihi omnino *Origenem*, *Baſilium*, & *Epiphanium* citatis locis adeo non incuſare ſolutionem conjugii ob adulterium, ut potius id permittere videantur: nec etiam *Tertullianus* eidem clare adverſari mihi videtur; licet vero *S. Chryſoſtomus* obiter redarguat in VII. cap. I. ad Corinth. leges humanas, idem publice ex cauſſis pluribus permittentes; cum tamen publica nulla & ſolennis Eccleſiæ contradictio uſpiam fieret adverſus illas, fateri neceſſe eſt, minus conſonam, nec ita publicam in Græca Eccleſia fuiſſe traditionem de vero ſenſu verborum Chriſti circa iſtud argumentum.

Nihilominus cum parem obſcuritatem & diſſonantiam traditionis in Eccleſia latina probare Launojus voluit allegatis plurimorum ſcriptorum textibus, quin & conciliorum decretis; haud dubie & minus reverenter Tridentinum illum canonem habuit, & plurimorum textuum, quos recenſuit, mentem non eſt aſſecutus, vel corruptis codicibus uſus eſt.

** Apud

Digitized by Google

** Apud Judæos permiſſam ſpeciali lege fuiſſe ſolutionem matrimonii, dato libello repudii, legimus Deut. XXIV. 1. *Si acceperit homo uxorem; & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Quæritur vero, an eo repudii libello dato ſolutum revera fuerit vinculum vi legis illius? an vero ſolum permiſſa ſolutio, ut fieret impune; licet eſſet invalida.

Reſpondeo: cum matrimonium naturali lege ſolubile ſit, & ſolà lege divina poſitiva inde ab initio inſolubilitas illius ſtatuta ſit (604.); permiſſione Judæis ſimpliciter facta per Moyſen auctoritate haud dubie divina, hoc ipſo reſpectu illorum ſublata lex illa poſitiva divina eſt, ac proin ſolubilitas naturalis ſub conditione facti repudii reſtituta.

Patet hoc 1'.) ex ipſis Chriſti verbis Matth. XIX. 8: *quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* Quæ verba aliam non poſſunt habere ſenſum quam hunc: lege Moyſis vobis permiſſum fuit repudium, quod lege poſitiva ab initio prohibitum erat, & non permiſſum.

2'.) Levit. XXI. 7. Sacerdotibus prohibetur, *ne ducant in uxorem ſcortum & vile proſtibulum, nec eam, quæ repudiata eſt a marito:* ergo aliis licitum erat lege Moyſis repudiatas a maritis ducere, utique ſoluto priore vinculo. Unde & vir repudiatam ducens Deut.

XXIV. 4. *maritus* appellatur: *cum egreſſa* (repudiata) *alterum maritum duxerit &c.*

3'.) Certe ex his ipſis verbis patet, æque lege permiſſas fuiſſe repudiatæ nuptias cum novo marito non Sacerdote, atque permiſſum erat ipſum repudium. Validæ ergo erant ſecundæ nuptiæ: quia ſuſpicari non poſſumus, adulteria notoria fuiſſe permiſſa lege poſitiva; qualia fuiſſent nuptiæ ſecundæ vivo viro repudiante, ſi non ſolutum fuiſſet prius vinculum libello repudii.

4'.) Ipſa facilitas repudii permiſſi, quotiescunque apud viros gratiam non invenirent, onus feminis nimis intolerabile & iniquum impoſuiſſet, ſi repudiatæ nubere valide alteri non potuiſſent: id quod ſuſpicari de lege divina non licet.

Neque apponas, Deut. cit. v. 4. mulierem repudiatam, alteri nubentem, dici pollutam, & abominabilem coram Domino: *cum egreſſa alterum maritum duxerit, & is quoque oderit illam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta eſt, & abominabilis coram Domino.* Item Jerem. III. 1. *Vulgo dicitur: ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit alterum; nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus; & ego ſuſcipiam te.*

Nam

Digitized by Google

Nam *reſpondeo*: iſtius legis aliam fuiſſe rationem; quam quidem variam interpretes & Theologi afferunt. Mihi quidem hæc potior videtur; videlicet quia alioquin, amore conjugali ex utraque parte ſemel in perpetuum dimiſſo, a marito nempe per repudium, ab uxore per nuptias actu cum alio marito initas, quæ reconciliationis ſpem præcluderent, vix ſpes ſuperfutura erat melioris pacis & affectus conjugalis in ſecundo matrimonio reſtituendi: quam ob rem legali immunditia talis mulier relate ad primum virum polluta declaratur, & non tam ipſa ſecundum ſe, quam potius ut uxor ſecundo ducenda ab eodem marito, vel potius ipſum tale ſecundum matrimonium, *abominatio coram Domino* appellatur, ob præſumtionem non duraturæ diu pacis conjugalis.

Atque hoc ipſum innuere textus Jeremiæ inprimis videtur; qui id manifeſte probat, legem illam Deut. XXIV. 4. præcipue in odium earum feminarum latam fuiſſe, qui optimis maritis juſtam cauſſam repudii dediſſent, & repudium ſemel paſſæ, ſine ſtudio recuperandi illorum gratiam, illis in perpetuum, nubendo alteri, renuntiarent. Qua in re ſymbolum ſunt illorum, qui, cum ob peccata ſemel admiſſa a DEO paterne corripiuntur, & minis æternæ reprobationis terrentur, adeo exinde non corriguntur, ut potius omni licentiæ fræna laxantes omnem redeundi cum DEO in gratiam cogitationem & ſpem deponant. Quos tamen placabilior hominibus DEUS ſe adhuc recepturum in gratiam promittit; ſi ſincere pœnitentiam acturi ſint.

Interim aliter de hac re ſenſere *S. Hieronymus* L. I. Comment. in Matth. cap. 5. & L. III. cap. 19., *S. Bonaventura*, & ex Doctoribus ſcholæ bene multi cum Eſtio in IV. diſt. 33. §. 9., docentes, ſine vinculi ſolutione ſolum permiſſum fuiſſe impune repudium lege Moſaica etſi illicitum jure divino veteri poſitivo.

606.

Matrimonium in infidelitate, ſeu inter non chriſtianos, contractum, & conſummatum, ſpectato jure divino non quidem ſolvitur ipſo facto per converſionem alterius ex conjugibus; 2°.) ſolvi tamen etiam quoad vinculum poteſt per novas nuptias a fideli contractas; ſi conjux infidelis aut cohabitare fideli porro nolit, aut non ſine injuria creatoris, aut non ſine periculo conjugis fidelis.

Hæc quidem 1°.) aperta ſatis eſt doctrina Apoſtoli I. Cor. VII.; ubi primo de fidelium matrimonio v. 10. ait: *iis, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quodſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: & vir uxorem non dimittat:* quibus verbis dum uxorem etiam ex juſta cauſſa adulterii diſcedentem prohibet alias ad nuptias transire, fidelium conjugia omnino inſolubilia quidem oſtendit (§. præc.).

Cum ergo porro pergit: *Ceteris ego dico, non Dominus: ſiquis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam:* & *ſiqua mulier fidelis habet virum in-*

infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem; & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. - - - Quodſi infidelis diſcedit; diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror, in hujusmodi; cum, inquam, hæc ſubjicit circa infideles apoſtolus, duo aperte docet; *primo*, non ſolvi ipſa unius converſione conjugium; quia ipſe ſuadet, ut fidelis non diſcedat ab infideli conjuge ob ſpem illum quoque ſucceſſu temporis adducendi ad fidem: *ſecundo*, ſi ipſe conjux infidelis cauſſam det ſolutionis juſtam, quales ſunt in propoſitione expreſſæ, non obligari fidelem lege priſtini conjugii conſervandi, ſed ea ſe libere expedire poſſe, ac proin novum matrimonium inire. Aperte enim Apoſtolus, quod prius denegaverat fidelibus, nempe poteſtas ſolvendi matrimonium præcedens, id deinde concedit converſo conjugi prius infideli.

2°.) Idem declaravit Innocentius III. Tit. de divortiis. cap. *Quanto*: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit: & in hoc intelligimus, quod ait Apoſtolus: ſi infidelis diſcedit, diſcedat &c.*

3°.) *Ratio* hujus divinæ legis quoque in promtu eſt, ne videlicet ea difficultate infideles conjugati a fide chriſtiana & ſalute recipienda abſterrerentur; quam paſſuri eſſent, ſi aut cum conjuge infideli, ſibi ob receptam fidem infenſo, juncti matrimonio vivere, aut

omnis ulterioris uſus matrimonii expertes eo ſuperſtite manere, deberent.

* Ceterum cum ſolubilitas matrimonii infidelium memorata præciſe in favorem fidelis converſi ſtatuta ſit; a ſolo etiam iſtius arbitrio actualis illius ſolutio pendet. Unde ſi nolit fidelis ſolvi tale matrimonium; non valebit matrimonium infidelis poſt diſceſſum a fideli de novo initum; ſed caſu, quo ille poteſtati politicæ Chriſtiani Principis ſubjectus foret, vel etiam ipſe ultro poſtea ad Eccleſiam accederet, cogi poſſet ad ſtantum primo matrimonio.

607.

Non tamen eadem eſt firmitas inſolubilis matrimonii nondum conſummati, ſed ſolum contracti, etiam vi legis poſitivæ divinæ; qualis eſt matrimonii jam conſummati: ſed potius videtur illud ſaltem ex parte relictum etiam inter Chriſtianos in ſua naturali ſolubilitate (600. 601.), *ut in certis caſibus, quos approbaret Eccleſia, ſolvi poſſit, ita quidem, ut verba Chriſti ex Matth. XIX. ſupra* §. 604. *citata*, erunt duo in carne una: . . . quod ergo DEUS conjunxit, homo non ſeparet, *ſolum de matrimonio conſummato dicta intelligere oporteat.* Theſin genericam aliis duabus ſpecificis poſitionibus ſequentibus probo.

608.

Matrimonium nondum conſummatum quoad vinculum per votum virginitatis accedente conſenſu Epiſcopi olim dirimebatur; & hodiedum dirimitur per ſolennem religionis profeſſionem.

Pars

Digitized by Google

Pars prima probatur 1'.) exemplis & factis ſequentibus. Nam 1'. *S. Thecla*, S. Pauli Apoſtoli præceptis & diſciplinis imbuta, teſte S. Ambroſio L. II. de Virginibus & S. Epiphanio hæreſ. 78. n. 16. jam *pactas nuptias diſſolvit, copulam fugiens nuptialem.* S. Auguſtinus idem L. 30. contra Fauſtum referens c. 4., *Paulus*, inquit, *Theclam oppignorantem jam thalamo, in amorem ſermone ſuo perpetuæ virginitatis accendit.*

2'.) *S. Auguſtino* L. 8. conf. cap. 6. teſte, duo milites, lecta Antonii vita, mox vota monaſtica, relictis, quas habebant, ſponſis, ſuſceperunt: quod ubi iſtæ cognoverunt, eandem vitæ rationem amplexæ ſunt. *Ambo habebat ſponſas*, ait S. Doctor: *quæ poſteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem* DEO. Quæ ultima verba tamen dubium relinquunt, an jam *uxores*, an ſolum *ſponſæ* fuerint.

3'.) *S. Gregorius M.* L. III. Dial. c. 14. de virgine *Gregoria* narrat, eam *conſtitutis jam nuptiis in eccleſiam fugiſſe, & ſanctimonialis vitæ converſationem quæſiviſſe.* Item in L. VI. Epiſt. 20. idem S. Doctor ſcribit: *Decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit; nullo omnino cenſuerunt damno multari.* Conſtat vero, *ſponſi* & *ſponſæ* nomine paſſim apud veteres venire conjuges ante conſummationem matrimonii; uti B. Virgo ſponſa dicitur S. Joſephi, etſi vere uxor fuerit.

4'.) *Gregorius Turon.* L. de vitis Patrum cap. ult. refert, Leobardum rupto fœdere nuptiali, quod contraxerat cum honeſta puella, Monachum eſſe factum in majore Monaſterio Turonenſi.

5'.) Ven.

5'.) Ven. Beda L. IV. Hiſt. Angl. cap. 19. ſimile quid narrat de Edildrida regina.

6'.) Accedunt exempla, non quidem ab oculatis nominatisque teſtibus relata, attamen communi ex traditione Eccleſiæ recepta, & Breviario inſerta de *S. Cæcilia* prima nuptiarum nocte amplexum Valeriani ſponſi recuſante titulo virginitatis DEO votæ; de *S. Alexio* ipſa prima nuptiarum nocte ſponſam relinquente, & peregre abeunte, tumque cœlibem vitam ſumma in paupertate ipſa in paterno domo finiente; de *S. Macario* ſimiliter a conjuge recens ſibi juncta prima nocte fugiente in eremum &c. Facta hæc, ſæpius repetita, maxime priora, haud contigere utique ſine approbatione Epiſcoporum, imo & S. Pauli Apoſtoli in S. Thecla.

Probatur 2'.) EX DECRETIS PONTIFICUM primo *Alexandri III.* Papæ in Concilio III. Lateranenſi an. 1179. in Append. P. V. cap. 1. ea exempla hoc modo pro confirmanda hac ipſa theſi allegantis: „Poſt conſenſum illum legiti„mum de præſenti datum licitum eſt alteri, „altero etiam repudiante, monaſterium elige„re; ſicut quidam ſancti de nuptiis vocati fue„runt: dummodo inter eos carnis commixtio „non intervenerint. Et alteri remanenti, ſi „commonitus ſervare noluerit continentiam, li„citum eſſe videtur, ut ad ſecunda vota tran„ſire poſſit. Quia, cum non fuiſſent una caro „effecti, poteſt unus ad Dominum transire, & „alter in ſeculo remanere.„ Et cum idem Pontifex (ibid. cap. 8.) de ſimili caſu Epiſcopo Brixienſi in eundem ſenſum reſcriberet, addit hanc rationem: *Sane quod Dominus in Evangelio*

gelio dicit, non licet viro uxorem ſuam, niſi cauſſa fornicationis dimittere, *intelligendum eſt, ſecundum interpretationem ſacri eloquii, de his, quorum matrimonium eſt carnali copula conſummatum.*

Deinde *Innocentius III.* Cap. *Ex parte.* Tit. *de converſ. conjug.* „Nos, inquit, inquiſi„tioni tuæ taliter reſpondemus; quod, etſi poſ„ſit non inconſulte videri; quia ex quo matri„monium inter legitimas perſonas per verba de „præſenti contrahitur, illis viventibus in nullo „poſſit caſu diſſolvi, ut vivente reliquo, alter „ad ſecunda vota transmigeret; etiamſi unus „fidelium, inter quos eſt ratum conjugium, „fieret hæreticus, & nollet permanere cum „altero ſine injuria creatoris; niſi forte fieret „ex revelatione divina, quæ ſuperat omnem „legem; ſicut a quibusdam ſanctis legitur eſſe „factum. Nos tamen nolentes a prædeceſſo„rum noſtrorum veſtigiis declinare; qui reſpon„dere conſulti; antequam matrimonium ſit per „carnalem copulam conſummatum, licere alteri „conjugum, reliquo inconſulto, ad religionem „transire; ita quod reliquus ex tunc poterit „legitime alteri copulari.

Jam vero ex his videmus, Pontifices iſtos reſponſa ſua unice firmare in dictis Sanctorum exemplis: & quoniam ea ætate, nempe ante finem Seculi XIII., nulla omnino differentiæ inter *votum ſolenne* & *ſimplex* uſpiam fit mentio; primusque omnium Bonifacius VIII. circa annum 1300. in Sexto Decret. L. III. Tit. 15. *De voto & voti redemt.* declararit, „illud ſo„lum debere votum ſolenne dici, quod ſolenni„zatum eſt per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut „per

„per profeſſionem factam alicui de religionibus „approbatis per ſedem Apoſtolicam;„ idcirco prioribus illis ſeculis voto etiam id genus non ſolenni ſolutum fuiſſe matrimonium ratum ſummi illi Pontifices in ſanctis illis perſonis ſupponunt.

Pars 2. probatur tum recitatis modo decretis Pontificum quorum virtute, poſtquam *Bonifacius VIII.* ſimul poſtea vota profeſſionis omnium religionum a Sede Apoſtolica approbatarum *ſolennia* declaravit, manifeſto vis illa ſolvendi matrimonium ratum jam aperte profeſſioni ſolenni cujusque talis religionis adhæret: tum auctoritate *Tridentini generalis Concilii* Seſſ. XXIV. ipſo quidem in Canone 6. ſic definientis: „Siquis dixerit, matrimonium ratum, & „non conſummatum, per ſolennem religionis „profeſſionem alterius conjugum non dirimi; „anathema ſit.

* *Quæres;* quonam jure hæc vis inſit voto ſolenni ſolvendi matrimonium non conſummatum.

Reſp. *Vi juris divini* matrimonium ratum relinqui in ſua naturali ſolubilitate abſoluta; eo quod, ita judicante *Alexandro III.* in Decret. cit. verba Chriſti, *non licet dimittere* &c., *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet* &c., tantum dicta ſint de matrimonio conſummato. Nihilominus ob reverentiam Sacramenti, quod matrimonio jam rato ineſt, ut infra docebimus, & quia matrimonium ratum ſignificat unionem Chriſti cum anima hominis per gratiam, non decet illud aliter etiam ex proprio conſenſu ſolvi, niſi ex propoſito arctioris unionis cum ſponſo divino JESU Chriſto, nec

niſi

niſi ſub auctoritate Eccleſiæ; cujus poteſtati Sacramenta omnia ſubjiciuntur; & cujus eſt curare, ut debita Sacramento reverentia habeatur.

Cum ergo primis ſeculis Epiſcopi (nondum facta a Pontificibus id genus rerum ſtatuendarum reſervatione) approbarent ſolutionem rati ſolum matrimonii per emiſſum virginitatis perpetuæ votum etiam ſimplex; eodem tum quidem reipſa ſolvebatur matrimonium ratum, permittente *partim* id *jure divino*, *partim* probante *lege Eccleſiaſtica.* Poſtea vero, primum ipſa praxi, tum vero accedente ſolenni lege Tridentini, factum eſt, ut ſolutio matrimonii rati non permitteretur ab Eccleſia, niſi emiſſo voto ac profeſſione ſolenni religioſa.

** *Dices* vero 1'.) reſponſa illa Pontificum non erant decretoria judicia; ſed privata reſponſa probabili opinioni innixa, vel anteceſſorum ſimili reſponſo privato; ut ex illorum ipſo tenore patet. Atqui in talibus reſponſis erroris expers Pontificum judicium non eſt; ut patet ex ſimili reſponſo dato a *Clemente III.* Papa c. *laudabiliter.* De divort., quod integrum refert Robertus Corzon in Summa; ubi permittit Papa ſolvi matrimonium propter alterius conjugis lapſum in hæreſin: cui tamen directe contradicit *Innocentius III.* tum in citato ſupra reſponſo, tum expreſſus in L. IV. Decret. Tit. XIX. de Divort. dicens: *licet aliquis prædeceſſor noſter aliter ſenſiſſe videatur.*

2'.) Exempla Sanctorum allata pæne omnia non ſunt ſatis expreſſa ac certa, utrum nempe in iis jam matri-

Digitized by Google

matrimonium verum de præſenti, an vero ſolum ſponſalia & ſponſio de futuro matrimonio, intervenerint; item an alteri parti eo ipſo licentia fuerit tranſeundi ad alias nuptias.

3'.) Matrimonium ratum non differt natura a conſummato: ergo ſi iſtud inſolubile eſt, & illud ſit oportet.

4'.) Per id genus ſolutionem fit alteri parti injuria; quia jam obtinuit jus in corpus.

5'.) Non ſolvitur Matrimonium per ſuſceptionem SS. Ordinum; ergo nec per votum ſolenne religionis.

Reſpondeo ad 1. illa Pontificum reſponſa ſe ſolis quidem decretoria non ſunt, bene tamen accedente definitione Tridentini authenticam verborum Chriſti interpretationem conficiunt, quod nimirum Chriſtus, inſolubilitatem matrimonii reſtituens, de conſummato tantum locutus fuerit: ratum vero eo ipſo ſub poteſtate Eccleſiæ ratione Sacramento reliquerit.

Ad 2. Si etiam de non nullis ex relatis Sanctorum exemplis dubium illud ſupereſſet, quæſtio tamen illis Pontificum reſponſis, accedente Tridentini ſententia, finitur: cum alioquin exempla illa non niſi publicum Eccleſiæ ſenſum probent.

Ad 3. Matrimonium conſummatum lege divina inſolubile eſt; non item abſolute etiam ratum: cujus ratio eſt; quia conſummato ſemel matrimonio potior eſt cura

Digitized by Google

cura prolis; nec decet, ſuſcitata ſemel per uſum matrimonii unius concupiſcentia alterius conjugis pietate & voto ſine ſuo proprio conſenſu periculo exponi; tum vero, quia DEUS univerſe utiliorem communi bono conjugum inſolubilitatem abſolutam matrimonii conſummati proſpexit, non item matrimonii ſolum rati; cujus ſolutio per votum unius rara eſt; cum conſummati etiam permiſſa ſolutio frequentiſſima futura eſſet.

Ad 4. Cum matrimonio rato non obtineatur niſi jus conditionatum; non infertur injuria, ſi conditio impleatur, qua jus ipſum abſolute tollitur.

Ad 5. Cum jure ſolo divino SS. Ordines cum matrimonio non pugnent; ſicut tamen votum virginitatis pugnat cum eodem; Eccleſia, niſi ordinatus poſt matrimonium ratum velit in approbata aliqua religione ſuſcipere profeſſionem ſolennem, conſultius ducit illum ſuſpendere ab omni ordinum exercitio, & relinquere in matrimonio ejusque uſu, quam extra religionem ſoluto matrimonio admittere ad miniſterium altaris illum, qui contra legem Eccleſiæ, conjugatos a SS. Ordinibus arcentis, eidem obrepere eſt auſus. Alia quæſtio foret; utrum poſſet Eccleſia eo titulo ſolvere matrimonium ratum, quod conjux publicæ utilitatis cauſſa vocandus ad SS. Ordines videretur: quæ ex dicendis ſeq. §. decidenda eſt.

609.

Matrimonium ſolum rite contractum, ſed nondum conſummatum, etiam aliis ex gravibus cauſ-

ſis ſolvi poteſt interveniente legitima auctoritate Eccleſiæ, ex. gr. diſpenſante Romano Pontifice.

Conſtat enim ex §. præc., quod verba legis divinæ, queis & Adamo inde ab initio divinitus intimata, & a Chriſto denuo in ſua Eccleſia reſtituta eſt inſolubilitas matrimonii, tantum intelligenda ſint de matrimonio jam conſummato; quæ proin matrimonii nondum conſummati naturali ſolubilitati (601.) non obſtant. Solum ex elevatione matrimonii ad dignitatem Sacramenti id conſequitur, ut Sacramenti, ceu actus publici Eccleſiaſtici, vis & effectus, id eſt, perpetus per ſe conjugalis nexus, non niſi item publica auctoritate eccleſiæ, non mere privato libitu, ſolvatur.

Inde eſt, quod actu *ſummi Pontifices* non raro diſpenſatione diſſolverint matrimonium ratum. S. Antonius p. 2. t. 1. cap. 21. refert, ſe vidiſſe talem diſpenſationem factam a Martino V. & ab Eugenio IV.; *Navarrus* in Summa cap. 22. teſtatur, ter vel quater ſe ipſo petitore diſpenſaſſe Paulum III. & Pium IV. Cajetanus in opuſculis T. 1. Tr. 28. idem ſua ætate factum eſſe affirmat. Henriquez L. 2. de Matrim. c. 8. refert, Gregorium VIII. jam ſeculo XII. una die cum undecim diſpenſaſſe. De Clemente VIII. & Urbano VIII. Pyrrhus Corradus in Praxi L. 8. c. 6. idem atteſtatur.

Nimis autem irreverenter de ſummis Eccleſiæ capitibus judicant, qui cum Dominico Soto ſententias tot conſentientes ſupremorum judicum Eccleſiæ, pro quibus ſemper præſumtio valoris pugnat, invaliditatis atque erroris ſine graviore alio fundamento arguunt; niſi quod

quod ipſi, falſo præjudicio præventi, ex communi ſententia naturalem matrimonii inſolubilitatem aſſumant potius, quam ſolide probent (600. 601.).

* *Dices:* ergo in matrimonio infidelium non conſummato poterit etiam ſecularis princeps diſpenſare? Ajo, certum id mihi videri; poſtquam certum eſſe ex dictis §. præc. exiſtimo, verba Chriſti & Adami, *quod DEUS conjunxit &c.*, de ſolo matrimonio conſummato intelligenda eſſe. Viderint illi Theologi, quo pacto doctrinæ conſequentiam ſanis cerebris perſuadeant, qui naturalem inſolubilitatem matrimonii cum id genus Pontificiis diſpenſationibus componere non dubitant.

610.

Chriſtus quoque Polygamiam a chriſtianis penitus ſuſtulit, ut jam non ſit ſtatus matrimonii inter chriſtianos, niſi unius viri cum una uxore.

Probatur dogma catholicum 1'.) EX SS LITERIS. Chriſtus enim, ut ſupra §. 605. oſtendimus, Marc. X. & Luc. XI. ſic univerſe pronuntiavit, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & alteram duxerit, adulterium committit, mœchatur &c.*, ut & inſolubile declaraverit matrimonium conſummatum, & adulterum, qui eo ſtante aliam uxorem duxerit: atqui ſi polygamiam voluiſſet permiſſam, adulter non eſſet, qui aliam ducerer etiam non ſoluto per dimiſſionem priore matrimonio: ergo eo ipſo ſuſtulit polygamiam.

Digitized by Google

Probatur 2'.) EX TRADITIONE Patrum & Conciliorum ibidem jam citatorum, nempe *Arelatenſis*, *Milevitani*, *Forojulienſis*, *Nannetenſis*, &c. Conciliorum; item *SS. Ambroſii* L. de Abraham &c. Quibus adde *Tertullianum* L. de Exhort. caſtit. cap. 5. ex inſtituto in L. 1. de Monogamia docentem, polygamiam divinæ inſtitutioni adverſari; *S. Hieronymum* ad crimina graviſſima illam referentem in L. I. contra Jovin, & Epiſt. 85. ad Salvinam; S. *Chryſoſtomum* hom. 56. in Gen. docentem expreſſe, quod *Chriſtus adveniens, & virtutem in hominibus plantans, - - omnem illam veterem* (polygamiæ) *conſuetudinem deleverit.*

Probatur 3'.) EX DECRETIS RR. PONTIFICUM. *Innocentii I.* Epiſtolam ad Exup. ſupra §. 605. jam allegavi. *Nicolaus I.* in reſponſ. ad Bulg. cap. 51. *duas*, inquit, *tempore uno uxores habere, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex chriſtianorum permittit. Innocentius III.* cap. *Gaudemus*, de Divort. ait, *abſonum & inimicum fidei chriſtianæ videri* (virum polygamum); cum ab initio *una coſta in unam feminam ſit converſa*; item, Scripturam teſtari, *adhærebit uxori, non uxoribus; erunt duo in carne una, non tres, vel plures. Alexander III.* Cap. *Licet*, de Sponſa duorum, decernit, eum, qui viva priore uxore alteri nupſerit, *etiamſi copulam cum iſta habuerit, debere tamen ab illa ſeparari.*

Probatur 4'.) EX TRIDENTINI Seſſ. XXIV. Canone II.: *Siquis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.*

* Quod de *Valentiniano* Imperatore ſolus narrat Socrates IV. 31., & duas ipſum habuiſſe uxores, Severam nempe & Juſtinam, & permiſiſſe illum cuilibet plures uxores publico edicto, merito falſitatis ſuſpectum eſt optimis criticis; quia nec ab ullo alio hiſtorico, nec ab ullo Epiſcopo, vel Pontifice Romano, ejus facti mentio fit: tum vero in exemplum & argumentum juris trahi non poſſit, ſi verum eſſet; eoque amplius, quod polygamia lege imperatorum etiam gentilium Romanorum ſub pœnæ infamiæ publicæ vetita fuiſſe legatur Lib. I. Cod. ad legem Juliam *de adulteriis.*

** Explicata jam natura ſtatus matrimoni tranſimus ad explicandum contractum; cui exiſtentiam ſuam ſtatus conjugalis debet.

611.

Status matrimonii ex mutuo conſenſu vero maris & feminæ, utrinque dato, & accepto, exiſtit; quo jus actuale ſibi mutuo in corpus tribuunt, & accipiunt, in ordine ad procreandam prolem.

Non enim niſi id genus perſonali conſenſu hic in individuo vir cum hac ſingulari femina nexu conjugalis obligationis actu colligatur; non lege divina, non lege principis; nec parentum præcepto: quia libertas eſſe debet in tali nexu contrahendo; ad cujus officia implenda inprimis opus eſt mutuo amoris affectu, & conſenſione animorum.

612.

I. *Conſenſus maris & feminæ in vinculum conjugii debet eſſe internus, verus, deliberatus*: quia ab eo ſolo tanquam cauſſa iſte effectus vinculi conjugalis pendet, nec niſi per eum jus in corpus datur, & accipitur; resque iſta tanti momenti eſt, ob inſolubilitatem vinculi iſtius, ut ſine deliberatione plena voluntas ſupponi non poſſit.

II. *Conſenſus iſte ſigno externo ſufficiente debet eſſe utrinque expreſſus*: ſecus enim vim contractus humani non habet; quo quid humano modo datur, & datum accipitur. Sufficiunt autem quævis ſigna ſatis clara, determinata, & certa; ſicut in quovis alio contractu.

III. *Conſenſus iſte debet eſſe abſolutus de vinculo mox in præſens contrahendo*; ſecus, uti ejus effectus, nempe vinculum, ita & ipſe ſtatus matrimonii, per eum, ceu cauſſam, exiſtere non incipit. *Unde non obſtat conditio, quæ ſe refert ad aliquid præteritum, vel actu præſens; ſi modo actu ſit impleta*: quia talis conſenſum abſolutum præſentem non impedit: ex. gr. *contraho tecum, ſi ſis dives* &c.

IV. *Conſenſus præſens ſub conditione honeſta futura, ſi ſerius ſit, & non ſit tantum promiſſio futuri conſenſus ſub ea conditione, non quidem mox efficit vinculum; attamen conditione impleta matrimonium continuo conficit*: perinde ut alii contractus conditionati impleta conditione complentur, & fiunt abſoluti, pariuntque ſuos effectus.

V. *Con-*

V. *Contractus iſte matrimonii, uti alii contractus omnes, etiam inter abſentes per procuratores iniri poteſt; modo mandatum procuratori ſit in ſpecie pro hoc datum, & conſenſus non revocetur ante mandati actualem executionem.*

613.

Impedimentum matrimonii vocatur omnis determinatio ſeu intrinſeca contrahentibus, ſeu extrinſeca, cujus oppoſitum requiritur, ut contractus matrimonii ſit validus, id eſt, efficax in producendo vinculo matrimonii, vel ut ſit licitus & honeſtus.

* Circa impedimenta Matrimonii ea ſolum attingam, quæ ad Theologiam theoreticam pertinere videbuntur; iis, quæ a lege Eccleſiaſtica, vel civili oriuntur, aut ad honeſtatem & licentiam ſolum contractus conjugalis pertinent, ad Theologiam practicam, vel Jus Canonicum, remiſſis.

614.

Impedimenta effectum vinculi conjugalis impedientia vocantur *dirimentia*; eaque ſe tenere poſſunt vel circa rationes poſſibilitatis effectus, vel circa rationes exiſtentiæ ejusdem, eamque vel immediatam, quæ eſt ipſe contractus & conſenſus mutuus conjugium ineuntium; vel mediatam, quæ eſt ipſa facultas phyſica libere diſponendi de jure in ſuum corpus & acceptandi jus in corpus alterius ut conjugis.

615.

Impotentia perpetua copulæ conjugalis perficiendæ modo ad generationem neceſſario, *ſi antecedat ipſum contractum matrimonialem, matrimonii impedimentum dirimus eſt ex natura ſua; ſive ſit abſoluta ac per ſe talis, ſive tantum reſpectu hujus conjugis individui.*

Cum enim uſus matrimonii, id eſt, profuſio ſeminis humani, ex nullo alio fine primario quam procreandæ prolis, nec ſine iſto fine, honeſtus eſſe poſſit; ubi talis uſus ad procreandam prolem idoneus poſſibilis non eſt, moralis poteſtas ita utendi, ceu effectus, tranſmitti in alterum ceu conjugem non poteſt; ac proinde ob deficientem rationem poſſibilitatis effectus contractus invalidus eſt, & ipſa impotentia antecedens illius impedimentum dirimens (præc.).

* Talis impotentia datur, quoties non adeſt facultas intra femineum vas virile ſemen immittendi; quod oriri poteſt, vel quod vir verum ſemen omnino ejicere a ſe non poſſit, vel quod non poſſit immittere in vas femineum, ſeu quod illud penetrare non poſſit ob arctitudinem vaſis, ſeu ob defectum virtutis ſeminandi. Eſt autem *impotentia abſoluta*, ſiquis non poſſit perficere copulam cum ulla femina, aut femina cum nullo viro; *reſpectiva*, ſi non poſſit quidem cum iſta, vel iſto; poteſt tamen cum alia, vel alio.

Naturalis dicitur, ſit ex ſtabili corporum naturali diſpoſitione non idonea ad perfectam copulam; *accidentalis*, quæ ex accidentali eventu, ex. gr. morbo, caſtratione &c. conſequitur; quo ipſo nomine adhuc dividitur in *perpetuam*, & *temporalem*. Viri impotentes vul-

vulgo vocantur *frigidi*; feminæ vero *arctæ*, vel clauſæ: quia, ſi impotentia ex parte virorum ſe tenet, ut plurimum a defectu virtutis ſeminandi eſt; licet alias calori adſcribatur nimia celeritas ſeminandi in viris, priusquam vas femineum penetretur; & quia impotentia ſe tenens ex parte feminarum ab anguſtia vaſis eſſe conſuevit.

** Impotentia conſequens matrimonium jam contractum, ſi id jam conſummatum fuerit, idem porro non dirimit, ceu prorſus inſolubile jure divino (604. 605.): ſi nondum conſummatum eſt, itidem non ſolvit per ſe; niſi accedente diſpenſatione Eccleſiæ. Quæſtio ſolum eſt a Theologo practico decidenda: an non ſufficiens ratio diſpenſandi in matrimonio rato id genus ſuperveniens impotentia reſpectiva perpetua eſſe poſſit. Dixi *reſpectiva*: nam ſi abſoluta ſit untrinque, ratio diſpenſandi ceſſat.

*** Ab impotentia differt *ſterilitas*, quæ eſt impotentia ſemine ex perfecta copula jam concepto generandi prolem, ſive quod ſemen viri idoneum non ſit; ſive quod virtus matrix, aut ovula fæcundata ſemine virili, aut organa ipſa materna in femina, apte diſpoſita non ſint. Sterilitas perinde *naturalis* & *perpetua*, aut *accidentalis* & *temporanea* eſſe poteſt, uti impotentia copulæ; item *abſoluta*, & *reſpectiva*. Cumque vix diſcerni queat, antecedens, perpetua, an conſequens, & temporanea, ſterilitas ſit; uti impotentia conſequens non dirimit matrimonium, ita multo minus ſterilitas.

616.

Partim ratione potentiæ generandi, partim ratione neceſſariæ deliberationis, *ad validum contractum matrimonii requiritur ipſo jure naturæ ea ætas, qua uterque conjux & potentia illa generandi, ſeu perficiendi copulam, & ſufficiente uſu rationis polleat* (612. I. & præc.).

* Cum porro hæc ætas alia in aliis ſit, recte jura certam pubertatis ætatem, annum nempe duodecimum completum in feminis, decimum quartum completum in maſculis, ceu communiter idoneam, conſtituere; de quo practici Theologi.

617.

Error contrahentis matrimonium circa ſubſtantiam perſonæ, ceu importans defectum conſenſus relate ad iſtam, qui ratio exiſtentiæ immediata vinculi eſt, *invalidum reddit matrimonii contractum* (614.).

2°. *Error autem ſolum circa qualitates perſonæ*, ex. gr. nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, bonam indolem &c., licet ex dolo alterius contrahentis proveniat, & motivum fuerit contrahendi, *non irritat contractum abſolute initum de matrimonio*: quia manet conſenſus abſolutus in perſonam, & in dandum illi & acceptandum ab illa jus in corpus.

* Dixi: non irritari conſenſum *abſolute* datum: quia, ſi conſenſus tali conditioni fuiſſet affixus, ea non exiſtente non eſſet abſolutus, nec ſufficiens ad validum matrimonii contractum.

618.

618.

Defectus conſenſus parentum per ſe non irritat contractum matrimonii: quia nec conſenſum abſolute tollit, qui eſt cauſſa immediata, nec facultatem phyſicam libere diſponendi de uſu corporum in contrahentibus filiis; quæ cauſſa mediata eſt exiſtentiæ vinculi conjugalis (614.): quippe ſecundum quam nec univerſe utile, minus neceſſarium eſt, ſubjici liberos parentum arbitrio: cum nimis frequens periculum foret, parentum conſenſum etiam inique liberis denegatum iri: ergo per ſe, & ſpectato jure naturæ, liberi quoad dictam facultatem parentibus non ſubjiciuntur.

Concilium Tridentinum idem definiit Seſs. XXIV. de Reform. Matrim. c. 1., *anathemate damnans, qui falſo affirmat matrimonia, a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita, facere poſſe.* Adde *exempla Eſau* Gen. XXVI. duas, *Jacobi* tres Gen. XXVIII., *Tobiæ* unam Tob. VII., inconſultis parentibus ducentium; quæ nuptiæ nullibi irritæ in SS. literis declarantur.

* *Eraſmus* in Colloq. de Matrim., *Lutherus* in Serm. de Matrim., *Calvinus* L. IV. Inſtit. c. 19. contrarium docentes, anſam dedere huic definitioni Concilii; quæ præciſe negat, ſine lege civili, vel Eccleſiaſtico, ſuapte ſolum auctoritate parentes poſſe negato conſenſu irritare matrimonia liberorum ſuorum.

619.

Ratione defectus ex parte facultatis contrahendi, ceu rationis ſufficientis mediatæ exiſtentiæ

tiæ vinculi conjugalis, *non valet contractus matrimonii; quocunque in caſu poteſtate legitimi ſuperioris ſubdito erepta eſt in certis circumſtantiis facultas phyſica valide diſponendi de jure ſui corporis in ordine ad conjugium.*

Cum itaque vi juris publici ſocialis certum ſit, etiam ſuprema poteſtate politica poſſe ſtatui impedimenta dirimentia matrimonii, id eſt, pro certis caſibus eripi poteſtatem nubendi: extra dubium eſt, in quovis tali caſu ex defectu poteſtatis invalidum eſſe contractum matrimonii. Utrum poteſtati etiam eccleſiaſticæ facultas nubendi in Chriſtianis ſubjiciatur, paullo poſt videbimus. Interim *de contractu matrimonii* ſatis jam dictum eſt a theologo theoretico: *de Sacramento* porro differemus.

620.

Ipſe ſtatus matrimonii conſummati virtute tum primævæ inſtitutionis in Adamo, tum inſtaurationis a Chriſto Matth. V. & XIX. factæ, inter fideles conjuges non niſi morte unius ſolubilis, ſacramentum eſt, ſignumque ſacrum illius unionis, qua Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut ſponſæ, ceu caput corpori morali, conjunctus eſt vinculo caritatis inſolubili.

Veritas hoc clare expreſſa eſt 1'.) a S. Paulo Apostolo in Epiſt. ad Epheſ. V. 22. „Mulieres, inquit, viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut „Domino: quoniam vir caput eſt mulieris; ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſalvator „corporis ejus. Sed ſicut eccleſia ſubjecta eſt „Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. „Viri diligite uxores veſtras; ſicut & Chriſtus „Eccle-

„Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut il„lam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in „verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam „Eccleſiam, non habentem maculam. - - - „Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut cor„pora ſua; - - ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia „membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, „& de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet ho„mo patrem & matrem ſuam, & adhærebit „uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sa„cramentum hoc magnum eſt: ego autem di„co in Chriſto, & in Eccleſia (εις Χριςὸν καὶ εις τὴν Ἐκκλήσιαν).

Hoc in contextu perſpicuum eſt, ſequentia Apoſtolorum affirmare: 1'.) *virum* eſſe *caput mulieris*; ſicut *Chriſtus* eſt *caput eccleſiæ*: 2'.) *Eccleſiam* reſpectu Chriſti, & *mulierem* reſpectu viri, ſe habere, in ſenſu quodam morali, uti *corpus* ad caput: 3'.) idcirco, uti *Chriſtus dilexit Eccleſiam*, ceu *corpus* ſuum, ita & *viros* debere *diligere uxores*; 4'.) viciſſim vero eo ipſo nomine uxores debere *ſubjectas eſſe viris; ſicut eccleſia ſubjecta eſt Chriſto*: 5'.) exinde quoque eſſe illam obligationem individui nexus inter virum & uxorem, ceu caput & corpus; quam jam Adam divinitus agnovit: 6'.) magnum eſſe myſterium, quod ſub tam inſolubili nexu conjugum latet; quaſi diceret: pauci ſciunt cauſſam, cur tam inſolubilis ſit ille nexus, & quam magnum lateat ſub eo Sacramentum: 7'.) ſe autem id declarare per Chriſtum & Eccleſiam.

Prorſus ſcilicet eo ſenſu hoc dictum eſt; quo *S. Auguſtinus*, jam ſupra a me citatus, L. de bono conjug. cap. 7. dixit: „quem non fa„cit

„cit attentum, quid ſibi velit tanta firmitas „vinculi conjugalis? quod nequaquam puto tan- „tum valere potuiſſe; niſi alicujus rei majoris „ex hac infirma mortalitate hominum quoddam „ſacramentum adhiberetur.

2'.) idem *probatur* ex SS. Patrum conſenſu. *Tertullianus* L. de Anima cap. 11. „Adam „ſtatim prophetavit magnum illud Sacramen- „tum in Chriſtum & Eccleſiam, dicens: hoc „nunc os ex oſſibus meis &c.

S. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Epheſ. hom. 20. „quid eſt magnum myſterium? Ipſe dicit, quod „magnum quid & admirabile ſignificavit Moy- „ſes, immo vero DEUS. Interim autem dicit, „in Chriſto dico; quoniam & ipſe dimiſſo pa- „tre deſcendit, & venit ad ſponſam, & factus „eſt in ſpiritum unum.

Eadem fere ſcribit in eundem locum *S. Hieronymus*, allegans in eandem ſententiam *S. Gregorium Nazianzenum* (qui revera in Orat. 31. idem tradit); quocum ipſe de iſtius loci ſenſu tractaverit.

S. Auguſtinus L. 9. de Gen. ad lit. cap. 19. „evigilans, inquit, Adamus, tanquam prophe- „tiæ plenus, cum ad ſe adductam coſtam mu- „lierem ſuam videret, eructavit continuo, quod „magnum Sacramentum commendat Apoſtolus: „hoc nunc os &c.

S. Leo M. Ep. 2. (alias 92.) c. 2. „Socie- „tas nuptiarum ita fuit conſtituta, ut præter „ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & „Eccleſiæ ſacramentum.

621.

Digitized by Google

621.

In conjunctione Matrimonii chriſtiani, ſeu quæ ſit in Eccleſia ſecundum inſtitutionem Chriſti, verum Sacramentum practicum intervenit, quo conjugibus gratia confertur.

Dogma catholicum *probatur* 1°.) ex SS. LITERIS, ex textu nimirum Epiſtolæ ad Epheſ. V., §. præc. allegato; ex quo quidem ſequitur, uti ſtatus matrimonii eſt ſacramentum ſtabilis *unionis* Chriſti cum Eccleſia, ſic & conjunctionem matrimonii primam eſſe ſacramentum ac ſymbolum *unitionis* primæ Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem: quæ conjunctio prima matrimonii actualis cum non poſſit fieri niſi per aliquod ſignum ſenſibile (612. II.); habebit illa rationem veri Sacramenti tranſeuntis; cujus ipſe ſtatus inſolubilis matrimonii: ceu Sacramentum permanens, erit effectus (præc.).

Porro *gratiam* ſimul in tali conjunctione prima matrimonii chriſtiani conferri, hoc inprimis ratiocinio præ aliis ſolidius Theologi quidam catholici eruere ex prædicto Apoſtoli textu conantur. Matrimonium ex inſtitutione divina ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Atqui hæc non erat ſolum ſecundum carnem conjunctio per aſſumtionem naturæ humanæ; quo pacto Chriſtus non ſolum cum Eccleſia, ſed cum toto genere humano conjungebatur; ſed ſecundum gratiam & caritatem; qua tum ipſe ungebatur ut caput Eccleſiæ; tum *ſanctificabat Eccleſiam, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut* eam *ſibi exhiberet glorioſam*; ut ait ipſe Apoſtolus loc. cit. Ut ergo hanc conjunctionem ſignificet conjunctio conjugum; opor-

Digitized by Google

oportet eam non tantum fieri conjunctione carnis per vinculum, ſed conjunctione ſpirituali gratiæ & caritatis ſupernaturalis; qua vir ungatur in caput mulieris tale; quale erat Chriſtus reſpectu eccleſiæ, uſu conjugii carnalis ſanctificans mulierem; & mulier mundetur ad modum eccleſiæ; non ex libidine carnali, ſed ex ſancta cupidine Chriſto generandi ſervos, admittens viri amplexus.

Quodſi dicas: iſtius ratiocinii virtute omnia matrimonia, ſaltem fidelium, etiam in veteri teſtamento fore pro Sacramentis practicis, id eſt, gratiam conferentibus, habenda; quia etiam illa erant ſacramenta & ſymbola illius conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: *reſpondent*: Apoſtolum per ea verba, *ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia*, ſatis innuere, Sacramentum illud matrimonii in Eccleſia Chriſti celebratum ſpeciali & perfectiore modo repræſentare illam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, eoque ipſo nomine ab Apoſtolo *magnum* dici *in Chriſto & in Eccleſia* celebratum: quaſi diceret: *Sacramentum hoc magnum eſt*, ſiquidem ſecundum Chriſti inſtitutum, & in ejus Eccleſia, celebretur.

Alii cum Maldonato, Catharino, & Petro Soto ex eo ipſo concludunt, etiam in veteri teſtamento matrimonium fuiſſe verum & practicum ſacramentum; ſicut nunc eſt. *Interim* fatebor lubens cum multis Theologis catholicis primi nominis, hoc argumentum ex SS. Scripturis non mihi videri decretorium, nec acatholicis de hoc dogmate convincendis ſe ſolo ſatis idoneum & ſufficiens. Itaque ſolidius

Pro-

Probatur 2°.) EX TRADITIONE conſtanti SS. PATRUM ET OMNIUM ECCLESIARUM. Omnes enim chriſtianæ Eccleſiæ omni tempore inde ab Apoſtolis matrimonia chriſtianorum ex præſcripto Apoſtoli ad Epheſ. V. coram Eccleſiæ miniſtris celebrari, & ab his ritu aliquo externo ſanctificari debere credidere; nec niſi ſic celebrata pro chriſtianis matrimoniis ſimul, ac pro veris Sacramentis habuere; quibus gratia ſpecialis officia matrimonii rite implendi conjugibus ab Eccleſia copulatis tribueretur.

a) *S. Ignatius Martyr* in Epiſt. ad S. Polycarpum, *Decet*, inquit, *ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant; quæ nuptiæ ſecundum Dominum ſint, & non ſecundum cupiditatem.*

b) *Tertullianus* L. 2. ad Uxor. verſus finem. *Unde ſufficiamus ad narrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet.*

c) *Idem* L. de Pudic. cap. 4. *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

d) *S. Baſilius* hom. 7. in Hexameron *Jugum per benedictionem impoſitum conjunctionem* matrimonii appellat.

e) *Concilium Carthaginenſi IV.* anno 398. cap. 13. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis vel paranymphis offerantur: qui, cum benedictionem acceperint, ea-*

dem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

f) *S. Ambroſius* Epiſt. 19. ad Vigilium n. 7. *cum*, ait, *conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat; quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia.*

g) Idem in L. I. de Abraham cap. 7. ait, eum, qui *alienum torum polluit, peccare in DEUM, cujus legem violet, gratiam ſolvat; & ideo, quia in DEUM peccat, ſacramenti cæleſtis illum amittere conſortium.*

h) *S. Auguſtinus* L. de fide & oper. c. 7. *In civitate Domini*, ait, *hoc eſt, in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, ſed etiam Sacramentum commendatur.* Et Lib. de bono conjug. c. 18. *In Chriſtianorum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Et ibid. c. 24. ait: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque homines in cauſſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum DEI pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti; per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.*

Interim, quidquid obloquatur Tournely, vere non minus quam ſincere Vaſquius diſ. 2. de Matrim. adnotavit, attente conſideratis hisce S. Auguſtini teſtimoniis non ſatis apertum eſſe, an S. Doctor de *Sacramento* in ſtrictiore & propria ſignificatione, an in latiore ſolum, quale matrimonium etiam vi primævæ inſtitutionis ſuæ ex ipſius quidem S. Auguſtini ſententia jam fuiſſe §. præc. n. 2. diximus, loquatur. Ubique enim S. Doctor *Sacramenti* rationem ceu cauſſam

Digitized by Google

cauſſam abſolutæ indiſſolubilitatis exaggerat in matrimonio fidelium.

Atqui etiam in primæva inſtitutione jam ob rationem Sacramenti *inter fideles* erat ita abſolute indiſſolubile, uti nunc eſt inter Chriſtianos; & tamen tunc non erat niſi Sacramentum latius dictum, id eſt, theoreticum, ſed non practicum, id eſt, gratiam ex ſua virtute conferens. Nihilominus, cum toties Auguſtinus matrimonium appellet *Sacramentum*; tam facile quoque poſitive ſupponi non poteſt, alio ſenſu illum accepiſſe hanc vocem, cum loqueretur de Matrimonio; quam quo eandem communiter accepit loquens de Baptiſmo, Ordine, aliisque veris Sacramentis novæ legis.

i) *Innocentius I.* Papa in Epiſt. ad Victricium Rothomagenſem cap. 6., cum dixiſſet, primos parentes in paradiſo, cum matrimonio conjungerentur, a DEO benedictionem accepiſſe, addit: *quam formam etiam Sacerdotes omnes ſervare uſus ipſe demonſtrat Eccleſiæ. Satis enim abſurdum eſt aliquem credere, uxorem ante baptiſmum acceptam poſt baptiſmum non computari: cum benedictio, quæ per Sacerdotem ſuper nubentes imponitur, non materiam delinquendi dediſſe, ſed formam tenuiſſe legis a DEO antiquitus inſtitutæ doceatur.*

k) *Idem* S. Papa in Epiſt. 9. ad Probum, *Statuimus*, ait, *fide catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque ſecundæ mulieris priore ſuperſtite, nec divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum.*

l) *Siricius* Papa in Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 4. ſcribit: *De conjugali violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur.*

m) *S. Iſidorus* Hiſpal. L. 2. de Offic. Eccleſ. cap. 19. *Quod in ipſa conjunctione connubii a Sacerdote benedicuntur, hoc eſt a DEO in ipſa prima conjunctione hominis factum. Sic enim ſcriptum eſt: fecit DEUS ad imaginem ſuam maſculum & feminam, & benedixit eis dicens: creſcite, & multiplicamini. Hac ergo ſimilitudine fit nunc in Eccleſia; quod tunc factum eſt in paradiſo.*

n) In Epiſtola, quæ *S. Evariſto* Papæ ab Iſidoro Mercatore ſaltem jam ſeculo VIII. adſcripta fuit, legitur, *hunc eſſe morem, ut uxor a parentibus dotetur, & cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur.*

o) Seculo XII. *Lucius III.* Papa in Cap. *ad abolendam: de hæreticis*, matrimonium ceteris accenſet Sacramentis. *Qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini J. C., vel de Baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, Matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam Sacroſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus.*

p) *Ec-*

Digitized by Google

p) *Eccleſia Græca* ſine ulla diſcordia hac in parte jam inde ab omni retro ætate & memoria idem quoad Sacramentum matrimonii ſenſit cum Eccleſia Romana; uti teſtantur omnia Græcorum *Euchologia*, ſimiles cum latinis ſponſorum benedictiones præſcribentia; item *literæ Michaëlis Palæologi* Imperatoris Græci an. 1274. ad Concilium Lugdunenſe II. œcumenicum miſſæ, quæ in ipſa fidei promiſſione *ſeptem* recenſent *Sacramenta*, & inter hæc *Matrimonium* enumerat: item *Simeon Theſſalonicenſis* Epiſcopus, circa annum 1410. clarus, in Lib. *de initiatis* cap. 33. *ſeptem* pariter *Sacramenta*, & inter ordinationem & pœnitentiam medio loco *nuptias*, enumerans: denique *Jeremias Patriarcha* Conſtantinopolis in reſponſo ad Wittenbergenſes Theologos eodem ordine ſeptem Sacramenta, & in his matrimonium recenſens.

Eadem denique fides, idem uſus benedictionum matrimonii apud Jacobitas, Coptos, Syros, alioſque orientales chriſtianos eſſe ex illorum Euchologiis cognoſcitur.

Jam ex univerſis hiſce teſtimoniis *primum* illud clariſſimum eſt, videlicet matrimonia chriſtianorum inde a temporibus Apoſtolorum, quibus proximus certe fuit S. Ignatius Martyr, coram Epiſcopo, vel Sacerdote, & cum accepta ab eo benedictione, celebrari debuiſſe: *alterum* quoque ſatis conteſtatum eſt, quod nempe, ea Sacerdotis benedictione accepta ſanctificari matrimonii contractum, & ipſos ſponſos, communiter in Eccleſia creditum fuerit: *tertium* vero, idque præcipuum, quod nimirum ea ſanctificatio in vera gratia Sacramenti conſiſtere pariter crederetur, ex teſtimoniis ſub literis f, g, k,

 tum

tum vero ex eo præcipue etiam infertur; quod *Matrimonii Sacramentum*, quale Patres conſtanter poſt Apoſtolum appellant, inde a priſcis temporibus nullo diſcrimine ceteris Sacramentis, tam in græca, quam in latina Eccleſia, fuerit connumeratum; cujus rei nullum aliud initium, quam traditio per Apoſtolum accepta, de ratione Sacramenti Matrimonio congruente uſpiam invenire eſt.

Probatur 3'.) EX TRIDENTINO CONCILIO, quod huic inprimis traditioni innixum Seſs. XXIV. can. 1. ſic definiit: *Siquis dixerit, Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit.*

Idem Concilium in Doctrinæ expoſitione de Matrimonio ibidem ſic differit: *gratiam: quæ naturalem* (conjugum) *amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Sacramentum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit; quod Paulus Apoſtolus innuit dicens:* Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea; *mox ſubjungens:* Sacramentum hoc magnum eſt &c.

* Poſt antiquos Sectarios, qui honeſtatem matrimonii impugnarunt, & quorum refutatio ad Theologiam practicam ſpectat. *Lutherus*, & *Calvinus*, etſi licitas & honeſtas eſſe nuptias confiterentur, tamen veram ac propriam omnem Sacramenti rationem eis detraxere. Anſam quodammodo illis dedere Theologi

quidam

quidam primi nominis in Schola Theologiæ catholicæ, qui cum Magiſtro ſententiarum L. IV. diſt. 2. lit. A. docuere, matrimonio Sacramenti rationem non practicam, ſed ſolum theoreticam convenire; nec per illud gratiam conferri, ut in ceteris novæ Legis ſacramentis; etſi ipſum ſit in remedium contra peccatum inſtitutum a DEO. Celebrior hos inter erat Durandus. Unde & SS. Thomas & Bonaventura, & cum his Scotus, aliique, veram ac catholicam ſententiam tuentes, eam tantum ut probabiliorem, & longe communiorem, non ut ex fide certam, propoſuere.

Alii ex catholicis Theologis cum Petro Soto, Maldonato, Catharino &c. docuere, jam in veteri lege matrimonium fuiſſe verum & practicum Sacramentum; quale nunc eſt in lege nova. Rurſus alii cum Vaſquio & Eſtio in IV. diſt. 26. §. 7. credidere, ex Scripturis ſaltem ſolide probari non poſſe, matrimonium eſſe Sacramentum practicum, ac gratiam per ſe conferens, etiam in nova lege. Cujus diſputationis judicium cum utique ad Eccleſiam pertineret, definitiva ſententia eam decidendi jus utique recte ſibi Tridentini Patres, approbante Pio IV. Papa, ſumſere.

** Ceterum id fere potiſſimum ab his, utcunque diverſis, adverſariis pæne communiter objici ſolebat præſenti dogmati, 1'.) quod probatio illius ex SS. literis deſideraretur: 2'.) quod ipſa traditio ſit ſatis manca de eodem: 3'.) quod inſtitutio Chriſti nuſpiam appareat: 4'.) quod matrimonium quidem ſit ſignum ſacrum unionis Chriſti cum eccleſia, ſed non gratiæ, quæ conjugibus conferatur.

Reſp. ad 1. Textus Apoſtoli ad Eph. V. probat, matrimonium eſſe *magnum Sacramentum*, idque tum modo ſpeciali & inſigniore gradu, cum celebratur eo modo, ut ſit *Sacramentum in Chriſto & in Eccleſia*, id eſt, imago perfecta unionis Chriſti cum eccleſia. Quis vero interpres melior obſcuri iſtius dicti Apoſtolici, quam Eccleſia; quæ id intelligit ita, ut matrimonium dicat eſſe Sacramentum non unionis mere phyſicæ cum carne humana, ſed ſpiritualis unionis Chriſti cum Eccleſia per caritatem; quale non eſt ſine gratiæ effectu, id eſt, niſi ſit verum practicum novæ legis Sacramentum.

Porro ſicut in veteri teſtamento Sacramenti vis perinde atque ipſa futura unio Chriſti cum Eccleſia cognita nondum erat; ita non niſi in nova lege, in qua propalata jam publice ſunt DEI Hominis myſteria, actu magnum Sacramentum ſeu ſymbolum unionis illius eſt matrimonium cum benedictione ſacerdotali in Chriſti & Eccleſiæ nomine celebratum.

Ad 2. Traditio in hoc minime manca eſt, quod matrimonium communiter in Eccleſia pari titulo cum reliquis Sacramentis pro vero *Sacramento* novæ legis haberetur, & in ejus Sacramenti perceptione, accedente quidem Sacerdotis benedictione, conjuges ſanctificarentur. Atqui hæc ſubſtantia eſt dogmatis. Et vero vel ſola ratio perſuadere cuique deberet, ſumme benevolum redemtorem, qui matrimonium unionis ſuæ cum Eccleſia ſymbolum, ſuamque erga ſponſam Eccleſiam caritatem conjugibus exemplum eſſe voluit, etiam

Digitized by Google

etiam ſpecialem gratiam conjugibus deſtinaſſe, qua immitari in uſu matrimonii caritatem ipſius poſſent, quæque illis ex Sacramenti illius virtute & occaſione conferretur.

Ad 3. Cum Apoſtolus ad Eph. V. Sacramentum hoc ſolum promulget; conſtetque ſimul, in Sacramentis nihil poſuiſſe Apoſtolos, niſi quod pro tali jam divinitus inſtitutum a Chriſto accepiſſent; recte colligitur, id jam ab ipſo Chriſto inſtitutum fuiſſe; etſi tempus inſtitutionis ac cetera adjuncta in Scripturis non memorentur.

Ad 4. Ex dicendis ſtatim de miniſtro & forma hujus Sacramenti patebit, non deeſſe in eo ſignum gratiæ ſacramentalis idoneum.

622.

Benedictio Sacerdotis, qua contractui nubentium benedicit, ad eſſentiam Sacramenti pertinet; atque in ea vis practica Sacramenti hujus in ordine ad conferendam nubentibus gratiam conſiſtit: 2°.) ac proinde Sacerdos miniſter eſt Sacramenti matrimonii.

Probatur 1°.) ex eo, quod traditio omnis Eccleſiæ, quæ teſtatur in matrimonii contractu intervenire ſacramentum practicum, quo ipſi conjuges ſanctificentur, unice hanc ſanctificationem repetat a benedictione Sacerdotis; ita quidem, ut nullum prorſus documentum extet, quo ille effectus gratiæ ipſi contractui nubentium tribuatur; ac prorſus probari non poſſit, Sacramentum Matrimonii practicum eſſe, gratiamque tribuere, niſi ex teſtimoniis, quæ id benedictione Eccleſiæ & Sacerdotum ſanctificari

 affir-

affirmant. Patebit hoc cuique probe ponderanti univerſa teſtimonia §. præc. n. 2. adducta.

Quodſi enim benedictio illa accidentalis eſt in matrimonii Sacramento, SS. Patres teſtantes, per illam ſanctificari nubentes, de ſanctificatione, non Sacramento propria, ſed mere accidentali, unice loquuntur, quæ precum Eccleſiæ effectus ſit; nec proinde, ipſum Sacramentum matrimonii a Chriſto inſtitutum efficax eſſe ad gratiam per ſe nubentibus conferendam, ex illis teſtimoniis probari poteſt.

Adde, admittendum hoc ipſo fore, ad legem ſolum eccleſiaſticam referendam eſſe neceſſitatem ineundi matrimonia in facie præpoſitorum Eccleſiæ, non ad inſtitutionem divinam. Atqui tamen nullum extat latæ mere humanitus iſtius legis veſtigium; quam S. Ignatius Martyr jam ut antiquitus ſtatutam allegat.

* Adverte porro, nullum adhuc ante ſeculum XII. uſum fuiſſe terminorum *materiæ* & *formæ* in Sacramentis; quos Magiſter ſententiarum primus ex ſchola Philoſophiæ Ariſtotelicæ mutuatos in Theologiam transtulit. Non poterant itaque alia phraſi SS. Patres, id, quod nunc forma Sacramenti appellatur, in Matrimonio aptius denotare, quam dicendo, per eam nubentes ſanctificari.

Probatur 2°.) Contractus ipſe matrimonii ſeorſum ab omni alio ritu ſacro ſpectatus, nec benedictione ulla vel approbatione ſolenni & religioſæ Eccleſiæ conſecratus (etſi habere poſſit rationem ſigni ſacri mere theoretici, quod unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem adum-

adumbret, idque etiam tunc, cum ſine præcedente alio contractu verbali ſponſalia per ſolum carnale commercium mutuo admiſſum ante Tridentinum tranſibant in matrimonium de præſenti) nullam tamen prorſus habet rationem ſigni practici ſacri, id eſt, efficientis gratiam huic Sacramento propriam; imo ne quidem theoretice gratiam iſtam ſignificare per ſe idoneus eſt.

Nam neque *ex ſua indole* analogiam cum eo ſignificatu habet: *nec promiſſio* quædam Chriſti inſtituentis, *nec* atteſtatio SS. Patrum & Eccleſiæ, ſeu *traditio*, de hoc uſpiam extat: *nec contrahentes* ipſi *vel intendunt* ſe mutuo ſanctificare, *vel credunt*, aut uſpiam inſtituuntur, ipſi contractui ſuo id genus virtutem ineſſe; ſed unice a ritu & benedictione per Chriſti & Eccleſiæ miniſtrum accepta hunc effectum expectant.

Et vero videbimus ſuo loco, vim Sacramentorum novæ legis in efficienda ſibi gratia (excepto Sacramento manducationis SS. Euchariſtiæ, in quo Chriſtus ipſe præſens in perſona gratiam operatur) non aliunde repeti poſſe, quam ex eo quod actiones omnes ſacramentales a miniſtris, ab ipſo Chriſto modo ipſius inſtitutioni conformi ad eas deputatis, & delegatis, ipſius quidem Chriſti, ceu principalis perſonæ, nomine ponantur; ac proinde omnes actiones ſacramentales vere ſint actiones Chriſto moraliter propriæ: perinde atque legatorum cum ſpeciali mandato ſuſceptæ actiones ſunt moraliter ipſius principis actiones, eundemque effectum producunt, ac ſi ab ipſo principe ponerentur.

Jam

Jam vero quo pacto actiones contrahentium, id eſt, tribuentium mutuo jus in corpus ſuum (aliquando olim per ipſam copulam), poſſunt eſſe actiones moraliter Chriſto propriæ, cum ſint vel maxime ex iis, quas perſonaliſſimas vocamus? Ubi enim Chriſtus contrahentes ipſos ſuos miniſtros conſtituit? Ubi eis mandatum dediſſe legitur? Quo ſigno illi exprimunt, ſe nomine Chriſti quidquam agere, aut tribuere, vel efficere? Imo quo pacto vel rationem *ſigni ſacri*, vel omnino etiam *matrimonii chriſtiani*, id eſt, in Eccleſia Chriſti, & ſecundum inſtitutionem Chriſti celebrati, habet contractus *externus*, nullo Sacerdote vel Eccleſiæ miniſtro præſente, benedicente, vel approbante, celebratus? Unde

Probatur 3°.) Generalis aſſertio Apoſtoli I. Cor. IV. 1. hæc eſt: *ſic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei;* ex qua conſtat, Apoſtolos eorumque ſucceſſores, Epiſcopos, aut Sacerdotes, conſtitutos univerſe fuiſſe pro Chriſti miniſtris in diſpenſatione Sacramentorum. Quodſi ergo in ſolo Matrimonii Sacramento eſſet exceptio aliqua, atque in eo contrahentibus ipſis Chriſti miniſterium delatum fuiſſet; ea profecto argumento aliquo ex SS. Scripturis, vel ſaltem ex probata aliqua antiqua Eccleſiæ traditione, probari deberet. Atqui nullo id genus argumento iſta exceptio probatur. Ergo &c.

* Hæc tria argumenta ſimul juncta tanti mihi videntur, ut credam, ob ea theſin iſtam pro dogmate aliquando definiri ab Eccleſia perinde poſſe, atque actu Tridentinum definivit, Sacramentum novæ legis eſſe

ma-

matrimonium, eoque gratiam conferri; eoque amplius, quod argumenta, quæ contra afferuntur, ſiquid equidem video, pleniſſimis reſponſis diſſolvere in promtu ſit: ut mox videbimus.

*** *Opponunt* itaque 1°.) auctoritatem Conciliorum, *Florentini* inprimis, & *Tridentini;* in quorum priore Eugenius IV. in Decreto ad Armenos ſic loquitur: *Septimum Sacramentum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſecundum Apoſtolum. Cauſſa efficiens matrimonium regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*: in altero vero, id eſt, in Tridentino, Seſſ. XXIV. cap. 1. de reform. Matrim. declaratur, *dubitandum non eſſe, clandeſtina matrimonia rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia irrita ea non fecit.* Conſenſus ergo contrahentium Sacramentum efficit matrimonii; neque ſecus *vera & rata* dici a Tridentino matrimonia clandeſtina poſſent.

Reſp. Circa Florentinum probe velim illud advertas, illius ætate nondum fuiſſe pro certo dogmate habitum apud Theologos, Sacramento Matrimonii gratiam conferri, idque eſſe univoce Sacramentum practicum novæ legis more aliorum.

Eugenius IV. ergo volens Armenis non niſi ea proponere, quæ certa tunc in ſcholis Theologis apud catholicos haberentur, non niſi theoreticam Sacramenti Matrimonii rationem Armenis explicat; ſecundum quam videlicet id eſt ſacramentum conjunctionis Chriſti

ſti & Eccleſiæ. Tale autem eſt ratione vinculi inſolubilis inter Chriſtianos conjuges. Porro hujus vinculi cauſſa efficiens prorſus eſt mutuus contrahentium conſenſus. Patet ergo, nihil de ratione practica Sacramenti Eugenium IV. citato loco docuiſſe, imo nec illam attigiſſe.

Quod ad Tridentinum attinet; inprimis teſtis eſt Pallavicinus in Hiſt. L. XXIII. c. 9. n. 13., *nunquam declaraſſe Concilium, ea fuiſſe Sacramenta, adeo ut graves quidem Theologi id negent*; ubi & Fratrem Paulum, id aſſerentem explodit. Et vero *Colonienſe Concilium* an. 1536., id eſt, paucis annis ante Tridentinum, ut poſtea probabo, Melchior Canus ipſo tempore Tridentini edito opuſculo, cum aliis pluribus Theologis, docuerant contrarium.

Rurſus, cum certiſſimum ſit, quod infra docebimus, videlicet ſeparari contractum matrimonii a ratione Sacramenti poſſe; poteratne Tridentinum, quod præciſe eorum ſententiam reprobare intenderat, qui filiorumfamilias matrimonia, ſine conſenſu parentum contracta, ceu clandeſtina, irrita eſſe cum Luthero docebant; poteratne, inquam, Tridentinum aliud de iis edicere, quam ea *vera & rata* matrimonia eſſe, id eſt, *valida, nec diſſolubilia poſt conſummationem*.

Id enim ſolummodo exprimi illis vocibus, oſtendo ex uſu recepto in Jure Pontificio, quo voces iſtæ in eo conſtanter occurrunt. Exemplo ſit Cap. de divortio, *quanto*. in quo *Innocentius III.* quæſtioni, *utrum vinculum conjugale diſſolvatur altero conjugum fidelium in hære-*

hæreſin lapſo, ſic reſpondet: *non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero poſſit ad ſecundas nuptias convolare; licet in hoc caſu major appareat injuria creatoris. Nam etſi verum inter infideles Matrimonium exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit: quia Sacramentum fidei* (id eſt, baptiſmus), *quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur; ſed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut & ipſum in conjugibus illo durante perduret.* Enimvero phraſis hæc, baptiſmus *ratum efficit* conjugii Sacramentum, aliud haud ſonat, niſi quod *efficiat inſolubile* (poſt conſummationem videlicet); quod ipſum explicant verba ſubſequentia, ut *in conjugibus illo durante perduret.*

Idem patet ex Decreto Gratiani cauſſa 28. ſub finem q. 1.: *Item illud Auguſtini*: non eſt ratum conjugium, quod ſine DEO eſt. *Non negat, conjugium eſſe inter infideles. Conjugium enim aliud eſt legitimum & non ratum; aliud ratum & non legitimum; aliud legitimum & ratum. Legitimum conjugium eſt, quod legali inſtitutione, vel provinciæ moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non eſt; quia non eſt firmum & inviolabile conjugium eorum: dato enim libello repudii licet eis recedere ab invicem, & alii copulari, lege fori, non lege poli. Inter fideles vero ratum conjugium eſt; quia conjugia, ſemel inter eos inita, ulterius ſolvi non poſſunt. Horum quædam ſunt legitima; veluti cum uxor a parentibus traditur, a ſponſo dotatur, & a Sacerdote benedicitur. Hæc conjugia & legitima & rata vocantur.*

Illo-

Illorum vero conjugia, qui contemtis omnibus ſolennitatibus illis ſolo affectu aliquam ſibi in conjugem copulant; hujusmodi conjugium non legitimum, ſed ratum tantummodo eſſe creditur. Ecce! ut ratum conjugium nil aliud ſonat quam indiſſolubile!

Ratum inter infideles non eſt, quia non firmum & inviolabile, etiam poſtquam conſummatum fuerit. Inter *fideles ratum eſt* (etſi aliquando non ſit legitimum, uti ex. gr. clandeſtinum) *quia ſemel inita ſolvi non poſſunt;* ubi nempe fuerint conſummata. Atqui de fidelium non legitimis, attamen ratis, Tridentino eſt ſermo. Nulla ergo ne ſpecies quidem ſolidi argumenti ex Tridentino opponi poteſt.

**** *Opponunt* 2°.) auctoritatem veterum pæne omnium Theologorum ſolo fortaſſis Guilielmo Pariſienſi excepto, qui anno 1246. floruit, contrariam eſſe.

Reſp. Aſt a tempore *Colonienſis* Concilii an. 1536. celebrati, præter Concilia *Cameracenſe*, *Yprenſe*, *Mechlinienſe*, *Rhemenſe &c.*, ſeculo decimo ſexto celebrata, ultra viginti quatuor ex celeberrimis Theologiæ Doctoribus citatos apud Le Drou L. X. de re Sacrament. T. II. pag. 513. & apud Tournely edit. Venet. anno 1739. pag. 57., tum etiam apud Proſperum Lambertinum Lib. VIII. de Synod. Diœc. cap. 13. n. 3. invenies.

Fruſtra quidam *Colonienſium* Patrum auctoritatem noſtræ ſententiæ eripere tentarunt, ſuperficaria lectione decepti.

decepti. Ecce verba Enchiridii Colonienſis fol. CCV. col. b. *Verbum itaque hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirum eſt, quo ambo, mas & femina (cum,* id eſt, quando, *pietatis reſpectu, quæ in DEUM eſt, ſibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque) non quovis modo, ſed in nomine DEI conjunguntur, ac copulantur.* (Nota, ob non animadverſam iſtam interpunctionem parentheſis, erraſſe eos, qui ex adverſariis cum Laurentio Berti L. 37. c. 10. n. 2. pro ſe citarunt Colonienſe hoc Concilium). *Interim nil refert, qua lingua, an latina, an vernacula, & quibus dictionibus hoc verbum exprimatur; modo id clare & diſerte ſignificetur, nimirum præſentes marem & feminam, in ſe mutuo conſentientes, ſeſeque in conjuges accipientes* (ecce! *verbum* conſequens conſenſum ſponſorum verbo jam expreſſum) *in DEI nomine, ſive in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti copulari. Eſt autem tale verbum Chriſti verbis, uti firmiſſima validiſſimaque baſi ſubnixum; cum inquit:* quos DEUS conjunxit, homo non ſeparet. *Quibus ſane verbis Sacramentum matrimonii novæ legis firmiſſime ſtabilitur, & Chriſtianorum conjugia ab omnium aliarum gentium connubiis ſeparantur. Verbum profecto admirabile; quod nemo potuiſſet effari præter Verbum, quod caro factum eſt.*

Poſt hæc explicant Patres illi ſenſum verborum DEI, ſcilicet quod DEUS conjŭgat eos per gratiam ſuam &c. Tum vero fol. CCXV. ſequitur de Miniſtro hujus Sacramenti: *Poſtremo videntum eſt &c.* ubi probant, Sacerdotem eſſe, & refutant ſententiam adverſam, exemplo veteris teſtamenti, ac concludunt deni-

que: *quanto magis ergo putandum eſt, in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro DEO funguntur, legitimos hujus Sacramenti miniſtros eſſe.*

His adde *Rituale Romanum* vetus an. 1494 ab Alberto Caſtellano Ord. Præd. collectum, quod eadem Sacerdotis *verba* vocat *formam hujus Sacramenti*; item *Rituale Mediolanenſe* a S. Carolo Borromæo editum, in quo Actorum parte 4. parochus dicitur *quinque duntaxat adminiſtrare poſſe Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam unctionem;* aliaque plura apud Martene citata de Antiq. rit. Eccleſ. T. II. p. 2. L. I. cap. 9.

Ceterum quam obſcure veteres Theologi ante ſeculum decimum ſextum de toto argumento iſto Matrimonii ſcripſerint, eos legentibus & comparantibus cum poſterioris ætatis Theologis ignotum eſſe non poteſt. Videntur illi obſcuritate traditionis Eccleſiaſticæ, nec non frequentia matrimoniorum, ſeu clandeſtine, ſeu ſaltem ſine Sacerdotum aſſiſtentia celebratorum, quæ ſeculis præſertim nono & ſequentibus invaleſcebat, in eam ſententiam inducti; quæ omnia gratiæ Sacramenti expertia declarare difficile putabant.

Id quoque opinionis illius motivum eſſe potuit, quod matrimoniis etiam ejusmodi, ceu inſolubilibus, ineſſe rationem *Sacramenti* ſaltem *theoretici* unionis Chriſti cum Eccleſia adverterent, quam a ratione *Sacramenti practici* in nexu quæſtionum diverſarum conſtruendo fortaſſis non ſemper ſatis accurate diſtinxere. Cum præterea dogma nondum eſſet declaratum, Sacramen-

tum

tum hoc gratiam conferre; momentum argumenti primo loco a me allati vix ſatis ponderaſſe videntur.

***** *Opponunt* 3'.) varietatem formæ a Sacerdote in diverſis Eccleſiis pronuntiari ſolitæ; quæ ſæpe in ſolis pecibus, alias in ſolis his verbis conſiſtit, *quod DEUS conjunxit homo non ſeparet*: Tridentinum vero omnes receptas formulas permittit. Imo in ſecundis nuptiis nullam omnino benedictionem adhiberi etiam in latina eccleſia; in græca vero olim ne licitas quidem fuiſſe habitas, atque idcirco bigamos pœnitentiæ publicæ ſubjectos.

Reſp. Ex documentis de antiquiſſima traditione allatis patet, in eccleſia græca æque ac latina creditum fuiſſe nubentes, ſi *in Domino* nubere velint, ſanctificari debere & conjungi ritu quodam ſacro ab Epiſcopo, vel Sacerdote (vide probat. 2.); ſecus nuptias non pro ſacramento, ſed pro crimine mœchiæ ſimili fuiſſe habitas. Jam quiſcunque ille fuerit ritus, & quocunque verbo expreſſa mens eccleſiæ fuerit, id certe indicabat, impertiri illam per ſuum miniſtrum nuptis eam benedictionem, qua conjunctio iſta illorum finem divinæ inſtitutionis obtineat. A traditione tam publica in ſubſtantia defeciſſe vel unam ex catholicis eccleſiis, velim adverſarius quis oſtendat.

Si vel id unum dixerit Sacerdos nubentibus, *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet*, utendo verbis ipſius Chriſti haud dubie mentem ipſius quoque expreſſit, precatusque eſt, ut DEI gratia illorum mentes conjugali affectu perpetuo conjungeret, ſicuti nunc inſolubili vinculo officiorum mutuo conſenſu necterentur.

Atqui tali aliqua benedictione, quæ ſola ſubſtantialis eſt, eccleſiæ latinæ omnes, etiam in ſecundis nuptiis, utuntur; etſi eam ſolennem, ſed mere accidentalem in alteris nuptiis ommittant, qua in Miſſa poſt orationem Dominicam Sacerdos fœcunditatem nuptis precatur; quia ſemel impenſa hæc benedictio ſufficere videtur.

De Græcis vult Benedictus XIV. L. VIII. de Synod. c. 13. n. 7. aliquos negaſſe licitas & validas: id certius, quod, cum non licitas putarunt, nec Sacramentum eſſe ſimpliciter crediderint, quo poſito mirum non eſt, benedictione carere eas voluiſſe. Interim & hoc incertum eſt, utrum olim ſaltem Græci omnem benedictionem ſecundis nuptiis negarint.

* * * * * * *Quæres*: an collatio hujus Sacramenti poſſit delegari non Sacerdoti, ex. gr. diacono. *Reſp.* Nullius Sacramenti a Chriſti inſtituti, *confectio* poteſt fieri a non Sacerdote; excepto, quod ſcimus, ſolo Baptiſmo, ob iſtius videlicet abſolutam neceſſitatem.

623.

I. *Itaque contractus conjugalis effectus proprius eſt vinculum conjugale, perpetuum in baptizatis, ſi ſemel fuerit conſummatum* (605. 608. 609.); *Sacramenti vero, id eſt, benedictionis Eccleſiæ effectus eſt gratia conſtans, ad implenda officia ſtatus conjugalis auxilio futura.*

II. *Nihil ergo obſtat, quo minus contractus matrimonii etiam in conjugibus fidelibus & baptizatis ſeparari aliquando poſſit a ratione Sacramenti*

ti practici novæ legis. Fieri enim poteſt inprimis, ut contractus valide ineatur, quin aliquis Sacerdos impertiatur Sacramentum benedictionis; ſive vitio contrahentium, uti olim in clandeſtinis matrimoniis, quæ tamen valida fuiſſe declaravit ipſum Tridentinum (præc. not. 3.); ſive neglectu intentionis & voluntatis in Sacerdote, vel negante benedictionem etiam externe, vel ſaltem occulte; de quo ultimo caſu cap. ſeq. agemus, dicturi de neceſſitate intentionis in Miniſterio Sacramentorum. Sic hodiedum permittuntur conjuges, ob impedimentum dirimens ſemel publice, licet, invalide, copulati, occulte revalidare contractum ſine Sacerdotis interventu, ad ſcandalum, vel infamiam declinandam.

III. *Ut Sacramentum practicum, ſeu conferens gratiam conjugibus, percipiatur, Sacerdote benedicente conjugibus tunc opus eſt, ceu miniſtro Chriſti, cum ſponſi contrahunt de præſenti.* Sicut enim tunc incipit Sacramentum unionis Chriſti cum Eccleſia ope contractus exiſtere; ita mox unionis conjugalis gratiam conferri oportet, ut unio Chriſti cum Eccleſia per id repræſentetur, quæ mox inde a principio fuit facta cum gratia & caritate.

* Inde eſt, quod, qui olim clandeſtina contrahebant matrimonia, vel infideles converſos, Eccleſia nec poſt converſionem benedictione Sacerdotali impertiri unquam permiſerit. Legitur quidem Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. p. 6. Append. cap. 8. declaraſſe, quod ſufficiat, ſi loco Sacerdotis interſit Matrimonio ejus *Notarius*; ſed oſtendit Tournely l. cit.

 pag. 68.

pag. 68., hunc non fuiſſe laicum, ſed Sacerdotem idque clare colligi ex Sacramentario S. Gregorii Magni.

IV. *Nihil obſtat, quo minus, uti contractus matrimonii celebrari per procuratorem* (612. *V.*), *ita & Sacramentum percipi a ſponſis abſentibus eodem tempore poſſit.* Cum enim in hoc Sacramento non elementum aliquod, non contractus ſubjecti, ut in impoſitione manuum, vel unctione, ſed ſolum contractus coram Eccleſia celebratus, & illius ſacræ benedictioni ſubjectus, requiratur; omnis autem contractus etiam publice ac ſolenniter etiam per procuratorem celebrari poſſit; virtus quoque Chriſti in miniſtro intervenientis ad præſentiam localem non reſtringatur; nihil profecto obſtat, quo minus &c.

* Sic nec per ſe Sacramentum pœnitentiæ repugnaret percipi ab abſente; niſi decreto Clementis VIII. a. 1602. invalida æque ac illicita abſentis pœnitentis abſolutio fuiſſet declarata. Interim quia graves Doctores Theologi aliter de hac re ſenſere; idcirco uſus obtinet, ut, qui abſentes contraxere coram Sacerdote benedicente, renovent conſenſum poſtea præſens coram parocho iterum benedictionem impertiente, ut omnis ſcrupulus, & periculum non participandæ gratiæ ſacramenti tam neceſſariæ, removeantur. Idque maxime uſuvenit inter viros principes & primarios.

624.

Matrimonium etiam catholici cum quovis chriſtiano acatholico initum ſub ſacerdotali benedictione, ſi fiat cum diſpenſatione debita legis eccleſiaſticæ, aut ordinaria permiſſione (uti in iis locis, ubi

ubi catholici cum acatholicis commixti in eadem civitate degunt), *Sacramentum practicum eſt, conferens gratiam conjugi, qui iſtius ex parte ſua eſt capax.*

Hæreſis enim materialis per ſe non eſt impedimentum Sacramenti; niſi ſit circa ipſam rationem Sacramenti matrimonii, ideoque impediat neceſſariam in ſubjecto recipiente intentionem recipiendi Sacramentum. Quodſi vero Acatholicus etiam ſit in errore formali; is error per ſe, perinde ac quodvis aliud peccatum, impedit quidem ex parte ipſius fructum & gratiam Sacramenti; ſed non vim ipſam Sacramentalem & rationem Sacramenti ex parte miniſtri Sacerdotis; tam parum, quam in Sacramento Ordinis. Ergo &c. &c.

* Interim Tournely de Sacram. Matrim. Edit. Venet. a. 1736. pag. 51. memorat, *Clementem VIII.* prohibuiſſe id genus nuptiis impertiri benedictionem nuptialem; quam legem equidem non exiſtimo eſſe ubivis locorum in praxi receptam.

625.

Poteſtas legislatrix Eccleſiæ ſe extendit ad conſtituenda impedimenta non tantum impedientia licentiam, ſed etiam dirimentia valore ipſius contractus matrimonialis, ex rationibus *quidem eccleſiaſticis, ad ſalutem ſpiritualem animorum pertinentibus.*

Dogma catholicum *probatur* 1°.) EX SS. LITERIS, & iisdem quidem textibus, ex quibus in Dem. Cath. §. 215. oſtendi, Eccleſiæ colla-

tam eſſe a Chriſto poteſtatem legislatricem, non niſi ad naturales limites cujusvis legislatricis poteſtatis reſtrictam; id eſt, qua poſſit id omne ac ſolum, quod & quantum publica ſalus ſpiritualis expoſcit. Sicut ergo poteſtas legislatrix politica etiam vi ſolius pacti taciti conſociationis politicæ poteſt, ſi ita exigat ſalus publica temporalis, etiam certas apponere contractibus conditiones; quibus non obſervatis inhabiles fiant cives ad valide contrahendum: ita pariter poteſtas legislatrix Eccleſiæ, ſi ita exigat ſalus publica ſpiritualis fidelium, a fortiori poteſt apponere certas conditiones contractui matrimonii; quibus non exiſtentibus, nec impletis, non valeat contractus matrimonii, idque tunc inprimis, cum lege ſolum prohibente ſtatuta finis ſpiritualis intentus ſatis efficaciter non obtineretur, nec caveretur reipſa malis, quæ impedire per legem Eccleſia ſapienter intendit, id eſt, profanationi, vel contemtui Sacramenti, cui contractus matrimonii materiam ſuppeditat, cum conſequentibus inde gravibus periculis ſalutis animorum.

A fortiori argumento huic cedere debent ii omnes, qui nobiscum pro indubitato habent, hanc ipſam poteſtatem ipſis adeo Principibus politicis competere. Quo pacto enim probari poterit, Chriſtum ſpiritualis ſalutis cauſſa magis reſtrictam dediſſe rectoribus Eccleſiæ ſuæ poteſtatem; quam qualem ipſum jus naturale politicum tribuit Principibus promovendæ ſalutis temporalis ergo?

Probatur 2'.) EX CONCILII TRIDENTINI Seſs. XXIV. can. 3. *Siquis dixerit, eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico*

vitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema ſit. Et can. 4. *Siquis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Et vero ratio ſic definiendi haud dubie alia non fuit, quam ea ipſa, quam attuli paullo ante.

* Ex abſurdioribus, quæ docuit *Launojus* in Tract. de regia in Matrim. poteſt., illud profecto eſt, quod docuerit, nomine *Eccleſiæ* in utroque Canone citato Tridentini Principes intelligi, nec in his dogma, ſed rem ad ſolam diſciplinam ſpectantem definiri. Nunquid in eadem Seſſione XXIV. can. 12. definit Tridentinum idem, *cauſſas matrimoniales ad judices eccleſiaſticos pertinere*? Nunquid uſpiam alibi rem mere diſciplinarem ſub anathemate præcipit? Aut ſi Principes poſſint mutare materiam Sacramenti, id eſt, contractum matrimonii, indirecte videlicet, illum invalidum reddendo, idque ob ſalutem temporalem civium; idem non poterit Eccleſia ob ſalutem ſpiritualem & æternam fidelium chriſtianorum?

** Iſtud tamen non obſtat, quo minus fateri oporteat, multa Theologorum catholicorum argumenta non probare propoſitum dogma, quod probare intendunt. Sic *afferunt* exemplum Chriſti, impedimentum ligaminis ſtatuentis Marc. X. & Luc. XIII.; item impedimentum diſparis cultus I. Cor. VII. 15. ab Apoſtolo promulgatum. *At enim* hæc jure divino circa in-

 ſolu-

ſolubilitatem, vel ſolubilitatem, matrimonii jam valide contracti ſtatuta, ſatis ad rem non ſunt. *Afferunt* quoque impedimenta dirimentia ab antiquitus jam in Eccleſia obtinentia.

Atqui hæc pæne omnia lege prius civili, aliqua etiam jure divino jam conſtituta fuere, & ab Eccleſia ſolum approbata, recepta, vel declarata; ut hiſtorice a pluribus doctis viris jam noſtra ætate ad oculum probatum fuit. Enimvero multum intereſt ad commendationem & perſuaſionem dogmatum catholicorum, ut ex genuinis ac propriis rationibus diſtincte propoſitis ſolide probentur.

526.

Cauſſæ Matrimoniales, quæcunque ſeſe referunt ad ſalutem ſpiritualem animorum, ſpectant ad judices eccleſiaſticos: id eſt, in quibuscunque agitur *de jure divino*, an virtute illius valida ſint, vel licita, hæc vel illa matrimonia; item in quibus agitur *de jure eccleſiaſtico* ejusque executione ratione impedimentorum impedientium ac dirimentium, ab eccleſia ſpiritualis ſalutis cauſſa ſtatutorum.

Dogma enim *catholicum eſt*, Eccleſiæ propriam eſſe poteſtatem declarandi & exequendi jus divinum, & inquirendi de illius executione, ex fine ſpiritualis ſalutis publicæ promovendæ; eo ipſo, quod munus paſcendi oves gregis Chriſti, & invigilandi ipſarum ſaluti, a Chriſto rectoribus Eccleſiæ ex officio ſit impoſitum, in eisque cum poteſtate coactiva conjunctum.

Dogma

Dogma pariter *catholicum eſt*, Eccleſiæ competere poteſtatem coactivam & jurisdictionem exequendi leges proprias. Ergo &c. &c. Recte itaque hoc ipſum definivit Tridentinum Seſs. XXIV. can. 12. *Siquis dixerit, cauſſas Matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos anathema ſit.*

* Hæc non obſtant; quo minus etiam contractus matrimoniales, quatenus ſeſe referunt ad ſalutem temporalem civium, & reguntur legibus Principum, ſubſint etiam judicibus profanis; modo nihil in his ſtatuant Principes, quod obſtet ſaluti animorum, nec impediant juſtam energiam poteſtatis eccleſiaſticæ; nec quid ab iſta pro poteſtate exigant, de quo ſolius Principis Eccleſiæ, ceu in ſua poteſtate æque independentis, eſt judicare ac decernere.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE IIS, QUÆ SEPTEM SACRAMENTIS, IN NOVA LEGE A CHRISTO INSTITUTIS, COMMUNIA SUNT.

627.

Septem Sacramenta, huc uſque explicata, non plura, nec pauciora, Chriſtus ſua lege inſtituit.

Dogma catholicum de ſeptem huc uſque explicatis Sacramentis patet ex iis, quæ de ſingulis dicta ſunt, de Baptiſmo quidem §. 454. de Confirmatione §. 482. de SS. Euchariſtia §. 492. de Sacramento Pœnitentiæ §§. 527. 533. de extrema unctione §. 576. de Ordine §. 578. de Matrimonii Sacramento §. 621. not. 2. n'. 3.: quod autem haud plura inſtituerit Chriſtus Dominus, ex eo negando inferimus, quia de alterius cujusdam inſtitutione ab eo facta nec SS. literæ, nec traditio Eccleſiæ quidquam memorant. Unde poſt *Concilium Londinenſe* a. 1237. Conſtantienſe 1415. Florentinum in Decreto ad Armenos a. 1443.

Tridentinum ceteris expreſſius definiit Seſs. VII. can. 1. *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ legis eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum &c., anathema ſit.*

Conſentit latinæ Ecclesiæ græca, in omnibus *Ritualibus* a Goario & Arcudio collectis;

Digitized by Google

lectis; teſte item Joanne Palæologo in Profeſs. fid., & Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano in Cenſura Confeſs. Auguſt.

* Rationes ſeptenarii Sacramentorum ex S. Thoma ceterisque Scholæ Magiſtris ipſe Eugenius IV. in Decreto ad Armenos citato, has reddit. Per Baptiſmum ſecundum ſpiritum *renaſcimur*: per Confirmationem *augemur* & roboramur in fide & gratia: divina SS. Euchariſtiæ alimonia *nutrimur*: quodſi per peccatum ægritudinem vitæ ſpiritualis contrahimus, per pœnitentiæ Sacramentum in ſpiritu *ſanamur*; in periculo vitæ corporis extremæ unctionis Sacramento *juvamur in agone ultimo*: ope Sacramenti ordinis *Patres & Magiſtratus ſpirituales*, ope Sacramenti Matrimonii *filii DEI & Eccleſiæ*, *propagantur*, *& multiplicantur*; ac proinde per ſeptenarium hunc Sacramentorum univerſis Eccleſiæ, ceu ſpiritualis viſibilis reipublicæ, neceſſitatibus ſapientiſſime providetur.

Ceterum primorum ſeculorum Patres de iis ſolum Sacramentis publicas inſtructiones ſcriptis ſuis edebant, quæ catechumenis una cum Baptiſmo mox adminiſtrabantur; quæ erant *Baptiſmus*, *Confirmatio*, & *SS. Euchariſtia*; uti *SS. Ambroſius* in Libris de Sacramentis, qui ipſi vulgo adſcribuntur, & *S. Cyrillus* Jeroſol. in Catecheſibus. Quæ vero fidelibus jam profectis applicanda erant, ſecundum præſcriptum Evangelii adhibere ſatis habebant; quin ſcripta inſtructione opus eſſet, puta *SS. Euchariſtiam*, *Pœnitentiæ abſolutionem*, *Matrimonium*, & *extremam unctionem* a S. Jacobo traditam.

De

De *Ordinatione* ſufficiebat Epiſcopos exemplo & praxi ipſa eſſe inſtructos.

** *Proteſtantes,* licet Lutherus mire variarit in Sacramentorum numero, nunc tria, nunc duo tantum, nunc omnia ſeptem admittendo, communius duo ſolum admittunt Sacramenta, Baptiſmum videlicet & SS. Cœnam; aliqui etiam Abſolutionem.

628.

Subſtantiam horum omnium ſeptem Sacramentorum Chriſtus ipſe immediate per ſe inſtituit. Probatio hujus theſis jam data generalis eſt locis §. præc. citatis, præcipue §§. 482. 576.

629.

Non tamen Chriſtus ſic omnia adjuncta Sacramentorum determinavit in ſpecie, ut nihil porro determinandum circa ea Apoſtolos & rectoribus Eccleſiæ ſuæ relinqueret.

Sic in *Baptiſmo* determinavit quidem Aquæ materiam, qua ablutio faciendo, & verborum formulam; ſed modum ablutionis, an immerſione, vel infuſione, an una, vel tribus, facienda ſit, Eccleſiæ arbitrio determinandum reliquit (465. 466.); uti & univerſe idioma, quo in adminiſtrandis Sacramentis uti vellet.

In *SS. Euchariſtia* panem & vinum adhiberi conſtituit, relicta libertate utendi azymo, aut fermentato pane (504.), item diſpenſandi illam ſub una, vel utraque ſpecie (524.).

In

Digitized by Google

In *Sacramento Pœnitentiæ* non niſi ſubſtantia formulæ verborum a Chriſto præſcripta fuit, id eſt, ſenſus ipſe ſententiæ abſolutionis, nulla certa verborum formula (543. ſeqq.).

De Sacramentis reliquis quatuor nihil in SS. literis, vel traditione eccleſiaſtica, conſignatum invenimus de ritu in ſpecie a Chriſto pro illis præſcripto, ita, ut inveriſimile non ſit, Chriſtum, cum dediſſet Apoſtolis perpetuam poteſtatem, etiam ad ſucceſſores transmittendam, conferendi baptizatis Spiritum Sanctum, ordinandi Sacerdotes & Epiſcopos ceu ſuos ſucceſſores in munere apoſtolico, confortandi moribundos ad agonem ultimum, nubentium contractum ſanctificandi, iſtaque omnia efficiendi nomine ſuo, & cum poteſtate miniſtrorum Chriſti, reliquerit ſimul in illorum poteſtate, ut ipſi deſignarent ritum ſenſibilem idoneum in ſpecie, quo id genus effectus a ſe operandos deſignare vellent.

Id quidem magnopere perſuadent ea omnia, quæ alias jam a me tradita ſunt §. 485. not. 4. ſub finem & §. 585. & §. 586. de eſſentiali ritu *Sacramentorum Confirmationis* & *Ordinis*, item de benedictione *Matrimonii* §. 622. not. 5. *Præterea* his etiam poſitis ſalvum manet, Chriſtum ſubſtantiam, id eſt, hæc numero ſeptem Sacramenta, non plura, non pauciora, inſtituiſſe; quibus nempe omnes effectus illis proprii ad perpetuam Eccleſiæ ſalutem reſponderent.

Cumque Chriſtus alioquin non SS. Scripturas pro regula unica & principali, ſed Apoſtolos, horumque in officio iſto perpetuos ſucceſſores, ſub uno capite S. Petro conſtituerit, quorum

rum viva voce regerentur fideles omnes Chriſti oves; eoque fine poteſtate legislatrice eos inſtruxerit, non niſi ad generales legis naturæ terminos reſtricta (Dem. Cath. §. 215.), qua poſſent determinare leges divinas (ibid. § 216.): etiam aliunde hoc nomine conveniens erat, ut ad fideles aſſuefaciendos venerationi hujus poteſtatis & ſacri regiminis Chriſtus non omnia ipſe ſumma præciſione in Sacramentis a ſe inſtitutis conſtitueret; ſed plura in ſpecie conſtituenda, ſalva ſubſtantia ſuæ inſtitutionis, Eccleſiæ ſuæ rectoribus, inprimis Apoſtolis, relinqueret determinanda.

630.

I. *Recte ergo in ſuperioribus capitibus ex communi & ſtabili Eccleſiæ praxi & uſu ſtatuimus eſſentiales ritus Sacramentorum, etiam tunc; cum ſingillatim nihil a Chriſto circa illorum aliqua definitum in SS. literis erat invenire,* Solus enim ſtabilis uſus Eccleſiæ generalis, ritu aliquo ut eſſentiali utentis, certum indicium faciebat, illum vel a Chriſto ipſo, vel ab eccleſia ex poteſtate a Chriſto accepta, pro tali legitime & cum effectu fuiſſe conſtitutum.

II. *Eccleſia in ſubſtantia Sacramentorum*, id eſt, in numero, qualitate generali, quo in ſigno practio ſacro, talis in ſpecie effectus productrice, conſiſtit, *quoad illa a Chriſto conſtituta eſt, nihil unquam immutare poteſt*; quia in lege divina univerſe non ad immutandum, ſed ſolum ad eam declarandam poteſtatem a Chriſto accepit (Dem. cath. §. 226.).

III. Re-

III. Recte tamen Tridentinum docet Seſs. XXI. cap. 2. *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel immutaret, quæ ſuſcipientium utilitati magis expedire judicaret.*

IV. *Quisquis ergo in adminiſtratione, vel uſu Sacramentorum iſtorum quid immutat, quod Eccleſia eſſentiale judicat, certo ea invalida reddit.* 2'.) *Qui aliquid immutat, quod ſolum Doctores ſcholæ pro eſſentiali ex ratione ſolum probabili communiter æſtimant, periculo valorem Sacramenti exponit.*

631.

Effectus omnium ſeptem Sacramentorum iſtorum communis eſt gratia ſanctificans, ſpecialis tamen & diverſa in ſingulis, in *Baptiſmo* videlicet *gratia ſanctificans prima*, conſtituens ſubſtantiam vitæ naſcentis ſpiritualis cum aſſecuratione divinæ paternæ benevolentiæ, promtæ ad largienda omnia actualia gratiæ auxilia, quæ ſunt futura neceſſaria ad obſervanda quæcunque officia chriſtiana, &. ad finem ultimum beatitatis æternæ conſequendum (456. & Tract. IV. 314.): in *Confirmatione* præſentia ſpecialis S. Spiritus ad conferendum vigorem & robur fidei (479.); in *SS. Euchariſtia* gratia nutriens & augens vitam ſpiritualem, caritatem inprimis (517.); in *Pœnitentiæ Sacramento* gratia ſanctificans remittens peccata, & vitam ſpiritualem peccato amiſſam ſecundo reſtituens (546.); in *Extrema unctione* abſterſio reliquiarum peccati, & gratia confirmans ad agonem ultimum, imo & ſalus corporis, ſi ſaluti animæ expediat (575. XII.); in *Sacramen-*

Digitized by Google

to ordinis poteſtas fungendi adminiſtratione Sacramentorum & gratia rite implendi hoc divinum miniſterium (578. in ipſis probationibus); denique in *Sacramento Matrimonii* gratia conſtans ad implenda officia ſtatus conjugalis (623. I.).

* **Quæritur autem: quænam & qualis vis, & unde, ineſt hiſce Sacramentis ad has gratias conferendas.**

632.

Sacramentis novæ legis ineſt vis propria ex opere operato, ut vulgo loquuntur Theologi catholici, id eſt, virtute ipſarum actionum ſacramentalium intrinſeca, operandi illos effectus gratiarum: 2'.) eaque vis moralis eſt, & exinde orta, quod omnes actiones ſacramentales (excepta SS. Euchariſtia) ſint actiones moraliter propriæ ipſius Chriſti Domini, ac proinde eandem vim movendi divinam omnipotentiam & benevolentiam habeant ad efficiendos illos gratiarum effectus; ceu poſitæ a miniſtris Chriſti ex ipſius divini auctoris & ſummi Eccleſiæ Principis mandato & inſtitutione.

Pars prima *dogmatica probatur* 1'.) ex SS. literarum expreſſionibus, quæ omnes efficaciam horum Sacramentorum propriam ex inſita virtute ſonant: ſic nos *renaſci ex aqua* baptiſmatis (Jo. III. 5.) *baptiſmo ablui peccata* (Act. XXII. 16.) eccleſiam *mundari lavacro aquæ* (ad Eph. V. 25.) legimus: item *remitti peccata* a Chriſti miniſtris (Jo. XXI. 21.), per *impoſitionem manuum dari gratiam* ordinatis (II. Timoth. I. 6.), *oratione fidei ſalvari* infirmos oleo inunctos (Jac. V. 16.): de SS. Euchariſtia Jo. VI. 52. *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro*

mundi

mundi vitâ. . . . Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Probatur 2°.) EX SS. PATRIBUS ſimili phraſi efficaciam Sacramentorum novæ legis exprimentibus. *Tertullianus* L. de Bapt. c. 4. ait: *aquæ vim ſanctificandi combibunt.* Et L. de reſurr. carnis. c. 8. *caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur &c.*

Patres Milevitani II. Concilii a. 416. can. 2. docent, in parvulis *originale peccatum regenerationis lavacro expiari.*

S. Auguſtinus L. IV. contra Creſconium c. 16. *non eorum meritis*, inquit, a quibus *miniſtratur, nec eorum, quibus miniſtratur, conſtat Baptiſmus, ſed propria ſanctitate ac veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt - - bene utentibus in ſalutem.*

S. Gregorius Nyſſen. orat. de Bapt. ait, *regenerationis, quæ ſecundum animam eſt, in Baptiſmo vim divinam & efficaciam incomprehenſibilem eſſe.*

Probatur 3°,) ex TRIDENTINO definiente Seſs. VII. can. 6. *Siquis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quædam chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles a non fidelibus, anathema ſit.* Et can. 8. *Siquis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed*

Digitized by Google

ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.

Probatur 4°.) *ratione* ducta ex Baptiſmo infantum, qui per illud gratiam accipiunt ſanctificantem (474. 477.), ſola utique ipſius Baptiſmi virtute, non ſua cooperatione; cujus capaces non ſunt.

632.

Pars altera §. præc. aſſerta *probatur.* Univerſe enim actio miniſtri a ſuo Principe legitima poteſtate & mandato ad eam deputati, vim omnem illam habet, quam princeps illam habere voluit; item quam haberet, ſi eadem actio ab ipſo Principe in perſona propria poneretur. Atqui miniſtri Sacramentorum legitima poteſtate & expreſſo mandato Chriſti ad Sacramenta conficienda & diſpenſanda deputati ſunt; idemque voluit, ut actiones Sacramentales ab ipſis ponerentur ſuo nomine, haberentque plenam vim ad eos effectus cuivis Sacramento proprios operandos perinde, atque ſi ab ipſomet ponerentur: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: - - quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* (Jo. XX. 21.). Et Paulus I. Cor. IV. 1. *Sic nos exiſtimet homo tanquam miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI.* Quemadmodum ergo, ſi Chriſtus ipſe abluendo baptizans vellet effectum baptiſmi; vis moralis ineſſet huic actioni Chriſti ad movendum divinum Patrem ad efficiendum effectum gratiæ; ſic pariter actio miniſtri Chriſti, ut moraliter Chriſto propria, & ab eo inſtituta & mandata ad hunc finem, habet eandem vim moralem.

Digitized by Google

Idem tene de reliquis Sacramentis omnibus, *excepta ſola SS. Euchariſtia*, in qua, *quoad actu ut Sacramentum ſumitur*, Chriſtus in perſona propria præſens, uti actiones ſenſibiles panis & vini in ratione cibi & potus corporalis, ita internum nutrimentum vitæ ſpiritualis animi operatur: (499. not. 4.) *quoad vero* conſecratione *fit converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti*, Sacerdos implet ſolum mandatum Chriſti, hoc facite, ſub cujus executione, ceu conditione, Chriſtus virtute promiſſi ſui converſionem ipſam divinæ ſuæ omnipotentiæ virtute operatur (506.), id eſt, efficit, ut ſignificatio verborum ſuorum, *hoc eſt corpus meum*, a Sacerdote ex ipſius mandato hiſtorice prolatorum (511.), efficaciter actu ipſius præſentiam realem ſignificent.

* Explicatio iſta partis ſecundæ propoſitionis præcedentis ſimul ſervit ad primam partem intelligendam & firmandam. Si enim vera eſt explicatio iſta, evidens eſt, Sacramentalibus actionibus ineſſe illam ipſam virtutem, quæ ineſt actioni ipſius Chriſti, propria in perſona baptizantis, abſolventis a peccatis, ordinantis Apoſtolos &c. Atqui actio Chriſti profecto ex propria intrinſeca virtute remittebat peccata, dabat gratiam, & poteſtatem omnem Apoſtolicam. Jam vero veriſſima & maxime realis eſt tota iſthæc explicatio; cum apertiſſimum ſit ex SS. literis, miniſtros Sacramentorum novæ legis eſſe delegatos ad actiones illas Sacramentales Chriſti ex mandato & nomine ponendas. Hujus nempe delegationis & miniſterii Chriſti realitatem evertere argumentis ſuis debent, quicunque a ſectariis hanc Sacramentorum noſtrorum virtutem inſician-

ficiantur; ſiquid proficere adverſus catholicum dogma velint.

** *Sociniani* omnem Sacramentorum uſum eo abſolvi volunt, ut ſint nuda ſigna chriſtianæ profeſſionis & diſtinctionis chriſtianorum a non chriſtianis; qualem ex. gr. de Baptiſmo §. 455. adſtruximus.

Lutherus & *Calvinus* non aliam vim Sacramentis uſumque ex inſtitutione Chriſti tribuunt, niſi quam habent ceu objecta, quorum ideæ excitent fidem de promiſſis Chriſti: qua fide, ſeu potius certa fiducia, tanquam conditione unica, nobis applicentur merita Chriſti ad ſalutem æternam. Cum vero *urgentur* hodierni Proteſtantes a catholicis *Baptiſmo infantum*, qui fidei illius eliciendæ capaces non ſunt; non quidem ſequuntur impudentiam Lutheri, qui, expers alterius effugii, audacter aſſerebat, etiam infantes ex Baptiſmo actum illum fidei concipere; ſed potius *ajunt*, infantibus prodeſſe fidem miniſtri Baptiſmi, vel, ſi miniſter ipſe fortaſſis careat illa fide, ex. gr. ſi ipſe deſperaſſet de ſalute, vel non eſſet fidelis, fidem totius Eccleſiæ.

At enim velim, iſtud ex aliquibus Chriſti verbis, vel ſaltem ex SS. literis, ut boni viri nobis probarent; qui unam fidei regulam SS. literas conſtanter agnoſcunt: atqui *ſine Baptiſmo* fidem parentum prodeſſe parvulis, nullo ex SS. literis indicio probari poſſe nos quidem oſtendimus §. 463.: oſtendant ergo nobis illi ex SS. literis, *cum Baptiſmo*, deficiente licet fide miniſtri, infantibus prodeſſe fidem totius Eccleſiæ; ac proin

proin eos *renaſci* non *ex aqua* (Jo. III. 6.), ſed *ex fide Eccleſiæ*; quæ fides tunc non *ex aqua* baptiſmi infanti infuſa, ſed aliunde exiſtit.

*** *Quod attinet adultos*, inprimis perquam manifeſte SS. literæ *fidem* aliquam exigunt ad Baptiſmum, non ut iſtius effectum, quæ ſcilicet Sacramento Baptiſmi primum excitetur, ſed ut præviam diſpoſitionem ad Baptiſmum ſalubriter recipiendum: Sic Chriſtus Marc. ult. ait: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (etiamſi baptizatus foret). Unde cum Eunuchus Act. VIII. accepta JESU Chriſti notitia a Philippo Diacono peteret v. 36.: *quid prohibet me baptizari?* reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde; licet:* vel quod idem eſt: ſi modo prius credas ex toto corde, Chriſtum eſſe Meſſiam, licet te baptizari; ſecus autem non licet. Unde cum mox reſpondiſſet Eunuchus: credo, *Filium DEI eſſe JESUM Chriſtum;* continuo Philippus *juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam, & baptivat eum* Philippus.

Item requiritur ad baptiſmum *fides* a priori, præcipue autem ea fides, qua, audita prædicatione Evangelii, firmo aſſenſu intellectus credamus vere Chriſtum eſſe DEI Filium, veraque eſſe omnia, quæ is nobis revelavit: cui fidei utique etiam accedere debere *ſpem*, ſeu *fiduciam* firmam, in promiſſis divinis per JESUM Filium ſuum nobis a DEO factis, atque in iſtius meritis collocatam, etiam nos catholici fatemur: id quod rurſus ex utroque citato Scripturæ loco clarum eſt.

 Nam

Nam Marc. ult. prius dixerat Chriſtus v. 15. *euntes prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit &c.*; ubi utique de aſſenſu Evangelio præſtito eſt ſermo. Eunuchus pariter, ut liceret eum baptizare, fidem, quod *JESUS ſit filius DEI*, præmittere jubebatur a Philippo.

Et S. Petrus Act. II. primo fidem, quod JESUS ſit Meſſias a Davide in Pſalmis prænuntiatus, ex atteſtatione reſurrectionis ejus in Jeroſolymitanis excitare, tum vero etiam ad ſpem ſalutis per JESUM erigere eos ſatagebat, & de S. Spiritu accipiendo, dicens v. 93. *vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris. Interim* huc uſque parum diſpeſcimur nos catholici a proteſtantibus: neque enim iſti negant, cum fiducia de promiſſis divinis jungendam eſſe fidem de veritate divinitatis Chriſti & totius Evangelii ac religionis ab eo nobis revelatæ: neque nos illis viciſſim abnegamus, ad effectum Sacramenti neceſſariam in adultis eſſe fiduciam in Chriſti meritis ac promiſſis.

**** *At vero* ultra fidem omnem & fiduciam in Chriſto nos catholici ad effectum juſtificationis ex Baptiſmo, & quovis alio Sacramento, capiendum requirimus converſionem cordis per pœnitentiam ſeu deteſtationem peccatorum (quam lege naturali neceſſaria exigi a DEO, oſtendi in Ethica Univ. Chriſt. §§. 226. 256.) & propoſitum caritatis DEI, & obſervationis omnium mandatorum DEI; tenemusque pro certo; ſine id genus cordis converſione, ac ſolo favore DEI extrinſeco, ut Lutherus ac Calvinus volebant, juſtifi-

cari

cari hominem a DEO non poſſe: id quod plane me demonſtraſſe exiſtimo tum loco cit. §§. 221. 256.; tum in Theol. Theoret. Tract. IV. de Gratia §§. 310. 311. &c.

Fateamur tamen, quod res eſt, & gaudeamus chriſtiano affectu de omni paſſu, quo ad concordiam progreſſus fit. Hodierni Proteſtantes ſatis communiter, ſaltem qui docti ſunt, hac in parte a Luthero & Calvino recedunt, quod præter fidem requirant caritatis divinæ propoſitum ad juſtificationem etiam per Sacramentum quodvis obtinendam, & ipſa opera caritatis & obſervationis mandatorum DEI ad ſalutem. Advertunt enim, nimis corruptionem morum promovere, & pravis cupiditatibus laxare frænum dogma illud, quo ſolus homini ſine converſione cordis, ſine operibus juſtitiæ, promittitur per ſolam fidem & fiduciam temerariam in JESU Chriſti meritis.

At enim ſi ita eſt, viri optimi! profecto proximi concordiæ in hac jam controverſia ſumus, de qua hic agitur. Miramini, quod dico? Sed animum advertite modo tantiſper. Nunquid fatemini nobiſcum & illud, non ſola fide, fiducia, & caritatis propoſito, ſine baptiſmi Sacramento, cum ejus plena eſt copia, effectum ſalutis & juſtificationis accipere adultum peccatorem, ita, ut, qui contemtu rejiceret baptiſmum, ſola fide nixus, certiſſime erraret? Item, non ſola fide Eccleſiæ parvulum ſalvari, ſed Baptiſmi Sacramentum ſaltem ſimul una neceſſarium eſſe? Hoc quidem dogma nos catholici demonſtrari prorſus iis argumentis putamus,

quæ allata jam a me ſunt §§. 460. 461. 463. Quodſi jam ita eſt, nec vos id vulgo inſicias itis; non ergo ſola fide arripiuntur & applicantur merita Chriſti, nec Chriſtus ipſe immediate in perſona propria ea nobis applicat, nec prorſus ipſe ſolus applicare vult; ſed non niſi mediante actione miniſtri ſui, baptiſmum adminiſtrantis. Actio ergo miniſtri, Baptiſmum adminiſtrantis, perinde ſe habet in ordine ad effectum gratiæ juſtificationis, ut actio legati, per quem Princeps confert extero homini jus civitatis in ſuo regno ſub conditione, ſi iſte juret fidem Principi. An actio legati ipſa nihil operatur idcirco, quod legatus ex ſe poteſtatem diſponendi de jure civitatis non habeat? An non potius prorſus efficax eſt idcirco; quia ob mandatum a Principe datum moraliter eſt actio ipſius Principis? Prorſus ita etiam de miniſtris Chriſti ſentiendum eſt; per quorum miniſterium in Sacramentis Chriſtus jus civitatis cœleſtis ac gratiam ſuam peccatoribus ſub conditione ea reſtitui mandavit; ſi ipſius verbo credentes, & confiſi ipſius promiſſis, deteſtarentur peccata ſua, & cum amore DEI propoſitum ſervandi omnia mandata DEI inſtaurarent; eaque miniſtrorum actio gratiæ DEI effectum habet non a merito legati, ſeu miniſtri Chriſti, non a merito credentis in Chriſtum peccatoris, ſed unice a Chriſto mandante, & inſtituente.

Date nobis hoc, quæſo, pro veſtra prudentia, viri optimi, & concordes hoc quidem in capite erimus; nos vero viciſſim id vobis quoque dabimus, efficaciam actionum Sacramentalium non eſſe phyſicam, eo ſe extendentem, ut DEI gratiam ſanctificantem, ceu qualitatem neſcio quam phyſicam, in homine ceu ſub-

Digitized by Google

ſubjecto, ipſæ efficerent; quod olim inexplicabile dogma paſſim tradebant Scholæ Theologi. Jam enim in Tract. IV. de gratia §. 307. conceptum longe alium DEI ſanctificantis gratiæ ſtabilivi. Hoc conceptu ſemel præfixo, rectiſſime intelligitur illud dictum a *S. Bernardo* Serm. de cœna Domini: *qua ratione inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum; ſic diviſiones gratiarum diverſis tradi Sacramentis:* rectiſſime, inquam, dixit; ſi cerimoniæ iſtæ ad effectus prædictos ſint æque neceſſariæ vi ſuæ inſtitutionis, & cum illis æque connexæ, uti vi inſtitutionis Chriſti ſunt Sacramenta ſingula relate ad effectus gratiarum ſibi proprios (631.). Harum principalis cauſſa ſemper eſt Chriſtus; inſtrumentalis vero miniſter Sacramenti: at non vult illa agere, niſi mediante hac; quam ipſa movet mandato ſuo. Sic de Chriſto dixit Spiritus Sanctus Joanni Baptiſtæ Joan. I. 33.: *hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto; quamquam* (Joan. IV. 2.) *JESUS non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.*

634.

Diſcrimen itaque illud præcipuum eſt inter Sacramenta novæ legis & legis veteris, quod illa gratiæ DEI propria virtute ſint cauſſæ, non item iſta (450. not. 2.).

Ratio hujus diſcriminis eſt, quod Sacramentorum veteris legis uſus, ceu cerimoniarum ſacrarum, quidem DEI juſſu præceptus Judæis fuerit, illæque cærimoniæ etiam fuerint divinitus inſtitutæ; ſed inſtitutione tali, quæ juberet eas adhiberi aut proprio nomine a ſingulis Judæis, uti ex. gr. circumciſionem; aut nomine populi

Digitized by Google

populi peragi, uti Sacrificia a Sacerdotibus; non autem nomine DEI ceu actiones legatorum moraliter DEO ut principi proprias, quibus declaraſſet & promiſiſſet DEUS, ſe per homines ceu miniſtros ſuos velle largiri gratias ſaluti neceſſarias. Unde Sacramenta legis veteris non ipſa vim habebant gratiam conferendi ullam; ſed hæc reſpondebat unice operi & fervori fidei & caritatis illius, qui uteretur tali Sacramento.

635.

Character a Sacramento impreſſus ſubjecto illud recipienti vocatur effectus illius talis, ratione cujus Sacramentum iterari non poſſit.

636.

Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, non item cetera ex ſeptem Sacramentis novæ legis.

Dogma catholicum *probo* 1°. EX SS. LITERIS; ac *primo* quidem *de Sacramento Baptiſmi* & *Confirmationis* ex epiſt. ad Hebr. VI., ubi S. Paulus. poſtquam ſub finem capitis V. exprobraſſet Hebræis, v. 12. quod, *cum deberent eſſe magiſtri propter tempus* (quod ſcilicet in lege chriſtiana eruditi & exercitati jam fuiſſent) *rurſum indigeant, ut doceantur, quæ ſint elementa exordii ſermonum DEI, factique ſint, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnem enim, qui lactis eſt particeps, expertem eſſe ſermonis juſtitiæ: parvulum enim eſſe* (qui ſcilicet loquelæ adhuc & ipſe expers eſt, nec loquentes de rebus ſeriis intelligit): *perfectorum enim eſſe ſolidum*

dum cibum; eorum videlicet, *qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali*: poſtquam, inquam, hæc Paulus Hebræis dixerat, cap. VI. 1. porro ſic pergit: *quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad DEUM (Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum) ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Et hoc faciemus* (ut ſcilicet de perfectioribus agamus) *ſiquidem permiſerit DEUS. Impoſſibile eſt enim, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti; . . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.*

In toto hoc diſcurſu profecto duo dicit Apoſtolus; *primo* ad *inchoationis Chriſti ſermonem*, id eſt, ad initium, quo Chriſtus formetur in homine chriſtiano, pertinere præter prima doctrinæ capita duo Sacramenta, nempe *Baptiſmum* & *Confirmationem*, quæ poſterior *impoſitione manuum* deſignatur (479. lit. c.): *ſecundò* impoſſibile eſſe, ut, ſiquis, poſtquam ſemel accepto Baptiſmo illuminatus, & Confirmationis Sacramento Spiritus Sancti particeps eſt factus, iterum prolabatur, his Sacramentis primæ inchoationis Chriſti ac veluti ſpiritualis infantiæ renovetur: cujus ſimul eam ipſam indicat eſſe rationem; quod ſcilicet proprius utriusque hujus Sacramenti effectus ſit, prima initia ac rudimenta chriſtiani & ſpiritualis vitæ in hominibus efformare, *baptiſmi* quidem largiri initium vitæ ſpiritualis & chriſtianæ, *Confirmationis* vero dare veluti pubertatem & maturitatem ope illuſtrationis & vigoris quaſi juvenalis in fide per

Digitized by Google

per Spiritum Sanctum. Sicut nempe in vita naturali morbo ingruenti quidem medicina efficax ſupereſt; ad primam tamen infantiam reverti non licet: ita & in vita ſpirituali morbi animi aliis remediis, nempe Pœnitentiæ Sacramento; ſanari poſſunt; aſt ad primæ ſpiritualis vitæ innocentiam, & vigorem veluti juvenilem, ope Baptiſmi & Confirmationis redire non licet. Itaque proprius horum Sacramentorum effectus talis eſt ex mente Apoſtoli, ut illius virtute illa iterari nunquam poſſint, nempe generatio ſpiritualis filii Eccleſiæ & veluti pubertas quædam chriſtiani hominis. Haud dubio hoc ipſo ſenſu Apoſtolus Eph. IV. 5. dicit: *unus DEUS, unum Baptiſma.*

Probatur vero idem *de Sacramento Ordinis.* Poteſtatem enim Ordinis Chriſtus inſtituit ita ſtabilem, ut non ſolum uſque ad mundi finem non poſſit excidere; ſed etiam ut ſemel accepta per Sacramentum Ordinis ab eadem perſona, dum vita ſuperſtes eſt, amitti non poſſit; eo ipſo, quod validæ ordinationi & quorumcunque Sacramentorum collationi nec hæreſis, nec improbitas miniſtri quæcunque, obſtet (593. 471. not. 3.).

Fundamentum hujus dogmatis illa Chriſti verba præbere debent Joan. XX. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; & Matth. ult. v. ult.: *ecce ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Chriſtus enim miſſus eſt miſſione non revocabili; ac proinde poteſtate item nunquam revocanda miſit & ipſe Apoſtolos, & quosvis iſtorum in eadem miſſione ſucceſſores. Imo, cum ipſum officium per ſe ſtabile ſit, ſufficit, nuſpiam a Chriſto ullo in caſu vel revoca-

vocatum eſſe, vel ceu revocabile ab Eccleſia declaratum.

Probatur 2°. EX TRADITIONE SS. PATRUM ET ECCLESIÆ totius perpetua. Nam inprimis, ut §§. 471. 593. oſtenſum, inde a primis exordiis in Eccleſia Romana, conſentientibus omnibus Eccleſiis ceteris (præter eas ſolas, quæ in Africa ſeculo III. ſub Aggripino & S. Cypriano; & in Oriente poſt Synodum Iconienſem ſub S. Firmiliano novitatem aliam inducere cœperunt) ſemper pro dogmate, vel ſola traditione ſatis conteſtato, habitum eſt, nec Baptiſmum ſemel valide collatum, nec Confirmationem, nec Ordinem, vel amitti, vel iterari poſſe; eoque inprimis ex fundamento omnes reliquæ Eccleſiæ cum S. Stephano ſe iterationi Baptiſmi ab hæreticis collati (§. 471. not.), tum deinceps iterationi S. Ordinis, a quocunque improbo Epiſcopo ſemel rite adminiſtrati, oppoſuere, quod nempe, licet gratia iis Sacramentis æque ac aliis collata, vel conferenda, poſſit vel non accipi, vel accepta iterum amitti, tamen ea Sacramenta ipſa quoad reliquos ſuos proprios effectus amitti non poſſint, nec proinde ſint iteranda.

Audiamus totius traditionis hujus unum luculentiſſimum teſtem quoad omnia tria hæc Sacramenta *S. Auguſtinum.* Is inprimis Lib. I. de Bapt. c. 1. contra Donatiſtas *de Baptiſmo & Ordine* ſic arguit: *Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet, qui baptizatur, & Sacramentum dandi Baptiſmi eſt, quod habet, qui ordinatur: ſicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amit-*

amittit. Nulli enim Sacramentò injuria facienda eſt: ſi (Sacramentum) *diſcedit a malis*, (*utrumque diſcedit: ſi permanet in malis, utrumque permanet. Sicut ergo acceptatur Baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab unitate diſceſſerat; ſic acceptandus eſt Baptiſmus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui; priusquam recederent, baptizati ſunt, non baptizantur, ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur; ſed aut adminiſtrant, quæ adminiſtrabant; ſi hoc utilitas Eccleſiæ poſtulet; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum tamen ordinationis ſuæ gerunt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur.*

Hæc pæne repetens ad verbum in L. II. contra Epiſt. Petil. cap. 13. ſic pergit continue: *ne non homini; ſed Sacramento fiat injuria. . . . Sicut autem habent in Baptiſmo,* QUOD PER EOS DARI POSSIT; *ſic in ordinatione* JUS DANDI; *utrumque quidem ad perniciem ſuam, quamdiu caritatem non habent unitatis: ſed tamen aliud eſt non habere; aliud pernitioſe habere; aliud ſalubriter habere. - - Quodſi non correxerint; manebit ad pœnam, quod datum eſt: non tamen ullo modo pro non dato habebitur; neque ullo modo* SIGNUM REGALE *violabitur. . . . Aut ſi quisquam ſive deſertor, ſive qui nunquam militavit,* NOTA MILITARI *privatum aliquem ſignet; nonne ubi deprehenſus fuerit ille ſignatus, pro deſertore punitur, & eo gravius, quo probari potuerit, nunquam omnino militaſſe, ſimul ſecum punito, ſi eum prodiderit, audaciſſimo ſignatore? Aut ſi forte illum* MILITIÆ CHARACTEREM *in corpore ſuo, non militans, pavidus exhorruerit, & ad elementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſa, & im-*

Digitized by Google

impetrata jam venia, militare cœperit; numquid homine liberato atque correcto CHARACTER ILLE *repetitur, ac non potius agnitus approbatur?* AN FORTE MINUS HÆRENT SACRAMENTA CHRISTI, QUAM CORPORALIS HÆC NOTA? *Cum videamus, nec Apoſtatas carere Baptiſmate; quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur: & ideo amitti non poſſe judicatur.*

Porro Similia prorſus S. Doctor tradit in eodem Libro cap. 104. de Sacramento Confirmationis. *Sacramentum Confirmationis*, inquit, *in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut & ipſe Baptiſmus: ſed* poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, & regnum cœlorum non poſſeſſuris. . . . *Diſcerne ergo viſibile Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, iſtis ad judicium, ab inviſibili unctione caritatis; quæ propria bonorum eſt.* Vides, ut ne nomen quidem *characteris* minus aptum Auguſtino ad denotandum effectum horum Sacramentum viſum fuerit, ratione cujus permanentem præſentiam illa iterari non poſſint: ubi ſimul ſignificatum prorſus eundem ab Auguſtino huic voci ſubjectum adnotes velim, quem §. præc. conſtituti. Sed & nomen idem, vel certe æquivalens, paſſim apud alios Patres a primis uſque Seculis occurrit.

Tertullianus in L'. de Præſcript. ut probet, diabolum Sacramenta Domini, ipſamque confirmationem æmulatione ſacrilega imitari, *ſignat illic*, inquit, in frontibus ſuis.

S. Cyprianus Epiſt. 77. ait: *recens baptizatos ſigillo Domini conſummabo.*

S. Baſilius hom. 13. *nemo*, inquit, *quarum partium ſis, noverit; noſtrarum, an adverſarii; niſi myſticis ſignis familiaritatem præ te feras; niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus Domini. Niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo dices: DEI ſum, ſigna non oſtendens? An ignorans, quomodo ſignatas domos in Ægypto exterminato præteriit? - - Ovis abſque nota inſidiis protinus eſt obnoxia.*

S. Cyrillus Jeroſol. catech. 17. affirmat, S. Spiritum in Baptiſmo (ob adjunctam ſcilicet ex uſu primæ Eccleſiæ confirmationem) *obſignare animam ſignaculo, quod dæmones perhorreſcunt; cæleſti quodam, & divino ſignaculo; ſicut ſcriptum eſt* (Eph. I. 13.): *in quo etiam credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.*

Unde rurſus *S. Auguſtinus* L. VI. de Bapt. c. 1. *Satis eluxit*, ait, *paſtoribus Eccleſiæ catholicæ toto orbe diffuſæ, per quos poſtea plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt; etiam ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi, - - characterem tamen Dominicum in ea agnoſci potius quam improbari.*

Probatur 3'.) RATIONE manifeſta. Omnia enim hæc tria Sacramenta, effectum habent a gratia ſanctificante diſtinctum, ratione cujus iterari non poſſint; *Baptiſmus* quidem jus chriſtianæ Eccleſiæ, quod conſiſtit in capacitate ad omnia Sacramenta reliqua, & ad participationem omnium Sacrificiorum, precum publicarum, & meritorum Eccleſiæ Chriſti; item nexum

Digitized by Google

xum & ſubjectionem erga ejusdem Eccleſiæ poteſtatem; verbo, jura & obligationes ſubditi Eccleſiæ: *Confirmatio* conſummationem chriſtiani ac veluti pubertatem quamdam ſpiritualem in tenenda & publice profitenda fide JESU Chriſti; cujus virtute par habeatur pugnæ militiæ chriſtianæ: *Ordo* ſtabilem gradum poteſtatis ſacræ in conficiendis Sacramentis: qui omnes effectus etiam amiſſa gratia manent perpetui, eoque ipſo non permittunt Sacramentorum iſtorum iterationem; eo quod gratiæ, per hæc Sacramenta acceptæ, iterum amiſſæ, vel etiam nunquam reipſa acceptæ, per Sacramenta Pœnitentiæ & SS. Euchariſtiæ ex divinæ inſtitutionis conſilio ac propoſito abunde ſuppleantur; reliqui autem illi effectus, eo ipſo quod perdurantes ſint, iterationem Sacramenti inutilem & otioſam efficiant.

Probatur 4°.) EX CONCILIO TRIDENTINO ſic definiente Seſs. VII. can. 9.: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.* Idem jam edixerat Eugenius IV. in Decreto ad Armenos. Ante Eugenium IV. Innocentius III. de charactere per Baptiſmum impreſſo loquitur veluti de re trita & apud Theologos communi *Extra de Bapt. & ejus effectu. cap. Majores*; quod legere eſt in L. III. Decretal. Tit. 42.

* Interim *veteres Theologi* diſtinctæ notionis de *charactere*, ut fere de plerisque aliis, expertes, *diſputabant primo de* illius *natura*; quam, præjudiciis Ariſtotelicæ Philoſophiæ imbuti, uti & ipſam gratiam Sa-

cramenti, ponendam putabant in qualitate quadam phyſica, efficientia reali productam. Ita plerique.

Durandus in IV. diſt. 4, q. 1. pro meliore, quo pollebat, metaphyſico acumine, rejecta qualitate putabat, characterem non in reali affectione intrinſeca ſubjecti ponendum eſſe; ſed eſſe duntaxat relationem rationis, ſeu denominationem externam, qua homo deputatur ad aliquas ſacras functiones activas, vel paſſivas. Atqui hæc deputatio tamen non eſt aliquid permanens, nec relictus in ſubjecto effectus Sacramenti. Interim nec iſta ſententia veritatem reipſa attingit.

Eſt enim *character Baptiſmi* intrinſeca poteſtas moralis fruendi omnibus ſpiritualibus emolumentis Societatis Eccleſiæ Chriſti, & actualis obligatio obedientiæ erga eandem Eccleſiam.

Character Sacramento Confirmationis proprius eſt ſpiritualis vitæ quoddam robur, & quaſi pubertas per vigorem fidei; quam bis conferri non decet; cum teſte Apoſtolo non deceat hærere in *inchoationis Chriſti ſermone,* & lapſos poſt baptiſmum impoſſibile *ſit rurſus renovari,* id eſt, ad infantiam vitæ ſpiritualis, ac proinde etiam ad illius pubertatem, reverti.

Character Ordinis eſt poteſtas phyſica & moralis conficiendi Sacramenta; quæ ambo utique intrinſecum quid ſunt, perinde ac jus ſocietatis politicæ in quovis cive, & poteſtas imperii in principe politico; etſi extrinſeca nominatione, electione, vel conſenſu civium conferatur. Unde ſtabilito id genus conceptu

cha-

Digitized by Google

characteris utique ceſſat diſputatio de natura illius, & ſimul una difficultas totius dogmatis præſentis; quin vel ipſe Proteſtantes quid porro cum fundamento habeant opponere. Et vero apertiſſime id genus poteſtas moralis ſignum illud ſpirituale & indelebile eſt, ex quo colligitur, hæc Sacramenta iterari non poſſe; uti loquitur Tridentinum.

Ceſſant quoque *objectiones* illæ conſuetæ *de nomine characteris*, ac de ſilentio illius in SS. literis in Patribus, & veteribus Theologis ante Innocentium III.: ſiquidem res ipſa negari non poteſt nomini ſubjecta, quod in iis clare inveniatur. Quamquam *S. Auguſtinus*, aliique, etiam nomine *characteris* eo ipſo prorſus ſenſu & ſignificatu nobiscum uſi fuere; uti probat. 2°. oſtenſum eſt. Inanes quoque ſunt obtentus de circulo vitioſo, de inutilitate characteris &c.; quos omnes diſtincta illius notio (634.), & explicatio modo data, e medio tollit.

637.

Intentio Miniſtri conficientis Sacramentum a Chriſto inſtitutum eſt actus voluntatis, quo miniſter facultate ad id conficiendum rite præditus vult ponere ritum externum Sacramenti a Chriſto inſtitutum. *Materialis intentio* hæc dicitur, ſi velit ritum iſtum ponere præciſe ſecundum ſe, non autem ut ſacrum, nec ſecundum mentem Chriſti inſtituentis: *formalis intentio* appelatur, ſi velit ritum ponere ex mente Chriſti inſtituentis; id quod rurſus fieri poteſt vel *diſtincte*, nimirum proprio conceptu ut inſtitutum

Digitized by Google

a Chriſto; vel *confuſe*, ut nimirum in genere ſacer eſt ſecundum uſum Eccleſiæ chriſtianæ.

Materialis intentio poteſt vel eſſe exterius manifeſtata, ut ſi vel in theatro ſolum quis ſcenice repræſentet Baptiſmum; vel etiam palam irriſione quadam ſignificet, ſe non niſi joco & inanem ritum celebrare, ſi quæcunque circumſtantiæ ſatis indicent, non rem ſacram, ſed profanam agi; ut ſi nutrix infantem abluat a ſordibus; & tunc vocatur *intentio materialis externa*: ſi vero mera materialis intentio non externe manifeſtetur, ſed potius externa omnis ſpecies adſit intentionis formalis, & tamen interna formalis intentio deſit, vocatur *intentio formalis mere externa.*

* Notes velim, a nemine requiri ad valorem Sacramenti in Miniſtro intentionem formalem diſtinctam de conferendo effectu Sacramenti, qui eſt gratia Sacramentalis: cum ne quidem fides de tali effectu ad valorem illum requiratur (471.); & valide ſecundum omnes catholicos baptizet Calvinianus, qui non credit a Sacramento Baptiſmi conferri infanti ex propria virtute gratiam ſanctificantem. Sic utique valet Baptiſmus vel a Judæo collatus, qui non credit ejus eſſe tantum effectum ad ſalutem; modo is conferre velit id, quod conferre vult & credit Eccleſia DEI. Certe valebat Pelagianorum Baptiſmus; licet negarint eo regenerari infantes, & a labe originali purgari. Quæſtio hic ſolum agitatur, an ſufficiat ad valorem Sacramenti, ſi in miniſtro adſit intentio mere externa formalis; quin eam habeat actu interno; imo etiam ſi in-

terne

terne poſitive nollet rem ſacram, vel Sacramentum ex mente Chriſti vel Eccleſiæ, celebrare.

Lutherani & Calviniani, qui vim omnem Sacramentorum in eo reponunt, quod ſint ſigna pignoratitia divinarum promiſſionum, excitantia fidem in Chriſtum (632. not. 2.), eo ipſo tenent, baptiſmum etiam cum irriſione collatum valere: quamvis aliqui id negent, ſi irriſio ſit etiam externa, & intentio mere materialis externe prodatur.

638.

Requiritur in miniſtro ad valorem Sacramenti intentio formalis ſaltem externa.

Dogma catholicum *probatur* 1'.) EX SS. LITERIS. Chriſtus enim mittens Apoſtolos, ceu ſuos miniſtros, ad docendum & baptizandum, dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos* (Jo. XX. 20.), *euntes docete, & baptizate* &c. (Matth. ult.), non actionibus profanis, ludicris, aut ſcenicis, hoc miniſterium ſuum exercendum commiſit, ſed talibus, quæ ceu ipſius nomine exercitæ, moraliter ipſius actiones eſſe poſſent.

Unde S. Paulus I. Cor. IV. 1. ait, *ſic nos exiſtimet homo tanquam miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI.* Atqui actiones etiam ſpecie omni externa mere profanæ, ſcenicæ, palam ludicræ, & ironicæ, nec actiones moraliter Chriſto propriæ, nec proin *myſteria DEI* a Chriſti miniſtris *diſpenſata* eſſe, aut pro talibus in Societate Eccleſiaſtica haberi poſſunt;

 tam

tam parum quidem, atque actiones ſimiles rationem judici vel executionis mandati, nomine principis exercitæ a ſubordinato ac delegato judice, vel legato, haberi poſſunt in ſocietate politica.

Probatur 2°.) ex TRIDENTINO Seſs. VII. can. 11. definiente contra Lutherum: *Siquis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſiæ, anathema ſit.* Porro qui ſerio & vere intendit facere, quod facit Eccleſia; is profecto ſaltem non etiam exterius mere jocari poteſt.

Præceſſit Tridentinum *Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos docens: *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus, - - verbis, - - & perſona miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.*

Idem *Tridentinum* præterea Seſs. IV. can. 9. anathema dicit, aſſerenti, *abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis eſſe nudum miniſterium declarandi, remiſſa eſſe peccata confitendi, modo tamen credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat:* quæ erat doctrina Lutheri jam a Leone X. Papa inter alias Art. XII. damnata.

639.

Potuit Chriſtus ſic inſtituere Sacramenta a ſuis miniſtris diſpenſanda, ut ea vellet eſſe valida, ſi modo adminiſtrentur ab eis cum intentione formali ſaltem externa, & etiam mere externa (636.).

Nam

Digitized by Google

Nam ſic univerſe ad actiones publicas politicas, quæ alieno nomine ex. gr. Principis vel reipublicæ a legatis, vel mandatariis, & miniſtris, judicibus, imo & quæ a famulis in nomine dominorum ex iſtorum mandato, exercentur, plus, ut illæ validæ ſint, non requiritur, quam ut intentione formali externa ſic ponantur, ut omne ludicrum abſit, et ex cunctis rerum adjunctis eas ſerio poni ſaltem appareat; quin, manente ſolummodo primo conſenſu ipſius Principis, ac reipublicæ, vel etiam domini, eas actiones mandantis, & nondum retractato, uſquam valori legali talium actionum defectus intentionis formalis internæ in legato, miniſtro, judice, vel famulo, eas actiones actu cum omni externa ſpecie ſerio ponente, vel etiam iſtius interna abſolute contraria voluntas, obſtare poſſit. Quoniam ergo omnes actiones Sacramentales itidem ſunt actiones publicæ a miniſtris Chriſti ex hujus mandato & inſtitutione, ejusdemque nomine, ponendæ; potuit utique Chriſtus eas ſimili ſub conditione velle eſſe validas.

Præterea nec Sapientia Chriſti, nec benevolentia obſtabat; quo minus ita inſtituere poſſet; cum perinde ſecuritas ſalutis ſpiritualis exigere videretur talem inſtitutionem; atque ſecuritas ſalutis politicæ eam exigit in actionibus legatorum, miniſtrorum, judicum reipublicæ profanæ. Nec denique occurrit ullum ſapientius motivum, aut majus bonum, pro contraria inſtitutione.

Digitized by Google

640.

Propoſitio hæc N. XXVIII. ab Alexandro Papa VIII. a. 1690. die 20. Decemb. damnata, valet Baptiſmus collatus a miniſtro, qui ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia, *non ut falſa, nec ut hæretica, vel erronea, ſed ſolum ut temeraria, vel ſcandaloſa, ac male ſonans, damnata fuit, ac doceri merito prohibita.*

Pontifex enim illo decreto 31. propoſitiones ſub vagis cenſuris damnat, quin uſpiam in ſuo decreto eas omnes & ſingulas falſas declaret. Jam vero poteſt propoſitio illa eſſe temeraria, male ſonans, imo & ſcandaloſa; quin eo ipſo falſa ſit (Loc. Theol. §. 106.): tum vero eo ipſo, quod male ſonet, ſcandalo occaſionem det, nec temeritate careat, merito prohiberi potuit. Porro dicta propoſitio nec hæretica, nec erronea eſt: cum nec ulli veritati formaliter revelatæ contradicat; nec ejus contradictoria inſtar concluſionis theologicæ ex ulla veritate formaliter revelata inferri queat.

Etenim de Canone utroque Tridentino §. 638. allegato Pallavicinus in Hiſt. L. XII. c. 10. expreſſe affirmat, per illos haud eſſe expunctam ſententiam Catharini, aliorumque Theologorum, *Sacramento, quo ratum ſit, ſufficere in Miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantum jocum, quem Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit.* Interim quid opus eſt poſitive docere hanc ſententiam? Ad quid prodeſſe poſſit? An non facile id erit ſcandalo? An non infringet ſtudium parendi certo præcepto & legi divinæ; quo

quo tenetur Chriſti miniſter formali intentione interna ſe conformare voluntati divini Auctoris Sacramentum.

* Sinceritas mentis ac invariabilis veritatis amor me movent, ut fatear, me non invenire ſufficiens argumentum, quo probetur, Chriſtum exegiſſe una cum externa etiam internam formalem intentionem in Miniſtro ſuorum Sacramentorum ad ipſum quidem *valorem* iſtorum: id quod patere exiſtimo tum ex dictis §. præc., tum ex modo allatis. Interim nec illud probari *poſitive* poteſt, eam non requiri; & theſin id genus recte doceri prohibitam ab Alexandro VIII. ſinceriſſime profiteor, quippe non niſi ad negligentiam divinæ legis, vel ad multiplicandas inhonorationes Sacramentorum, profuturam.

** Ceterum Eccleſia de iſta quæſtione nihil unquam enuntiavit, imo vix eam clare attigit, uſque ad Eugenium IV. Seculo XVII. partim ex occaſione Articuli XII. a Luthero traditi (637. probat. 2. in fine), partim ex occaſione rumoris in Gallia ſparſi de Gaufredo Parocho Maſſilienſi & de Petro Lavardino Cremonenſi Epiſcopo, quod ille Baptiſmum, iſte SS. ordines, peſſima intentione conferre conſueviſſent (quem tamen rumorem falſitatis arguunt Tournelyi continuatores) quorum Sacramenta valida declararunt Doctores aliqui Sorbonæ, controverſia iſta acrius exarſit.

Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus poſtea Campſenſis Ord. Præd. Romæ a. 1552. durante Tridentino opuſculo

opuſculo edito *de intentione Miniſtri Sacramentorum* defendit, valida eſſe Sacramenta, ſi miniſter, ſerio adhibens ritum externum, habeat in animo vel nullam formalem, vel contrariam, intentionem. Etſi enim Tournely Catharini ſententiam utcunque emollire ſtuduerit; tamen aliis nimis ea, quam dixi, clare expreſſa in eo opere videtur.

Imo Hyacinthus Serri Ord. Præd. teſtatur, a. 1645. eandem doctrinam Romæ publicæ a Zacharia Paſqualigo propugnatam fuiſſe; idemque juratus teſtis eſt, ſibi a Conſultoribus ac Præſulibus Romanis primæ notæ ſæpe affirmatum fuiſſe, propoſitione 28. ab *Alexandro* VIII. neutiquam Catharini ſententiam, ſed non niſi Lutheri doctrinam, a non nullis in Belgio reſuſcitatam, damnatam fuiſſe.

Quidquid de hoc ſit; certum eſt, quod ipſe *S. Auguſtinus* L. VII. de Bapt. c. 53. hac de re dubitarit. *S. Thomæ Aquinatis* 3. p. q. 64. a. 9. doctrina vel Catharino conſentit, vel certe dubia eſt. Refertur quoque in hanc rem hiſtoria de *S. Athanaſio* adhuc puero, per jocum parvulos alios infidelium baptizante; cujus baptiſmum probarit S. Alexander Epiſcopus Alexandrinus: ſed quia ſine probato teſte id variante narratione referunt ſoli Ruffinus, Socrates, & Sozomenus; quia S. Alexander anno 311. creatus Epiſcopus, eique jam anno 325. in Epiſcopatu ſurrogatus S. Athanaſius fuerit, hicque proinde vix puer adhuc Alexandro jam Epiſcopo eſſe potuerit; hiſtoria merito ſubleſtæ fidei ſuſpecta habetur; nec vero ex tota narratione ſatis

con-

Digitized by Google

concludi poteſt, Athanaſio puero defuiſſe voluntatem vere baptizandi; ſiquidem hiſtoria vera ſit. Similiter incerta eſt *Geneſii* mimi hiſtoria; qui ex baptiſmo mimice accepto repente converſus martyrium ſub Diocletiano ſubierit; an mimus baptizans vere voluerit baptizare; quod minus veriſimile; an Geneſius baptiſmo flaminis & ſanguinis ſolo acceperit ſalutem.

641.

I. *Sufficit ad valorem Sacramenti intentio formalis etiam ſolum confuſa*, vel ut vulgo ſcholæ loquuntur, *implicita*; qua nimirum miniſter velit celebrare ritum ſacrum, qualis eſt in uſu in Eccleſia Chriſti (636.). Nec enim amplius requiritur ad valorem in ullis aliis actionibus miniſterialibus politicis (638.); nec plus inferri poteſt ex definitionibus Eccleſiæ (637. probat. 2.), aut ex ipſis Chriſti verbis (ibid. probat. 1.).

II. *Debet tamen intentio miniſtri quæcunque, ut ſit ſufficiens, eſſe determinata ratione ſui objecti, cui vult applicare miniſterium ſuum in conficiendo Sacramento;* ex. gr. ratione materiæ panis & vini, quam vult conſecrare in SS. Euchariſtiæ Sacrificio; ratione perſonæ, cui vult adminiſtrare Sacramentum quodcunque. Conſiſtit enim adminiſtratio Sacramenti novæ legis in actione practica: atqui actiones omnes practicæ non niſi circa ſingularia rite determinata operantur.

642.

Digitized by Google

642.

Intentio vocatur *actualis*, qua ex actuali præviſione poſſibilitatis intrinſecæ & extrinſecæ quis actu tanquam finem vult exiſtentiam Sacramenti; quale a Chriſto inſtitutum, vel in Eccleſiæ Chriſti uſu eſt.

Virtualis intentio adeſſe dicitur, quamdiu actualis intentio, ſemel elicita, virtute, ſeu imperio ſuo, influit in actiones ſacramentales, ceu ratio exiſtentiæ illarum; etſi præſens actualis præviſio & voluntas ſolum tendat in media ſine diſtincta reflexione ad finem directa.

Habitualis intentio appellatur, quæ inſtar habitus quidem ex præterito actu adhuc ineſt menti, ceu non poſitive quidem retractata; ſed quin ſit efficax, & quin imperio ſuo imperet actiones ſacramentales.

Interpretativa intentio dicitur, quæ nec actu exiſtit, nec extitit adhuc, prudenter tamen præſumitur extitura, ſi operans ad adjuncta præſentia.

643.

In Miniſtro Sacramenti ſufficit ad valorem intentio virtualis. Hac enim præſente actio ſacramentalis vere eſt actio miniſtri volentis agere miniſtrum Chriſti: ergo valet, uti eo in caſu valent certo omnes actiones publicæ miniſteriales profanæ.

644.

Digitized by Google

644.

Habitualis intentio in miniſtro ſe ſola non ſufficit; multo minus interpretativa. Niſi enim intentio ſemel actu habita ſaltem imperii ſui virtute influat, actio externa erit ab alia intentione actuali (ſi tamen humana, id eſt, deliberata ſit; ſine quo multo minus eſſet actio miniſtri) ac proinde ne externe quidem fiet id, quod Chriſtus inſtituit; vel quod Chriſti Eccleſia facit.

645.

Intentio debet eſſe abſoluta pro præſente tempore conficiendi Sacramentum, ac proinde non valet ſub conditione de futuro collatum Sacramentum. Tota enim ſignificatio, atque ipſa vis practica actionis Sacramentalis, ad præſens tempus & præſentem effectum collimat: ergo ſi abſoluta non eſt utraque, ſed per conditionem nondum in præſens impletam impeditur, nihil actu ſignificat, nihil efficit, ac proinde inanis eſt. Ex quo ipſo tamen patet, *non obſtare Sacramento conditionem appoſitam de præterito, vel præſenti tempore; ſi modo hæc ſit actu impleta;* ex. gr. ego te baptizo, ſi nondum es baptizatus &c.

* Qui Matrimonii Sacramentum in ſolo contractu conſtituunt, admittunt eo ipſo valere id etiam ſub conditione de futuro, ut alii contractus, ſi deinde nondum retractato amborum conſenſu impleatur conditio: ſecundum quam opinionem tamen etiam Sacramentum matrimonii non completur niſi impleta conditione.

Digitized by Google

646.

Error privatus miniſtri Sacramenti, ex. gr. non credentis eſſe Sacramentum, vel errantis circa neceſſaria ſeu eſſentialia adjuncta illius, ex. gr. Græci putantis fermentatum panem ad SS. Euchariſtiam requiri, vel male intelligentes ſenſum verborum, vel errantis circa Sacramenti effectum, vel perſonam unam pro alia habentis, *non obſtat valori Sacramenti; modo velit abſolute in præſens facere, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod facit Eccleſia Chriſti.* 2°,) *Si vero tali errori ut conditioni de præſenti alliget intentionem conficiendi Sacramentum, invalida ſunt omnia.* Patent iſta per ſe ex §. præc.

647.

Ad valorem Sacramenti requiritur ſubjectum capax ad id ſuſcipiendum; quale reſpectu reliquorum non eſt niſi baptizatus, & reſpectu Sacramenti Ordinis non niſi mas, reſpectu Sacramenti extremæ unctionis infirmus corpore, reſpectu Matrimonii non niſi ſolutus ab omni alio conjugio (489. 575. X. 594. 602. 610.) SS. Euchariſtia in non baptizatis ſaltem quoad uſum ſine fructu eſt; Pœnitentiæ vero Sacramentum item invalidum.

648.

Ad eundem valorem in ſubjectis adultis requiritur intentio habitualis formalis, ſaltem implicita. Adulti enim non jam more parvulorum hæreditate ex ſolis Chriſti meritis gratiam ſanctificantem, ceu pignus regni cœleſtis, ipſumque regnum cælorum, accipiunt; ſed non niſi cum

Digitized by Google

cum propria aliqua cordis mutatione juſtificantur (Tract. de Gratia §§. 309 310.); in qua votum recipiendi generalia ſalutis media, a Chriſto inſtituta, idemque ſaltem implicitum, aliquando actu conceptum, & nunquam contraria voluntate retractatum, minimum eſt ex diſpoſitionibus, quæ requiri in tali ſubjecto poſſunt, ut cenſeatur Chriſtus ſuis miniſtris commiſiſſe mandatum, ut Sacramenta ſua talibus adminiſtrent; ſine qua extenſione divini mandati invalidum eſt miniſterii exercitium.

Unde conſtans eccleſiæ praxis, convenienter doctrinæ *Concilii Carthaginenſis III.* cap. 34. & *Arauſicani* I. Can. 12., hæc erat, ut nunquam adulto in amentiam, vel quamcunque rationis impotentiam lapſo, vel Baptiſmus conferretur etiam in extremo vitæ periculo, qui non illum jam adhuc rationis compos petiiſſet: quod idem ſtatuit Paulus V. in Rituali Romano Tit. de Bapt.

* Interim fieri poteſt, ut quis, etſi initio maxime invitus, tamen ſeu precibus, ſeu metui tandem cedat, & ſic tamen conſentiat; etſi non conſentiret, ſi preces, vel metus abeſſent; tumque valebit Sacramentum; etſi gratiam non conferat niſi bene diſpoſito. Hoc pacto *Concilium Toletanum I.* Can. de Judæis approbavit valorem Baptiſmi, jubente Siſibuto Principe Hiſpano Judæis, aliquo pacto invitis, collatum, metui tamen cedentibus: quamquam vim iidem Patres deinceps ſimiliter inferendam aliis ſevere prohibuerint.

Eodem modo narrat *S. Auguſtinus* L. IV. Conf. c. 4., amicum ſuum, cum diu ſine ſenſu jacuiſſet, in-

ſcium fuiſſe baptizatum; qui, poſtquam ſibi eſt reſtitutus, magnopere de eo facto gaviſus fuerit: quod indicium utique eſt, illum jam prius baptizari expetiiſſe. S. Paulinus frater S. Hieronymi teſte S. Epiphanio Epiſt. ad Joan. Jeroſ. ordinatus eſt etiam vi adhibita, ne reluctari poteſt: ſed veriſimile eſt, illum, cum ſola modeſtia & reverentia a tanto munere abſterreretur, tamen denique propoſito ſibi timore DEI, & neceſſitate obediendi Epiſcopo tempore, quo Eccleſia bono indigebat Sacerdote, hortationi & voluntati ordinantis, licet ægre, ceſſiſſe.

Magis dubia, imo veriſimilius invalida fuit ordinatio Macedonii ſenis Anachoretæ a Flaviano Antiocheno ſuſcepta; de qua narrat Theodoretus in hiſt. relig. c. 13., quod ſenex ille prorſus ignarus, quid de ſe fieret, adeoque invitus, initiatus ſacro ordine fuerit, ita, ut, cum denique, quid ageretur, intelligeret, convitiis & maledictis omnes impeteret, & ipſum Epiſcopum baculo perſequeretur. Ceterum in parvulis quoad baptiſmum pro ſua ſapientia aliud quid ob eorum abſolutam impotentiam ſtatuiſſe Chriſtum, eadem Eccleſiæ traditione edocemur (474.).

649.

Intentio §. præc. requiſita in ſubjecto debet eſſe abſoluta, & ſaltem non reſtricta ad conditionem de futuro, ob easdem rationes §. 644. allatas pro ſimili intentione miniſtri.

650.

650.

Fidem veram non requiri in ſubjecto ad valorem Sacramenti, ex eadem traditione Eccleſiæ probatur, recipientis ex æquo baptiſmum quem hæretici acceperant, ac illum, qui ab hæreticis datus fuerat (471.).

* Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, ſemel valide ſuſcepta, eo ipſo characterem imprimunt. Videndum modo, quid porro in omnibus Sacramentis requiratur, ut gratiam conferant.

651.

Sacramentum Baptiſmi virtute divinæ ſuæ inſtitutionis ordinatur ad ipſam ſpiritualis vitæ primam generationem, & Sacramentum pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum & divinæ gratiæ amiſſæ reſtitutionem (456. 527. 558.); atque hoc ſenſu *Sacramenta mortuorum* vocantur: reliqua vero Sacramenta, nempe Confirmatio, quia perfectionem & robur vitæ ſpiritualis; SS. Euchariſtia, quia nutrimentum illius; Extrema unctio quia reliquias ſolum peccati abſtergit, & robur ad pugnam ultimam tribuit; ordo denique & matrimonium, quia ſpeciales gratias ſtatui ſacerdotali & conjugali proprias tribuunt (631.): *Sacramenta vivorum* vulgo appellantur; quia ex ipſa natura & fine inſtitutionis in ſubjecto jam ſupponunt primam gratiam & vitam ſpiritualem. Unde, *per ſe loquendo, ad fructum gratiæ cuique propriæ ex Sacramentis vivorum conſequendum requiritur a priori, ut ſubjectum jam aliunde ſit in ſtatu gratiæ.*

Digitized by Google

Id quidem Apoſtolus de SS. Sacramento Euchariſtiæ docet aperte I. Cor. XI. 28. dicens: *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim indigne manducat, & bibit, judicium ſibi manducat, & bibit.* Et vero ratio ipſa docet, irreverentiam abeſſe non poſſe, ſiquis reus inimicitiæ DEI ad aliam gratiam recipiendam ſe DEO in ſuis miniſtris offerat; quin prius DEI amicitiam ſibi Sacramento mortuorum, vel alio idoneo remedio conciliare ſtudeat.

652.

Ad Sacramenta mortuorum cum fructu recipienda in adultis ceu ſupernaturalis diſpoſitio requiritur fides ſalutaris, ac ſpes, cum efficaci dolore de peccatis gravibus admiſſis.

Nulla enim juſtificatio peccatoris ſine converſione cordis poſſibilis eſt (Tract. IV. §§. 309. 310.) ac proinde nec ſine efficaci dolore de peccatis; quod quidem de Sacramento Pœnitentiæ in ſpecie oſtenſum eſt §§. 547. 549. 554.; ſed de Sacramento Baptiſmi ob parem vim rationum locis citatis explicatarum ex æquo valet. Porro ſalutaris dolor ſine fide ſalutari & ſpe eſſe non poteſt (Tract. IV. §§. 262. 263.). Unde & clare Apoſtolus docet ad Hebr. XI. 5. *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO: credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt: & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Unde & S. Petrus Act. II. 38. ita alloquitur Judæos: *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum* &c.

653.

653.

Sacramenta vivorum præter ſtatum gratiæ alias actuales diſpoſitiones ad fructum percipiendum in ſubjecto non requirunt. Nec enim de alterius diſpoſitionis neceſſitate quidquam ſeu in SS. literis, ſeu in SS. Patribus, ſeu in Conciliis uſquam legere eſt, & *Tridentinum* Seſs. VII. can. 6. univerſe docet, Sacramenta novæ legis conferre gratiam *non ponentibus obicem.*

654.

Sacramenta, quæ vel omnino nunquam, vel ſaltem manente eodem ſtatu iterari non poſſunt, pro cujus levamine ſacro ſunt inſtituta; puta, Baptiſmus, Confirmatio, Ordo, Extrema unctio, & Benedictio nuptialis, ſi ob peccati præſentis obicem ſine fructu, valide tamen, ſuſcepta fuerint, reviviſcunt quoad fructum gratiæ ſibi alias proprium; poſtquam obex peccati per congruam pænitentiam remotus fuerit.

Ita quidem cum *S. Auguſtino* confidunt de DEI ac Redemtoris noſtri miſericordia omnes Theologi catholici. Cum enim Donatiſtæ catholicos hoc dilemmate urgerent: vel per noſtrum Baptiſmum S. Spiritus confertur, & peccata remittuntur, vel non? ſi primum: penes nos eſt vera Chriſti Eccleſia: ſi alterum; penes nos non eſt verus Baptiſmus, ideoque a vobis deberent rebaptizari, qui a nobis ad vos tranſeunt: S. Doctor L. I. de Bapt. c. 11. reſpondet: *cum ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem pervenerit, non iterum baptizandus eſt; quia ipſa reconciliatione & pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate prodeſſe jam*

incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.

Ita nempe de infinita DEI miſericordia recte ſupponitur, quod, cum non niſi obice peccati præſente impedita fuerit ejus benevolentia efficacia, quo minus intuitu actionis Sacramentalis, a Chriſto eum in finem inſtitutæ, & ſubjecto actu applicatæ, ſeſe exerceret, remoto per convenientem pœnitentiam obice peccati vis moralis Sacramenti (631.) id adhuc gratiæ erga ſubjectum, Sacramento ſemel valide jam initiatum, ab ea impetratura ſit, quod eidem Sacramento alias proprium eſt; & quo alias ob id ipſum, quod iterare Sacramentum vel omnino non, vel certe durante eodem morbi, aut matrimonii ſtatu non liceat, perpetuo non ſine gravi periculo carere deberet.

* Dixi, ita confidi recte poſſe de miſericordia DEI: neque enim quid uſquam hac de re ſeu in SS. literis expreſſum, ſeu actitatum de hac quæſtione in Conciliis, ſeu ſcriptum diſtinctius ullibi apud SS. Patres reperimus.

CAPUT

CAPUT IX.

DE SACRAMENTIS ECCLESIASTICIS CHRISTIANIS.

655.

Sacramenta Eccleſiaſtica, ſeu ab Eccleſia inſtituta (446. VII.) alia *theoretica* ſunt, alia *practica*. *Theoretica* ex inſtitutione authentica Præpoſitorum Eccleſiæ ſolummodo rem ſacram, ſeu objectum religioſum, ſignificant, & in memoriam revocant (443.); *practica* etiam vi quadam effectrice certorum ſpiritualium effectuum pollent; & *duplicis generis* analoge ad Sacramenta a Chriſto inſtituta eſſe poſſunt, nimirum ut vel quædam poteſtas ſtabilis ſpiritualis ab Eccleſia per ea conferatur, vel etiam gratia quædam divina impetretur.

656.

Theoretica Sacramenta Eccleſiaſtica, ut ſapienter inſtituta haberi poſſint, nihil falſi, ſed veritatem religioſam utilem ſignificare & in memoriam revocare debent; eoque utiliora ſunt, quo majoris momenti eſt veritas, quo magis ſcitu & rememoratu neceſſaria, quam ſignificando in memoriam revocant; item quo magis ſunt ad eam ſignificandam per ſe idonea.

657.

657.

Vana autem & inſipienter inſtituta cenſeri deberent Sacramenta Eccleſiaſtica theoretica; ſi aut falſum aliquid in religione ſignificent, aut veritatem mere in religione indifferentem, ac inanem, aut ſaltem parum utilem: item ſi pro levioris momenti veritatibus religioſis in memoriam revocandis immoderatiore ſtudio & numero eſſent inſtituta Sacramenta quam pro primi & generaliſſimi momenti rebus; ac denique ſi ſigna inidonea ad eas veritates ſignificandas eſſent delecta, vel etiam offendiculo infirmis facile futura.

* Ex his duabus regulis evidentibus, ex ipſa notione & natura Sacramentorum eorumque fine derivatis, judicium ferendum eſt de Sanctitate cerimoniarum & Sacramentorum mere Eccleſiaſticorum in Eccleſia catholica uſitatorum, deque ipſis legibus, quibus illorum uſus eſt ſancitus.

Cum enim finis unicus totius inſtitutionis talium Sacramentorum ſit ſalus publica ſpiritualis (quæ ipſiſſima & unice vera DEI gloria eſt) ope religionis internæ, quæ per hæc ſigna mnemoſyna excitatur, & incitatur, unice promovenda: ubi finis iſte adeo non obtineretur, ut impediretur potius ſeu falſitate, ſeu inanitate, ſeu ineptitudine talium Sacramentorum, ſapiens lex ea imperare non poſſet.

Illud ſolummodo probe notandum eſt, judicium de his proprietatibus Sacramentorum omne, quod non ab ipſa Eccleſia (quæ Spiritu Sancto æque in ſuis generalibus legibus diſciplinæ regitur atque in declaratione

ne dogmatum fidei) ſed a privato, utcunque acuto, homine fertur, vel etiam a qualicunque numero privatorum, errori obnoxium eſſe.

658.

Sacramenta theorethica, Eccleſiæ ipſius generali lege inſtituta, & communiter præſcripta, ſive in adminiſtratione Sacramentorum a JESU Chriſto in nova lege inſtitutorum, ſive in Sacrificio Miſſæ, ſive alia quæcunque, ex. gr. uſus candelarum & luminum, ſuffitus, ſigni crucis &c., omnia uſus ſacros & ſignificatus idoneos maxime veritatum religioſarum primi nominis habent, & communiter nullo per ſe offendiculo ſunt.

Probatione hic alia opus non eſt quam lectione Miſſalium & Ritualium Eccleſiæ Romanæ; qua ſola evidens cuique fiet, recte *auguſtas* dici *cerimonias ſacras* Eccleſiæ catholicæ; id eſt, augendæ religioni & dignis conceptibus pariendis de excellentiſſimis fidei dogmatis & myſteriis unice & ſapientiſſime excogitatas. Eho! quisquis, præjudiciis forte adverſus catholicam Eccleſiam ejusque cerimonias præventus, hac de re dubitas; quæſo te vel ſolas eas cerimonias attente examina, & meditare, quæ tum in benedictione fontis baptiſmalis, tum ipſa Baptiſmi adminiſtratione præſcriptæ ſunt: & palpabis profecto aptiſſimis ac decentiſſimis ſignis cognitione ſymbolica repræſentari primas fidei veritates, ac vivam de illis fidem excitari.

Lege ſis magnificam illam præfationem, quæ *benedictioni fontis* præmittitur, celebrium factorum ex SS. literis commemoratione plenam:

Digitized by Google

nam: attende, Sacerdotem, ceu miniſtrum Eccleſiæ, totius populi DEI nomine orantem, ut *virtus* illa *Spiritus Sancti deſcendat in plenitudinem fontis*; quæ per *ardentem cereum* ter fonti immerſum, ſymbolo utique aptiſſimo, adumbratur; ſicuti gratia ipſa baptiſmo conferendo aptiſſime *oleum* & *chryſma aquæ admixtum* ſignificatur &c. &c.

Ante ipſum *Baptiſmum* præſentatio baptizandi ante fores Eccleſiæ, impoſitio nominis (jam in lege antiqua uſitata), exorciſmus, impreſſio ſigni crucis, manuum impoſitio, ſalis benedicti deguſtatio, contactus denique aurium & narium digito & ſputo, cerimoniæ plenæ ſignificationibus primi nominis veritatum religionis ſunt; uti & unctio baptizandi in pectore & inter ſcapulas.

Poſt Baptiſmum ſequitur unctio cryſmatis in vertice baptizati, injectio veſtis candidæ, oblatio cerei ardentis in manus religioſiſſimos item habent ſignificatus.

De cerimoniis *SS. Sacrificio Altaris* ab Eccleſia adjectis præclare *Tridentinum* Seſs. XXII. c. 5. ſic docet: *cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem attolli; propterea pia Mater Eccleſia ritus quosdam . . . adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina & traditione; quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

* Ce-

Digitized by Google

* Ceterum ſicut in ipſis actionibus Sacramentalibus a Chriſto inſtitutis ſubinde accidentalis mutatio locum habuit (629.); ita non tam fixe vetus etiam Chriſti Eccleſia hiſce cerimoniis inhærebat, ut non in illis aliqua mutari, ac ſubinde omitti permitteret, ſi illarum ex aliqua vel offendiculum pati potius, quam incrementum capere aliquando, vel alicubi, ſalus communis animorum videretur. Ita immiſſio Salis benedicti in os baptizandi, aurium & narium ſputo facta linitio, nuſquam recepta in Græca & orientali Eccleſia legitur.

Viciſſim Græci & Orientales non tantum ſcapulas & pectus baptizandi, ſed totum corpus inungunt, ut legere eſt in S. Cyrillo Jeroſ. catech. 2. myſtagog. 5. & in S. Chryſoſtomo hom. 6, in Epiſt. ad Colloſſ.; id quod occidentalis Eccleſia nunquam legitur fuiſſe imitata.

Ipſa latina Eccleſia olim, ipſo jam teſte Tertulliano in L. de Corrona Milit. cap. 3., baptizatis lactis & mellis aliquantulum deguſtandum præbere ſolebat; quod deinceps decurſu ſeculorum omiſſum eſt; ſicuti mutata eſt ipſa fontium baptiſmalium ſtructura ceſſante uſu immerſionis totius corporis nudi (465. not.). Nimirum ſola fides mutationem non capit, & quæ legis divinæ ſunt, auctoritate Eccleſiæ tolli non poſſunt: cetera, quæcunque diſciplinæ, etiam Apoſtolicæ, propria ſunt, varias decurſu temporum mutationes ſine fidei ac religionis detrimento ſubire poſſunt. Ex qua obſervatio-

ne

ne clariſſimum profecto eſt, contra caritatis regulas peccatum fuiſſe, cum viri Apoſtolici neſcio quanti criminis contra reverentiam id genus Sacramentis Eccleſiaſticis debitam accuſati clamoſius fuere; quod partem illarum omittendi licentiam magna ſtudioſitate impetrare a Sede Apoſtolica pro illarum gentium ſalute, quibus Evangelium prædicabant, quærerent eo nomine; quod ex præconceptis in tota natione præjudiciis feminæ ab attactu manus virilis, & una omnes a ſputo humano, pæne ſicuti nos a fæce humana, abhorrerent. Eccleſiæ leges, quæ altiore conſilio reguntur, haud dubie ſapientiſſimæ fuere; quæ pedetentim ſaltem induci in uſum cerimonias illas Apoſtolica jam lege inſtitutas, etiam apud gentes illas præceperunt.

At viris Apoſtolicis piaculo haberi non debuit, quod majoris ſalutis animorum ſtudio (qui unus finis eſt illarum cerimoniarum. cum gloria DEI a ſalute illa non differat) remittendum aliquid de illa antiqua lege Apoſtolica, per ſe mutabili, exiſtimarint: æque parum ac ſapientiſſimis Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. piiſſimoque Bavariæ Duci Alberto III. piaculo duci potuit, quod, converſionis multorum concepta exinde ſpe, calicem laicis, & Sacerdotibus conjuges, concedi petierint a Tridentinis Patribus; etſi iſti utrumque ſapientius negarint.

659.

Sacramenta practica Eccleſiaſtica ſi ad conferendam poteſtatem ſpiritualem inſtituta ſint, de qua

Digitized by Google

qua diſponere Eccleſia poteſt, & per ſe idonea ſint ad hunc effectum ſignificandum, & efficacia hoc ipſo erunt, ſi per eos adminiſtrentur, quorum id officium eſt, & omnem reverentiam promerentur.

Quodſi enim cerimonias illas politicas efficaces, & omni honore dignas judicamus, quibus Reges & Principes per ſuos miniſtros jubent ſervos ſuos ad certa officia, cum poteſtate aliqua politica conjuncta, inaugurari, aut etiam ordine honorario initiari; quippenî revereamur etiam ſacras cerimonias, per quas ex. gr. miniſterium Eccleſiæ Subdiaconis, Acolythis &c., honor Cardinaliatus, Archiepiſcopatus poteſtas &c. a Prælatis Eccleſiæ & ſummis Pontificibus conferri ſolet? Nunquid enim Eccleſia quoque Societas publica viſibilis eſt, licet ſit ſpiritualis; quæ poteſtatem & jura ſacra, in ſe inviſibilia ſignis ſacris & ſenſibilibus conferenda ſapienter & cum certo effectu ſtatuere poteſt?

660.

Sacramenta practica Eccleſiaſtica, quæ ab univerſali Eccleſia inſtituta ſunt, & uſitata, eo fine, ut quædam gratiæ divinæ iisdem pie utentibus conferantur, veram vim moralem intrinſecam ac ſibi propriam ex deprecatione & meritis totius eccleſiæ habent ad illas gratias pie utentibus, ceu effectus ſibi proprios, impetrandas.

Signa enim ſacra ſunt, ab Eccleſia legitima auctoritate inſtituta, tum ad ſignificandos illarum gratiarum effectus, tum ad applicandam utentibus ipſo illorum uſu deprecationem Eccleſiæ, qua per prævias benedictiones talium rerum

rerum, a legitimo Eccleſiæ miniſtro factas, tota Eccleſia univerſis fidelibus pie illis utentibus eas gratias apud DEUM per JESU Chriſti Sponſi ſui merita deprecatur.

Conditione ergo iſta per actualem pium uſum impleta, vis moralis meritorum totius Eccleſiæ ex iſtius mente applicatur hoc ipſo pie utentibus analoge, uti per Sacramenta a Chriſto inſtituta applicatur vis actionis propriæ ipſius Chriſti (631.); applicatur, inquam, vis ipſa moralis meritorum totius Eccleſiæ (non ſola vis meriti perſonalis ejus, qui utitur his Sacramentis Eccleſiæ) ad impetrandas illas gratias, quas per Sacerdotem benedicentem illi Eccleſia a DEO precatur: utque Chriſtus invariabili & illimitato amore Eccleſiam ut ſponſam efficaciſſime diligit (ad Eph. V. 25. *viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam* &c. §. 620.); ſic ad iſtius per merita hujus ſponſi divinum Patrem deprecantis interceſſionem etiam Chriſtus ipſe ſua quoque merita infinita certiſſime interponit, ac gratias exoptatas impetrat; vel potius pro data ſibi poteſtate in cœlo & in terra (Matth. ult.) ad interceſſionem ſponſæ ſuæ ipſe confert. Ergo &c. &c.

* Ceterum pro diverſitate gratiæ, quam utentibus tali quovis Sacramento Eccleſia benedictione ſua petit, & pro diverſa diſpoſitione ipſius utentis, nunc certior, nunc minus certa erit efficacia cujusque talis Sacramenti. Cum enim temporales ſolum gratias & beneficia Eccleſia precatur; ſicut univerſe orationi temporalium non niſi conditionata promiſſio Chriſti reſpondet (*ſiquid petieritis patrem in nomine meo;* ait

Chri-

Chriſtus Joan. XVI. 23.: Auguſtinus vero recte in eum locum adnotat, *nihil in nomine Chriſti peti, quod petitur contra rationem ſalutis.*) ſi nempe res conducat ſaluti animæ, vel certe non obſtet: talium Sacramentorum Eccleſiæ uſus haud dubie cum effectu non abſolute & certiſſime ſemper eſt conjunctus. Atque huc pertinent ex. gr. benedictiones domorum, herbarum, panis, carnium ovorum, agni paſchalis, novorum fructuum, vini S. Joannis, agrorum, tempeſtatum &c.

Ex adverſo cum ſpirituales gratias petit Eccleſia; ſicut illimitatum eſt promiſſum Chriſti, & vis precum eccleſiæ ſumme efficax apud Chriſtum; ita in id genus Sacramentorum uſu longe certior eſt effectus. Hujusmodi ſunt uſus *aquæ luſtralis*, *Cinerum benedictorum* &c.; quibus & gratia actualis pœnitentiæ, &, ſi huic cooperetur utens his Sacramentis, eo ipſo remiſſio peccatorum obtinetur; item gratiæ actuales adverſus tentationes carnis & dæmonis, & quascunque iſtius inſidias: ſiquidem hæc omnia in benedictione illius aquæ Eccleſia a DEO fidelibus pie utentibus deprecatus.

** Ex huc uſque dictis ſane perſpicuum eſt, quam inique Acatholici cerimonias Eccleſiæ catholicæ traducant; ad ſuperſtitiones vulgo eas remittendo, id eſt, ad falſorum, vel vanorum certe cultuum ſpeciem; quæ ex Judæorum & Gentilium imitatione quadam cum veri & eſſentialis divini cultus præjudicio invecta in Chriſti Eccleſiam fuerint.

Au-

Digitized by Google

Audent & novitatis hac in re Eccleſiam ſubinde arguere, ac cerimoniarum iſtarum inventionem Romanæ Eccleſiæ affingere; ignari, omnes pæne ſolennes Sacramentorum cerimonias jam deſcriptas apud *Tertullianum* Lib. de corona militis. cap. 4., apud *SS. Baſilium* Lib. de S. Spiritu. cap. 27., *Cyprianum* Epiſt. 63. ad Cæcilium, 76: ad Magnum &c., *Cyrillum Jeroſ.* in cathecheſibus, *S. Auguſtinum* in libris contra Pelagianos & aliis, *S. Gregorium M.* in Sacramentario; ex æquo denique in omnibus Græcorum orientalium Euchologiis inveniri, quæ inde ab annis mille & amplius conſcripta ſunt; easdemque ſummo in plerisque conſenſu ab orientali æque ac occidentali Eccleſia obſervari; quin inſtitutionis illarum aliud quam traditionis Apoſtolicæ initium uſpiam deprehendi poſſit; uti jam *Tertullianus* & *S. Baſilius* cit. loc. graviter affirmarunt.

Neſciunt, quod idem *Tertullianus* L. de Præſcript. c. 40. pridem obſervavit, videlicet omnes fere paganorum ritus ad imitationem cultorum veri DEI a dæmonibus, vel ſacrificulis falſorum Numinum introductos fuiſſe. Quodſi affinitate aliqua ritus noſtri ad Hebræorum cerimonias accedant; id ſolummodo conſequitur, Eccleſiam Chriſti, quæ a S. Spiritu regitur, non minus illarum utilitatem æſtimare; atque DEUS idem auctor legis Judæorum: cum nos Chriſtiani quoque vulgo homines ſimus ſymbolica cognitione facilius quam intuitiva duci ſoliti, perinde ac Judæi (Pſycholog. 139. not. 2.).

Unde

Unde eſſentiali DEI cultui has Eccleſiaſticas cerimonias obeſſe vel exinde evidenter falſum eſſe noſcitur; quod per eas ad remorandas eas ipſas veritates inprimis excitemur, quæ hunc eſſentialem DEI cultum inprimis inflammant, atque promovent; nec quidquam etiam in numero illarum', quæ *generali Eccleſiaſtica lege* conſtitutæ ſunt, aut in ipſius uſus illarum frequentia, immoderatione peccetur.

*** Illud quoque vulgo acerbius *criminatur*, quod Sacramenta ſua non in vulgari idiomate, quod ſatius longe futurum putant, ſed in latina lingua, quæ longe majori parti fidelium incognita eſt, celebret catholica Eccleſia. *At enim* præter reverentiam antiquitatis, & incertam linguarum indolem, quæ non ſemper rebus ſacris & ſententiis iisdem exprimendis pari dignitate & ſalva omni reverentia congruit; rationes non parvi momenti iſtius rei tenendæ ſuppetunt.

Prima eſt uniformitatis neceſſitas; quæ nimium in tanta vulgarium linguarum copia & diverſitate (quarum ſæpe in una civitate duæ diverſæ ſunt) læderetur. *Altera* eſt linguarum vivarum inconſtantia: quæ una ſubinde ætate hominum perdurante novis vocabulis inventis, & veteribus antiquatis, ita mutantur, tamque diverſas formas induunt, ut novas deſcriptiones, vel editiones ſacrorum librorum, ſine fine multiplicare opus foret. Experti ſunt iſtud incommodum multæ jam civitates & provinciæ acatholicæ: in quibus obſoletæ jam vernaculæ pſalmodiæ & cantilenæ, quæ cum exortu novæ ſectæ introductæ ſunt, hodie

Digitized by Google

non ſine riſu atque nauſea ab acutioris ingenii hominibus exaudiri ſolent,

Solent, qui adverſæ ſententiæ ſpecie præventi ſunt illud vulgo *urgere*, quod ipſi quidem Apoſtoli vulgares linguas eo in honore habuerint, ut Græcis græce, Syris ſyriace, Ægyptiacis ægyptiace, Æthyopibus æthyopice, Armenis armenice loqui in omni divino cultu publico permitterent; ſicut in occidente latinam linguam in eosdem uſus ſacros admiſere.

Verum non advertunt iidem, poſtquam *illæ linguæ*, quæ vulgares erant, temporum decurſu in deſuetudinem abiere, nihil in cultu divino apud omnes illas gentes fuiſſe immutatum; quodque ſuam quæque Eccleſia linguam ſcrupuloſe in rerum ſacrarum adminiſtratione ſervaverit. Syri orthodoxi, Jacobitæ, & Neſtoriani, linguam Syriacam hodie non magis intelligunt, quam ruricolæ noſtri latinam. Ægyptiaca apud Coptitas Alexandrinos oblivioni ſic tradita eſt, ut illam ne ipſi quidem Sacerdotes intelligant; niſi ſtudio multo didicerint. Hinc adjuncta pleriſque codicibus Lythurgiarum Arabica interpretatio ad illorum imperitiam juvandam. Æthyopibus vetus idioma prorſus peregrinum eſt; ſicuti & Græci idiotæ linguæ literalis, quæ ſola in cultu ſacro uſurpatur, rudes ſunt plane & imperiti. Et tamen iſti omnes ab uſu veteri dimoveri majorum incommodorum metu huc uſque non potuere.

Lin-

Digitized by Google

Linguæ vero innſitatæ incommodum remedio, pridem a Tridentinis Patribus Seſſ. XXIV. in decret. de reform. c. 7. præſcripto, facile removetur; cum nimirum a paſtoribus animarum uſus & vis omnis id genus ſacrarum cerimoniarum ex officio diligenter explicatur. In quem finem præ plerisque aliis libellis precum illi prædicandi ſunt (atque utinam frequentiores eſſent in Germania, uti in Galliis jam ſunt actu frequentiſſimi) in quibus preces lyturgicæ, Epiſtolæ, Evangelia, ac reliqui ſacri ritus, per anni dies occurrentes, in idiomate vernaculo fidelium oculis ſubjiciuntur.

661.

Cum ſacramentis practicis, univerſæ Eccleſiæ nomine & auctoritate conſecratis, virtute & efficacia comparari nunquam poſſunt, imo nec ſapientia & ſanctitate, ſacramenta practica, benedictiones, & ſacra cujuscunque nominis amuleta illa, quæ quorumcunque ſacrorum cœtuum fidelium peculiari ac privato nomine, auctoritate, & conſecratione, inſtituta, paſſim commendantur.]

Evidens enim eſt, meritum unius cœtus fidelium utcunque ſancti ac religioſi, ſicuti nec unius ſancti qualiscunque, a cujus conſecratione & deprecatione vis talium particularium Sacramentorum virtusque unice repetitur & cum totius Eccleſiæ merito, quod ex omnium Sanctorum univerſis meritis coaleſcit, comparari non poſſe: ſicuti ex æquo evidens eſt, peculiares id genus inſtitutiones illa divina ſapien-

tia & intemerata ſanctitate tam certo ac ſecure non regi; qua omnes publicæ ac generales veræ Chriſti Eccleſiæ leges certiſſime reguntur.

* Inde eſt, quod tam ſæpe, nec immerito, in id genus particularibus religionibus ſapientiam illam, ſanctitatem, & puritatem, rectumque ordinem divini cultus Chriſti, Eccleſiæ generalis ſpiritui conſentientem, multi ex ipſis ſapientioribus catholicis deſiderent. Equidem pro mea parte ſine exceptione ulla ſapientiſſimis magni S. Auguſtini ſenſis toto animo adſtipulor, quæ is in Epiſt. 119. ad Januar. Epiſc. cap. 19. ita hac de re jam in illa Eccleſiæ adoleſcentia explicat. *Quod autem inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum; etiamſi multa hujusmodi propter non nullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius improbare non audeo* SED HOC NIMIS DOLEO; QUIA MULTA, QUÆ IN DIVINIS LIBRIS SALUBERRIMA PRÆCEPTA SUNT, MINUS CURANTUR, *& tam multis præſumtionibus plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit; quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque talia,* QUÆ NEQUE SS. SCRIPTURARUM AUCTORITATIBUS CONTINENTUR, NEC IN CONCILIIS EPISCOPORUM STATUTA INVENIUNTUR, NEC CONSUETUDINE UNIVERSÆ ECCLESIÆ ROBORATA SUNT, *ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita, ut vix, aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt,* UBI FACUL-

TAS

Digitized by Google

TAS TRIBUITUR, SINE ULLA DUBITATIONE RESECANDA EXISTIMO. *Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint; ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis Miſericordia DEI eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt; ut tolerabilior ſit conditio Judæorum; qui, etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumtionibus, ſubjiciuntur. Sed Eccleſia DEI, inter multam paleam multaque zizania conſtituta, multa tolerat; & tamen, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Audi Iſraël verba prudentiæ!

ANA-

Digitized by Google

ANACÆPHALEOSIS

AD

DD. PROTESTANTES

IN

GERMANIA,

ET

PROPOSITIO CONDITIONUM,

SUB QUIBUS SOLIS

UNIO RELIGIONIS EXOPTATA

POSSIBILIS EST.

Digitized by Google

Theologiam Chriſtianam Theoreticam, ſecundum principia hodiernæ melioris Logices & Metaphyſices a me conſcriptam, adjuncta Demonſtratione Evangelica, & Catholica, atque Univerſali Ethica Chriſtiana, veſtris oculis & judiciis magna animi lubentia ſubjicio, quotquot eſtis, qui, cum communi fœdere Germanici Imperii olim & catholicæ ejusdem religionis ante ducentos & ſexaginta circiter annos nobiscum eſſetis colligati, rupta religionis unione ſeceſſiſtis in partes.

Mala, & detrimenta, quæ inde in communem patriam redundarunt, atque reſolutus idcirco communium ſtudiorum etiam politicorum nexus, niſi magnopere fallor, communia pridem in vobis nobiscum reſtaurandæ unionis deſideria excitarunt. Mihi conſcientia mea illud certiſſimum teſtimonium reddit, me vobis & amiciſſimum eſſe, & nihil unquam in ſcriptionibus meis univerſis acerbe in vos dixiſſe;

imo non erubuiſſe diſcere a bonis ſcriptoribus veſtris, cum liceret. Scripſi quoque, ſalva Eccleſiæ catholicæ reverentia, omni ea libertate, quam Philoſophiæ uſus, longo docendi munere & ſcriptione comparatus, mihi pæne propriam fecerat, omni ſcholaſtico jugo penitus excuſſo. Non itaque omnino inidoneus mihi videor, qui pacis & unionis veluti conditiones vobis proponam, ac de modo vobiscum tractem, quo revocari denique unio illa antiqua, religionis æque ac imperii, tot votis exoptata, inter nos poſſit.

Scio, multas, & varias ineundæ pacis vias a diverſis ex veſtris primoribus, aliquas etiam ſubinde a noſtratibus, fuiſſe propoſitas. At ego, quam vos ſinceriſſime amo, & uniri nobis exopto, tam quoque id certiſſimum habeo, non niſi unam eſſe ad unionem religionis viam; illam nempe, qua vos perinde, atque nos catholici facimus, Eccleſiæ judicium falli neſcium in omni quæſtione fidei omni fidei omni demiſſione recipiatis. An injucunda fors hæc mea vobis oratio accidit? An multum fortaſſis præ me Monachus ille pacis præcentor placuit, qui (non ego diffiniam, quo conſilio, bono, an malo) paucos ante menſes ſeſqui folio, primum paſſum facturus ad unionem, Eccleſiæ auctoritatem atque judicium, veluti obicem illius ineluctabilem, primo omnium removendam aut revera cenſuit, aut cenſere ſaltem plerisque eſt viſus? At enim, ne longus ſim, paucis id ego pronuntio: niſi Eccleſiæ falli neſcia auctoritas & judicium, præliminari veluti conventione, utrinque a nobis recipiatur, unionem poſſibilem haud eſſe omnino nos inter & vos; imo ne inter vos ipſos qui-

quidem unquam ſperari poſſe: ex adverſo hoc uno in puncto ſi convenerimus, cetera omnia fore facillima, & expedita. Utrumque oratione hac parænetica demonſtrare mihi in gratiam veſtrum propoſitum eſt.

Pacem itaque & unionem religionis vos quoque optare votis ſinceriſſimis, affirmatis. Quo autem, dicite quæſo, conciliatore; ſi Eccleſiam judicem reſpuitis; quem nos a Chriſto conſtitutum ſumma cum poteſtate credimus? Scripturas, DEUM ipſum nobis in divinis Bibliis loquentem, continuo judicem appellatis. Sed heus vos! rudibusne & indoctis etiam, an ſolis eruditis & linguarum autographarum peritia inſigniter inſtructis, judicis iſtius tribunal proſtare vultis? Utrisque haud dubie. Ajo vero equidem, certiſſimum eſſe, neutris illum judicem quadrare. A rudibus incipiamus id probatum ire.

Illiteratis ejusmodi hominibus, Scripturas ut ipſi conſulant, fruſtra omnino ſuaderi enimvero eodem argumento pleniſſime demonſtratur; quo ipſa revelationis alicujus neceſſitas evincitur (Vide Dem. Evang. §. 40. & toto capite II. & Locos Theol. §. 37.).

Demonſtratio iſta enumeratione completa omnium criteriorum veritatis nititur, quæ bona Logica proponit, atque ſic habet: Vulgus hominum chriſtianorum dogmata fidei in SS. Scripturis latentia, harumque ſenſum & interpretationem, ex nullo prorſus ſufficiente veritatis criterio perſpicere poteſt: *non demonſtratione*; quia linguarum autographarum imperita, ac proin de verſionum accuratione judicare impo-

Digitized by Google

tens eſt: *non ſenſu externo aut intimo*: ſub cujus utriusque intuitum ſenſus SS. Scripturarum non cadit: *non ſenſu communi naturæ*, cujus ad objecta ſenſus ſcripturæ cujuscunque item non pertinet: *non auctoritatis humanæ ex teſtimonio*; foret enim hoc teſtimonium dogmatici teſtis; non hiſtorici ac de mero facto ſub ſenſus cadente teſtantis: atqui teſtimonium tale criterii certi rationem habere non poſſe in dogmatis religionis, vulgo hominum comprobandis, ex incerta fide, & varietate atque non finienda diſcordia ac diſſonantia id genus teſtium oſtendi in Dem. Evang. §. 44.: vel certe, ſi humana auctoritate ſtandum tamen vulgo chriſtianorum imperito eſſet; potius utique Eccleſiæ univerſalis in Conciliis per ſuos Epiſcopos judicantis teſtimonio credi debere, quam Luthero alicui, aut Calvino, perſpicuum eſt; ac proin uti prima illa diſceſſio in partes his præcipue auctoribus facta eſt; ita non niſi regreſſu ad eam Eccleſiam, cujus contemta auctoritas eſt, error emendari deberet. Aut num velimus, indoctam plebem a Luthero, a Calvino, a ſuo quovis Magiſtratu laico, aut a quocunque demum alio, recipere catechiſmos, fidei ſymbola, & Confeſſiones; ab univerſæ Eccleſiæ Epiſcoporum Conciliis ea recipi non velimus?

Ex adverſo, quis neget, *auctoritatem Eccleſiæ*, ſi hæc S. Spiritu regatur, ceu quæ jam non mere humana, ſed *DEI ipſius participata auctoritas* eſt, criterium aptiſſimum eſſe ad ipſum divinarum Scripturarum ſenſum, æque ac dogmata quævis alia, a Chriſto ſemel per Apoſtolos accepta, citra omnem erroris aut fraudis ſuſpicionem rudi chriſtianorum vulgo intimandum. None vere religionis, divina ſapientia inſti-

Digitized by Google

inſtitutæ, primum quoddam conſilium & præcipua providentia eo collimare debet, ut rudium inſtructioni inprimis proſpiciatur?

Videtis itaque, viri æſtimatiſſimi, rudi & indoctæ plebi vos nullum criterium uſpiam relinquere, ex quo illa diſcere verum ſenſum divini Verbi poſſit omni in eo caſu, in quo diſcordare adhuc inter ſe & variare Doctores catholicos, & Lutheranos, ac Calvinianos, circa illius tenorem intellexerit. Sed num ſpes denique eſt, doctos omnium trium partium, ſublata quidem Eccleſiæ judicandi auctoritate, per aliud quoddam remedium, nempe per ſolam SS. literarum concordem expoſitionem, in concordiam revocari poſſe?

At quonam denique modo, edicite amabo! Docti enim pro ſuo ingenio & peritia quique ſibimet ipſi ſument judicium de ſenſu cujusvis textus SS. literarum. Quidſi ergo, cum ad propri intellectus tribunal jam revocata eſt omnis fidei controverſia: quidſi, inquam, alius videatur eſſe Canon Scripturarum, alia lectio inter tot variationes, alius ſenſus Calvino, Luthero alius: Quod Salomonis judicium ſufficiet cauſſæ finiendæ? An ad linguas Autographas, ad perfectam grammaticæ hebrææ & græcæ peritiam, & ſcientiam regularum hermeneuticarum provocabitis? Sed cogitate, quæſo, quid petatis? Petitis nempe, ut vel omnes docti æqualem afferant perfectam linguarum illarum & Hermeneutices peritiam, vel ut, qui minus aliis in his periti ſunt, ultro id confeſſi, aliis doctioribus ſe ſubmittant, eorumque judicio ſtent, item ut lites ipſæ Grammatico-

rum momento finiantur, &, qui inter omnes doctiſſimi ſunt, inter ſe conſentiant.

Ego vero vos obteſtor per ſinceritatem illam veſtram, qua unionem iſtam ipſi exoptatis! creditisne ipſi, ſperari unquam poſſe ex his alterutrum? Imo Lockio, oro, veſtro aliquando reſpondete, quotquot vel Lutherani, vel Calviniani eſtis, & ceteros a vobis diſſentientes intolerantius ſæpe, quam multi catholicorum, arguitis erroris: reſpondete, inquam, ita vos urgenti: Si ſola Scriptura, & iſtius interpretatio, ex mei unius privato judicio facta, unica credendi mihi regula eſt; cur (maxime ſi doctus ipſe ſim, & peritia omni ad hoc negotium requiſita ceteris parem me plane exiſtimem) cur, inquam alienæ cujuscunque potius ſubſcribam interpretationi; quam propriæ? Scitis, ô boni! experientiâ docente, quot rebellare ex primis ingeniis veſtris fecerit dictamen hoc adverſus primipilos veſtros, Lutherum, Zwinglium, Calvinum.

Quid quod ex evidentia facti SS. Scripturarum peritis conſtet, eſſe in his complures primi nomini textus, ad præcipua chriſtiana dogmata pertinentes, in quibus nullum a linguis autographis, nullum ab hermeneutice auxilium eſt; in quibus nulla lectionum aut verſionum varietas; & circa quos tamen inter doctiſſimos quoque viros, ex oppoſito ſtantes; ſeu Calvinianos, ſeu Lutheranos, ſeu Catholicos, æterna lis obtinet præciſe de eo; an proprie, an improprie, verba Scripturæ intelligenda ſint, unis proprium, improprium alteris defendentibus. Exemplo ſint illa Chriſti verba; *hoc eſt corpus meum*; & illa: *quorum remiſeritis* *pecca-*

peccata, remittuntur eis. Legere oro, de his ne gravemini, quæ nota certe methodo ſcripſi in Theol. Chriſt. Tract. VI. §§. 498. 527. 528. Rurſus in aliis de univerſalitate legis decertatur, quæ in divinis literis clare in genere promulgatur; an ad omnes, etiam parvulos, ex. gr. lex Baptiſmi pertineat (Joan. III.) *niſi quis renatus fuerit* &c. Edicite rurſum, quonam ex criterio veritatem de his omnibus omnes communiter chriſtiani inveniemus; ſi Eccleſia judex non eſt?

Nempe ex hac ipſiſſima nunquam conciliande, quot capitum, tot ſententiarum diſcordia ortum eſt veræ deſperationis conſilium illud de *articulis fundamentalibus* ſtatuendis, illis videlicet ſolis, qui confeſſione omnium clare expreſſi in SS. Scripturis videantur. Conſilium iſtud fortaſſis etiam pacificatori Monacho (de quo ſupra) arriſerit; cum multum ipſe doleat, tot dogmata a Conciliis Eccleſiæ catholicæ fuiſſe definita.

Sed noſtis denuo ipſi, viri æſtimatiſſimi, quam infeliciter vobis ipſis hoc idem conſilium ceciderit. Longo examine inſtituto ad duos denique id genus articulos fundamentales religionem omnem chriſtianam, ceu clare in SS. Scripturis omnium confeſſione expreſſos, Lockius idem veſter revocandam graviter judicavit. Exiſtere DEUM; & Chriſtum Meſſiam eſſe: ecce ſymbolum fidei ſimplex profecto! De pluribus conſenſum ſperare auſus non eſt vir ille tantus!

Edicite vero, ô ter dilecti! an ad initas iſtas redigere religionem omnium chriſtianorum

vobiſmet ipſis communiter placet, ut unio demum obtineatur? Ain' vero? Nihil itaque Chriſtus ipſe docuit in omni argumento religionis; quod diſcendi ex ipſius ore ſecurum remedium nobis reliquerit. Quorſum ergo triennium illud prædicationis ipſius? Quorſum inſtructio illa tam diligens diſcipulorum, & tam frequens locutio de regno DEI, etiam a reſurrectione glorioſa per dies quater denos continuata?

Quorſum bene magna & bene multa Scripturarum divinarum volumina; ſi nihil in religione communiter certum eſſe præter hæc duo poteſt, exiſtere DEUM, & Chriſtum Meſſiam eſſe promiſſum? Imo quid opus erat Chriſtum agere doctorem, & divinum Patrem voce cœleſti jubere: *ipſum audite* (Matth. XVII.) Si nihil ex eo didicimus, niſi Meſſiam eſſe promiſſum, per quem ſcilicet unum (quocunque modo, quod ipſum manebit incertum) omnes ſalvari poſſint; Chriſti profecto magiſterium & SS. Scripturarum inſtructio omnis ſupervacanea fit & otioſa. Quorſum illud Chriſti tam clarum mandatum Apoſtolis injunctum: *euntes docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis* (Matth. ult.)?

At enim, ut in labyrintho progredienti longior aberratio una ex alia ſuccedit, ita ex huc uſque dictis nova dubitatio perquam conſequenter ſe ingerit, & ea quidem vel cogitatu horrenda mentibus, pleniſſimæ indiffierentiæ in religionis argumento nondum plane aſſuetis. Eſt autem iſta. Scriptura iſta, ex qua ſecundum vos vix aliquod dogma religionis, præter duo prædicta, cum qualicunque ſecuritate diſcere

Digitized by Google

diſcere poſſumus, eſtne illa reipſa divinitus ſcripta? An vero, cum alioquin tot humanæ ſcriptionis novos in illa paſſim obſervare liceat, more mere aliorum hominum a ſuis auctoribus, ſæpe ceſpitantibus, eſt conſcripta? Siccine vero? Divinum opus omne hac volumen eſſe exiſtimem, ex quo vix certi ac definiti aliquid de religione colligere licet? Huccine totum divinæ providentiæ conſilium reciderit, ut id genus unico quidem, eoque tam parum idoneo remedio, relictum omne a Chriſto fidei doctrinæ depoſitum tam infeliciter nobis aſſecuraret? Tanti momenti conatus DEO tam parum feliciter ceciderit? Non potuit, aut certe noluit DEUS ſaluti noſtræ certius conſulere? Scitis, quo uſque argumenta omnia Töllnerus veſter, Francoforti ad Oderam haud ita pridem defunctus Theologus, exenterarit, quæcunque ad divinitatem Scripturarum aſſerendam vobis quidem præſto ſunt; uti legere apud me ipſum eſt in Tract. de Locis Theol. Cap. I. Artic. I.; quamque aperte is demonſtrarit, ad ſummum ex iis veriſimilitudinem magnam evinci, quod ſecundum dogmata religionis ſcripturæ textus integer exaratus fuerit dirigente DEO, & impediente errorem.

Eo quidem cum eodem Töllnero quam multi ex Doctoribus veſtris devenere, ut negarent, inter articulos religionis, palam omnibus proponi ſolitos, referendam eſſe divinitatem illam omnium Scripturarum. Solum de dogmatis major quædam vobis eſt certitudo ex teſtimoniis Chriſti & Apoſtolorum (l. cit. §§. 22. uſque ad §. 28.), quod divina inſpiratione abſque errore in SS. libris conſcripta fuerint.

Jam

Digitized by Google

Jam vero iſthæc certitudo divinæ inſpirationis etiam circa dogmatum exarationem, quantum periculum patitur; ſi etiam vix unum alterumve dogma, idemque ſine divina ſcriptione ex aliis argumentis abunde notum, ex libris iſtis, tanta religione conſecratis, diſcere cum certitudine ſufficiente liceat? Maxime quod adoptata ſemel opinio, quod extra dogmata libri illi ſine divino interveniente Numine a meris hominibus, ut plurimum parum doctis & eruditis, conſcripti fuerint, facile innumeras illas Scripturarum illarum Antilogias in mentem nobis revocet; quæ in omni alio libro, mere humanitus exarato, pro veris erroribus haberentur.

Et hanc Scripturam, vobis ipſis tam incertam, tam obſcuram, & pauca ſatis ſecure docentem, aut nobis religionis totius chriſtianæ judicem unum & magiſtram obtrudetis? Aut certe ad unionem vobiscum in ſolis illis duobus dogmatis invitiabitis: quod exiſtat DEUS, & Chriſtus Meſſias ſit? Enimvero quam infeliciter ſecundum vos DEO ceſſit conſilium, quo unico Scripturarum remedio depoſito univerſæ religionis a Chriſto Meſſia traditæ conſervando conſultum ivit: tam parum ſpei profecto affulget, melius ceſſuram unionis religioſæ negotiationem, ſi aliud præter Scripturam medium non ſuggeratis. Porro an non facilior iſtius negotii ſucceſſus ſperari ex aſſumto dogmate de auctoritate Eccleſiæ falli neſcia poſſit, modo diſquiramus.

Nihil omnino egiſſe Chriſtum ſaltem feliciter & cum effectu, pro conſervando univerſo depoſito ac Syſtemate religionis per ipſum inſtitutæ

tutæ & revelatæ, ſuſpicari profecto de illius ſapientia & bonitate infinita non licet: ſed, quod tam ſapienter ipſæ inſtituit Eccleſiæ ſuæ ædificium, id eſt, ſocietatem illam ſacram & ex univerſo fine ſuæ ſpiritualem, ſanguine ſuo comparatam, legum propriarum fidei & morum certorumque Sacramentorum, a ſe ipſo inſtitutorum, veluti tot nexibus colligatam, ut in finem uſque mundi conſervaret talem, qualem inſtituerat, pro ſua divina ſapientia & potentia providiſſe mihi quidem extra omne dubium ponendum videtur.

Providentiæ enim id genus neglectus ne in hominem quidem cujuscunque etiam mere politicæ Societatis inſtitutorem atque auctorem cadere ſine nota gravis imprudentiæ poteſt. Quis negabit autem, ſi ſacris libris ſaltem humanam fidem abjudicare temerarium ducat; quis, inquam, negabit, Chriſtum Dominum integrum quoddam religionis & Eccleſiæ ſyſtema actu inſtituiſſe, & divinitus revelaſſe? An non legem Baptiſmi, & SS. Euchariſtiæ, an non utriusque Sacramenti Miniſtros inſtituit? Nonne his poteſtatem remittendi peccata dedit & retinendi? An non revelavit Myſterium Trinitatis, cum in iſtius Nomine baptizari juſſit; cum de Patre ſuo multa, de ſe tanquam Filio, de Spiritu Sancto multa diſcipulis ediceret.

Percurrite tractatus omnes huc uſque a me explicatos, an non pleni ſint dogmatis ab ipſo Chriſto traditis; utcunque ipſi ſentiatis de vero verborum Chriſti ſenſu in eisdem explanandis. Pro hoc autem tam divino, tam ſublimi, tam ſancto & admirabili religionis a ſe traditæ inſtituto conſervando, &, ne cum diſcipulorum

ſuo-

Digitized by Google

ſuorum vita continuo finiretur, impediendo, nihil omnino egerit divina Chriſti Sapientia? Id ne ipſi quidem credebatis huc uſque, qui Scripturas ſacras eſſe veluti arcam illam novi fœderis exiſtimatis, in qua ſyſtema univerſum novæ legis repoſitum a Chriſto fuerit. Aut num ſine id genus aſſecuratione atque perpetui magiſterii inſtitutione ſperari diu conſervatio ſpiritualis ædificii iſtius poterat? Nunquid par *neceſſitas* in perpetuum futura erat depoſitarii irrefragabilis doctrinæ illius, quam Chriſtus tradiderat, quanta fuit, ut primum doctrina illa nobis divinitus ab ipſo Chriſto revelaretur? Et vero clariſſima de exiſtentia divini Legislatoris voluntatis iſtius teſtimonia in ipſis SS. literis habemus, qua conceptis verbis juſſerit docere Apoſtolos omnes gentes ſervare omnia, quæcunque dixerat illis. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. ult.). *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, - - - &* DOCENTES SERVARE OMNIA QUÆCUNQUE MANDAVI VOBIS (Matth. ult.). Ubi quidem illud merito obſervandum; quod nuſquam ſcribere Evangelia, aut ſyſtema religionis a ſe traditum, ſed *docere* & *prædicare* illud integrum Apoſtolos Dominus juſſiſſe unice legatur. De voluntate ergo ſeria Chriſti transmittendi ad omnium gentium & ſeculorum notitiam dogmata univerſa & leges religionis, a ſe traditas Apoſtolis, certi, omnino ſumus.

Nec vero Indifferentiſmum, ad duos tresve articulos fidei fundamentales reſtrictum, toleratum ab Apoſtolis fuiſſe inter Chriſtianos, ſed univerſalem omnium dogmatum a ſe prædicato-

catorum fidem ab univerſis ſevere fuiſſe exactam, tam pathetica ipſorum Apoſtolorum exempla in SS. ipſis Scripturis ſuppetunt, ut plenam evidentiam attingant. Apoſtoli Act. XV. de onere legalium decidunt, illo Chriſtianos baptizatos minime obligari: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris*: & ecce! jam nullo pacto tolerat S. Paulus huic definitivo judicio a quoquam chriſtianorum contradici: *Sunt aliqui* (ad Galatas I. 7. ſic ſcribit), *qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis; anathema ſit.* Quin addit rotunde, & omni præcluſa excuſatione ibid. V, 2. *Ecce! ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini; Chriſtus vobis nihil proderit.*

Denique patheticum illud Apoſtoli teſtimonium eſt ad Epheſios IV. 11.; ubi eo fine miniſterium doctrinæ ab ipſo Chriſto, antequam ad cœlos aſcenderet, quibusdam commiſſum graviter affirmat eo fine, ut ſancti per hoc opus miniſterii ſacri perficiantur, & corpus Chriſti (Eccleſia nimirum) ædificetur, id eſt, numero chriſtianorum ac virtutibus proficiat; *donec omnes perveniamus in unitatem fidei, & agnitionis filii DEI; - - nec jam ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem errorum.*

Indubitatum ergo iſtum haberi debet, Chriſtum Dominum reipſa medio quodam aptiſſimo & conſervationi doctrinæ ſuæ totius atque inſtitutionis in Eccleſia a ſe factæ conſilio quodam digno Sapientia ſua, eoque falli neſcio, pro-

providiſſe. Id ſolum vos, viri optimi, nobiscum diſputatis, quodnam illud ſit. Vos quidem divinas Scripturas, nos Eccleſiæ viva voce ſolenniter & publice per ſuos Prælatos docentis auctoritatem falli neſciam, remedium illud eſſe dicimus.

Jam vero de ſcribendi mandato Apoſtolis dato a Chriſto teſtimonium omnino nullum uſpiam extare vos nobiscum ipſimet fatemini; atque Scripturas ſe ſolis perquam inidoneas eſſe ipſa propenſione veſtra ad Indifferentiſmum, & revocatione dogmatum chriſtianorum ad duos tresue articulos fundamentales, pariter vos ipſi abunde confitemini. Solum itaque id vice verſa a nobis adhuc requiritis, ut certioribus argumentis nos catholici oſtendamus, talem docendi auctoritatem omnis expertem erroris in Eccleſia ſua a Chriſto in perpetuum conſtitutam fuiſſe.

Enimvero jure ſuo Lockius veſter illud pronuntiat: ſi infallibilitas judicii in rebus fidei & morum Eccleſiæ data a Chriſto fuiſſet, eaque fundamentalem fidei articulum conficeret, tam clare in Scripturis Apoſtolicis exprimi illa deberet, atque illud, quod Chriſtus Meſſias fuerit, ut videlicet a nemine Scripturas legente non poſſet non facillime & cum omni certitudine intelligi. Hoc, inquam, totum, quod dicit, ultro acutiſſimo Lockio veſtro concedimus; ſimul vero confidenter tenemus, reipſa quam clariſſime expreſſam in SS. literis, vel ipſiſſimis Chriſti verbis, hanc donatam ab ipſo Eccleſiæ ſuæ infallibilitatis prærogativam legi. Omnino rectius nihil dici a Lockio potuit.

Sicuti

Digitized by Google

Sicuti enim nos pro evidenti principio præmittimus: ſi S. Scriptura unica atque completa credenti regula pro univerſis chriſtianis foret, neceſſarium fore, ut dogmata credenda in illa omnia quam clariſſime expreſſa, & interpretatio ipſius Scripturæ obvia prorſus & expedita univerſis foret. Idem ergo omni jure de dogmate infallibilitatis Eccleſiæ Lockius requirit, ut videlicet idem, ceu ultima credendi ac communis regula practica, quam clariſſimis verbis a Chriſto declaratum ita proſtet omnibus, ut ſine ambiguitate colligi ab univerſis Chriſti aſſeclis poſſit.

Atque iſtud quidem mox ita me vobis oſtenſurum confido, ut ad eas vos anguſtias certiſſime ſim redacturus, ut aut univerſo Calvini & Lutheri doctrinæ ſyſtemati evidenter renuntiare, ac de tota Scripturarum divinitate ceu mere fictitia communem cum Theiſtis hodiernis ſuſpicionem capere, aut certe conſentire nobis catholicis cogamini. Eja ad rem!

Agite dum! edicite mihi: quonam argumento vos mihi probatis, Scripturas novi teſtamenti ſaltem quoad dogmata fidei, quæ continent (nam de toto contextu jam non inquiro amplius poſt ſuperius jam a me dicta) divinitus ab Apoſtolis fuiſſe conſcriptas; imo ſingillatim Marci & Lucæ

Digitized by Google

Evangelia unde ſcitis, ad divinas illas Scripturas novi teſtamenti pertinere? Ne, mihi, quæſo illa a veſtris ipſismet Theologis, & nominatim a Töllnero pæne profundiore omnium, improbata argumenta divinitatis Scripturarum aut a priori ex divinis perfectionibus, aut a poſteriori ex notis intrinſecis Scripturarum petita, porro reponite. Legere iſthæc ad evidentiam uſque ab ipſo Töllnero enervata poteſtis in meo Tractatu in Loc. Theol. §§. 20. 21.

Nimirum uno illo argumento qualemcunque divinam auctoritatem Evangeliorum Matthæi & Joannis, nimirum quoad fidei dogmata in eis contenta, probare ſolide poteſtis; quod ex Chriſti teſtimoniis & promiſſis illis petitur, quæ extant conceptis verbis tum Joan. XIV. 16.: *ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, UT MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM, *Spiritum veritatis.* . . . v. 26. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*, QUÆCUNQUE DIXERO VOBIS. Quo quidem divino Spiritu reipſa ſecundum promiſſum Chriſti repletos Apoſtolos legimus Act. II.

Matthæus itaque & Joannes Apoſtoli, Evangelia ſua ſcribentes, ſaltem in dogmatis univerſis conſignandis a S. Spiritu regebantur, ne errarent; ſecundum veſtræ quidem

dem Eccleſiæ ſyſtema perquam parce & infeliciter in ordine ad finem propoſitum; qui erat Eccleſiæ regulam diſcendi omnia ea dogmata (*docebit vos omnia*) pro omni ſecuturo tempore in his Scripturis ultimam relinquere (Vide Loc. Theol. a §'. 37. uſque ad §. 40.).

Marci & Lucæ Evangelia ab Apoſtolis ipſis probata, ac proinde quoad dogmata æque erroris expertia, & a divino Spiritu, per Apoſtolos loquente, comprobata fuere. Admittitis ergo, in Apoſtolis, ſeu viva voce, ſeu ſcripto docentibus dogmata ex Chriſti ore accepta, revera fuiſſe virtute promiſſi a Chriſto facti donum infallibilitatis. Has infallibili Apoſtolorum inſtructione Chriſti dogmatis univerſis imbutos primos fideles fuiſſe creditis pro eo, atque tam Chriſtus juſſerat Apoſtolos *omnes gentes docere omnia, quæcunque ipſe illis manſet;* quam idem promiſerat, quod Spiritus Sanctus *docturus* illos *eſſet omnia*, & *omnia ſuggeſturus*, *quæcunque illis ipſe dixiſſet.*

Evidens ergo eſt, inde a principio a Chriſto ſuper fundamenta Apoſtolorum ædificatam fuiſſe Eccleſiam, id eſt, uno religionis vinculo colligatam Societatem ſpiritualem viſibilem (id eſt, conſpicuam ex ſigno ſolenni ac legali Baptiſmatis & profeſſionis fidei in Chriſtum) quæ univerſis do-

Digitized by Google

gmatis a Chriſto traditis, ceu totidem legibus ac regulis regebatur, promovebaturque hujuscemodi totidem mediis a Chriſto procuratis ad finem ſalutis ſpiritualis ultimum; cujus unius cauſſa fuerat a Chriſto inſtituta; quin ſequendo & audiendo Magiſterium Apoſtolorum unquam aberrandi a veritate periculum eſſet. Sanctus enim Spiritus Eccleſiæ tunc in Apoſtolis præſens aderat, non modo ut ſponſus, ſed ut Magiſter perpetuus, Chriſti in hoc vices agens.

Inde eſt, quod tam tenaces erant Apoſtoli in exigenda unitate & conſenſu fidei in univerſis articulis doctrinæ, quam proponebant aſſiſtente ſibi Spiritu Sancto. Hinc de legalibus graviter pronuntiant Act. XV.: *viſum eſt nobis & Spiritui Sancto.* Hinc S. Paulus Galatis I. 7. *anathema* dicit; *ſiquis evangelizaverit præter id, quod accepiſſent* ab Apoſtolis: & Titum III. 10, admonet ſevere: *hæreticum hominem* (id eſt, ſingulariter contra communem Eccleſiæ doctrinam ſentientem) *poſt unam & ſecundam correptionem devita.*

Jam vero vos, oro, viri præclariſſimi! edicite, quæſo, quonam vos fundamento mutatum hunc tam firmum iſtius Eccleſiaſtici ædificii ſtatum, & Eccleſiam fundamento ſuo, quod eſt regimen S. Spiritus, illius

Digitized by Google

illius legitimis paſtoribus & doctoribus continuo præſens, dejectam continuo a morte Apoſtolorum ſtatuatis.

An minor præſentis ſemper iſtius Numinis neceſſitas erat in decurſu ſeculorum, quam in principio Eccleſiæ ædificandæ fuerat; iis videlicet in temporibus, quibus tot ſectariorum exercitus in ipſa exſurrecturi erant, ut, ſi vobis ipſis credimus, jam reſcire ne ex ipſis quidem ſcripturis Apoſtolicis quidquam pro certo poſt tot dubias utrinque expoſitiones inventas poſſimus, niſi quod DEUS ſit, & Chriſtus Meſſias venerit? An Chriſtus ipſe fortaſſis promiſſum illud S. Spiritus Magiſterium ad ſolos Apoſtolos uſpiam reſtrinxit? Quin imo an non conceptis verbis promiſit, *ſe* illis *affuturum*, non utique per ſe, ſed per alium, quem miſſurus erat, Paraclitum Spiritum Sanctum, *uſque ad conſummationem ſeculi*; non utique ſolum in perſonis Apoſtolorum, qui ſuperſtites ipſi in his terris uſque ad conſummationem ſeculi futuri non erant; ceu quibus ipſe prædixerat: *Tradent vos in tribulationem*, *& occident* (Matth. XXIV. 9.); ſed in ſucceſſoribus perpetuis in munere docendi; & regendi Eccleſiam Chriſti.

Nunquid Joan. XIV. 16. clare promiſerat, ſe exoraturum Patrem, ut det Apoſtolis, id eſt, miniſtris ſuis, *alium Para-*

 cli-

clitum, ut maneat vobiscum IN ÆTERNUM. Si Spiritus Sanctus promiſſus a Chriſto Spiritus veritatis in exercitio miſſionis ſuæ manet IN ÆTERNUM: nunquid æque hodie ac olim a principio *docebit* Apoſtolorum in munere docendi ſucceſſores *omnia*, *& ſuggeret* illis *omnia*, *quæcunque* Chriſtus *dixit?* Aut num forte non habent Apoſtoli in docendi iſthoc munere perpetuos ſucceſſores? Quibus ergo veſtri Paſtores ſuccedunt? ô boni! Nunquid clare Apoſtolus Act. XX, 28 pronuntiavit majoribus natu Eccleſiæ Epheſinæ: *attendite vobis & univerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus Sanctus regere Eccleſiam DEI.*

Quibus Spiritus Sanctus munus regendi Eccleſiam, Apoſtolis propriam, per ipſos Apoſtolos tradiderat, an ſucceſſores non ſunt Apoſtolorum? Quid in his univerſis obſcurum & dubium, ac non potius manifeſtum & perſpicuum eſt? At enim vos vultis, ſucceſſores quidem habere Apoſtolos in munere docendi & regendi Eccleſiam, ſed non in dono illo infallibilitatis, & intrinſecæ præſentiæ Spiritus Sancti per eos loquentis & docentis.

Jam vero ego rurſum vos obſecro, qua doctrinæ conſequentia munus ipſum omne Apoſtolicum in baptizando, in docendo, in prædicando Evangelio, in SS. Eu-

Euchariſtia celebranda, perenne eſſe, & in perpetuum inſtitutum a Chriſto fuiſſe dicitis; regimen vero Spiritus Sancti ejusque Numinis præſentiam illam, quæ in Eccleſiæ Chriſti prima inſtitutione ac veluti ædificatione errorem omnem ab ejus officii executione excludebat, ad tempus vitæ Apoſtolicæ & ad perſonas Apoſtolorum reſtrictum a Chriſto fuiſſe ſtatuitis? Secundum vosmet ipſos, cum Chriſtus dixit, *euntes docete! baptizate!* cum in cœna ultima juſſit, *hoc facite in meam commemorationem*, perpetuum officium cum ſucceſſione in eo munere continua conſtituit: cum vero addidit huic officio docendi in ſolamen promiſſum illud: *paraclitum vobis dabit Pater Spiritum veritatis, qui maneat vobiscum in æternum &c., ego vobiscum ero uſque ad conſummationem ſeculi;* quod lubentiſſime accipiendum pro tanta neceſſitate Eccleſiæ erat, donum reſpuitis, ac dicitis: ad tempus vitæ Apoſtolicæ id ſolummodo pertinere. Quidnî potius baptizandi, docendi, Euchariſtiam conſecrandi & diſpenſandi munus ex æquo cum Apoſtolis exſpiraſſe; Scripturam docendi munus abunde compenſare; & ad fidem in Chriſtum Meſſiam excitandam vel ſolam ſatis ſine Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentis valere, dicitis? Eodem profecto, imo majore etiam fundamento, munus ipſum docen-

Digitized by Google

di exſpiraſſe cum Apoſtolis dicetis, quam munus ipſum ſine illo dono & adminiculo manſiſſe; quo ſine munus porro non ſolum non utile, ſed omnium origo hæreſeon certiſſime futurum erat, cum certa pernicie Eccleſiæ.

Sed hoc ipſo vale jam continuo dicendum erit caris veſtris capitibus, Luthero & Calvino, & dimiſſo omni docendi in Eccleſia munere ad Lockii breviculam illam fidei chriſtianæ profeſſionem omnes una coarctandi eritis: imo etiam dimittenda ipſa S. Scriptura, ceu oppido inutilis; cum tot dogmata proponat, quot ab Apoſtolis prima Eccleſia acceperat, & tamen vix unum ex illis, quodnam & quale illud ſit, perſpicue nobis explicet: id quod antea me vobis demonſtraturum prædixi.

At enim quis quantusve delapſus iſte Eccleſiæ Chriſti ab Apoſtolicorum temporum illuſtri illo ſplendore! Quanta a priſtilumine illo univerſæ doctrinæ & legum Chriſti defectio! Hæccine illa tam ſolennis, tam ſplendida Chriſti promiſſio eſt, tanta emphaſi ſine ullius reſtrictione temporis abſolute facta Matth. XVI., *ſupra petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam?* Siccine non prævaluere portæ inferi adverſus illam Chriſti Eccleſiam; cui jam univerſa

verſa Chriſti inſtitutio, doctrina, atque lex erepta inferorum inſidiis eſt? Quæ certa quidem eſt, veniſſe Chriſtum divinum vere divinæ religionis Magiſtrum; quænam autem fuerit illa divini hujus Magiſtri doctrina, quæ ab eo inſtituta religio, quæ Sacramenta, oppido & ex integro ignorat. Nomen ergo iſthæc ejusmodi Eccleſia a Chriſto, non formam atque inſtitutionem, habet, non jam fundatur in petra illa, in qua primitus fundata fuerat.

Videtis, optimi viri, quam clare in SS. Scripturis expreſſum revera dogma iſtud infallibilitatis Eccleſiæ ſit; de ipſis quidem Apoſtolis in prima fundatione clariſſime, vobismet ipſis fatentibus; de ſucceſſoribus Apoſtolorum tam clare; ut vel cum ſucceſſione iſta conſervatum huc uſque apud vos ipſos perpetuum munus docendi una cum Baptiſmo ipſo & Euchariſtia dimittere, atque adeo Luthero & Calvino veſtro penitus renuntiare, imo eo ipſo Scripturam ut librum oppido inutilem abjicere debeatis; aut eo ipſo perennitatem doni & regiminis iſtius Spiritus Sancti in doctoribus Eccleſiæ legitimis nobiscum catholicis ingenue confiteri: quod donum ſemel a Chriſti benevolentia infinita liberaliter & amanter conceſſum, manente ſemper eadem ipſius penes Eccleſiam neceſſitate, tamen brevi poſt iterum ereptum fuiſſe, me quidem judice

Digitized by Google

cum univerſo genuino divinæ Chriſti Sapientiæ, & Bonitatis, conceptu alioquin apertiſſime pugnat.

Superſedeo jam certo conſilio ſolutione argumentorum, quæ opponere vulgo adverſus infallibile Doctorum Eccleſiæ judicium hoc ſoletis. Invenietis enim illa jam ſoluta abunde in decurſu Theologicorum operum meorum, puta in Dem. Cath., quæ de modo ferendi hoc judicium apud ipſos catholicos controverſo (§§. 208. in notis, item toto capite IV. V. & X.); item quæ de infallibilitate etiam ſingulis Apoſtolis propria diſputari ſolent (Dem. Cath. §. 135. not. 1.).

Unum præterire non debeo, quod, ceu ſpecioſum, communiter, quamquam profecto inepte (ſit verbo venia) opponere ſoletis: videlicet donum miraculorum, licet Apoſtolico muneri annexum a Chriſto, tamen non ad ſucceſſores Apoſtolorum tranſiiſſe, ergo nec donum infallibilitatis. Enimvero ineptiſſime hoc objicitur. Dicite enim quæſo Scripturæ locum, ubi proprium hoc eſſe muneris Apoſtolici donum a Chriſto dicitur.

Provoco vos confidenter; certus nullum oſtendi poſſe, ex quo non reluceat, uni fidei illud donum a Chriſto promiſſum

eſſe;

eſſe; quæ fides ſi major ſit in plebejo homine chriſtiano, quin is tentet DEUM; næ plus miraculi ab eo quam ab Apoſtolo, qui fide minor ſit, virtute verborum quorumvis Chriſti expectandum eſſe dilucide oſtendam. Certe Marc. ult. univerſe Chriſtus promittit: *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: . . . dæmonia ejicient* &c. Et Matth. XVII. 19. *ſi habueritis fidem, - - dicetis huic monti: tranſi hinc illuc, & tranſibit* &c. Et ſic ubique fidei hoc donum promittitur, non muneri Apoſtolico. Sed his miſſis inanibus.

Eja jam porro videamus, quem porro ſucceſſum unionis negotium habiturum ſit, infallibili Eccleſiæ auctoritate ſemel nobiscum a vobis reverenter acceptata. Hic jam ego pacis propoſitiones ingenti lubentia faciam. Ecce vobis conditiones ſane ampliſſimas, quas ante me nullus fortaſſis fecerit; quas tamen probandas facile univerſa ab Eccleſia catholica crediderim, ſi modo primum vobis ſerio placuerint.

Canon unionis primus eſto: *nihil credere certa fide vos obligatos volumus, niſi quod pro dogmate catholico credendum DEI Eccleſia ſolenniter declararit.* Scholarum itaque opiniones omnes, raro ab voluntatis affectu immunes, veſtro a lubitu pendere volumus. Hoc propoſitio ut plurimum

rimum accurate in decurſu Theologicorum operum meorum deſignavi, ſiquid ac dogma catholicum pertineret; plenam volens vobis eſſe in ceteris ſentiendi libertatem, nec amplius de conſenſu veſtro mihi exoptans, quam mereantur, quas ad perſuadendum affero, rationes. Non parum vos hoc canone lucrari intelligetis illico ubi legeritis, quæ de SS, Euchariſtia tradidi; in quo dogmate unionem pro deſperata habendam Abbas Jeruſalem paucis abhinc annis putavit.

Canon II. *Romani Pontificis poteſtas ſolum mediata, & ad omnem moderationem certis Chriſti regulis revocata, eaque mere ſpiritualis vobis admittenda eſt;* quam in Dem. Cathol. cap. X. & ſeqq. deſcripſi; ſublatis, ſi ita velint novi Epiſcopi veſtri, reſervationibus, & exemtionibus univerſis.

Canon III. *Religioſos non niſi, qui utrique reipublicæ, ſacræ & profanæ, ex æquo utiles videbuntur, eosque in omni parte exercendæ alicujus ſpiritualis juriſdictionis & miniſterii verbi ſubordinatos non ſolum Epiſcopis, ſed & locorum Parochis, recipere urgebimini.*

Canon IV. *Clericos & Sacerdotes haud plures inter vos ordinari jure veſtro pe-*

petitis, quam tituli extent eccleſiarum, quibus ſtabili officio deſervient.

Canon V. *Nemo vos coget ad ullas Confraternitates cujuscunque nominis admittendas.*

Canon VI. *Poteſtas Principum veſtrorum temporalis omnis independens & intacta manebit.*

Canon VII. *Suſtentatio congrua, Eccleſiis & DEI Miniſtris præſtanda, non jure decimarum, ſed ſapienti arbitrio, conſtituenda erit.*

Canon VIII. *Legum Eccleſiaſticarum moderatio omnis ſperanda vobis eſt;* quam & Sapientia dictabit divina, quæ regit Eccleſiam DEI, & amor maximæ ſalutis communis.

Canon IX. *Religionis exercitia ea ſolum admittere nobis liberum erit, quæ ſubſtantia officiorum chriſtiani hominis promovendæ inprimis ſerviunt, & toti Eccleſiæ chriſti communia ſunt;* non item, quæ a privatis cœtibus, aut hominibus, inventa, aut excogitata ſunt.

Vellem plura addere; ſed ſollicitudo me prohibet diſplicendi infirmis, qui ſolidum

Digitized by Google

dum cibum ferre non poſſunt. Primus ad unionem gradus erit, ſi nos invicem vere chriſtiana caritate mutua proſequamur, omni in occaſione illius argumenta ſincœriſſima exhibentes. Voluntates enim ſemel conjunctæ unionem intellectus brevi ac certiſſime poſt ſe trahent. Interim ſic mecum ſtatuo: Unio Acatholicorum omnium cum catholicis tam magnum eſt opus, ut non niſi divino diſponi conſilio poſſit. DEUS ſolus ſcit, & volet certiſſime, id exequi; niſi humanæ voluntatis illi malitia ſit obſtinatura. Vale, Lector amice, &, quod humana imbecillitate in ſcribendo peccavi huc uſque, mihi pius indulge.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google